LIBRARY OF PRINCETON
THEOLOGICAL SEMINARY

KUYPER BT70 .S99 1881
Synopsis purioris
theologiae,
disputationibus quinquaginta
duabus comprehensa

B. Guntenbrunn

LIBRARY OF PRINCETON
JUN 14 1982
THEOLOGICAL SEMINARY

SYNOPSIS PURIORIS THEOLOGIAE,

DISPUTATIONIBUS

QUINQUAGINTA DUABUS COMPREHENSA

AC CONSCRIPTA

PER

JOHANNEM POLYANDRUM, ANDREAM RIVETUM,
ANTONIUM WALAEUM, ANTONIUM THYSIUM,
S. S. Theologiae Doctores et Professores in Academia Leidensi.

EDITIO SEXTA.

CURAVIT ET PRAEFATUS EST

DR. H. BAVINCK.

LUGDUNI BATAVORUM
APUD DIDERICUM DONNER.
MDCCCLXXXI.

LUGDUNI BATAVORUM TYPIS D. DONNER.

PRAEFATIO.

Praeclaram hanc Purioris Theologiae SYNOPSIN, primum anno 1625 editam, deinde non longo intervallo quater typis repetitam, data opera laudibus celebrare lectorique commendare nihil attinet; pauca autem quaedam de libri scriptoribus, de ejus forma, virtute, auctoritate, omnino de fatis ejus sextae editioni, jamjam in lucem prodituraе, praemittere haud ab re esse mihi videtur. Opus enim hoc auctorum ejus aetate per quinquaginta ferme annos studiosis theologiae aliisque notissimum omnium fere in manibus erat, hodie autem jacet longe plurimos latens.

Vox „purioris" jam tempus indicat, quo conscripta Synopsis est. Nimirum in lucem emissa est, paulo postquam Ecclesia Theologiaque Reformata ex acri certamine cum Remonstrantismo victrices prodierunt. In Synodo Dordracena confessio Reformata denuo ad Lydium lapidem Sacrae Scripturae examinata atque probata erat. Placita Arminiana ceteraque heterodoxa refutata et convicta ex Ecclesia Reformata expulsa erant.

Dignitas atque auctoritas Synodi prodiit illis temporibus prae-

sertim in reformanda Academia, a qua Remonstrantismus ortum duxerat. Academia enim Lugduno-Batava, cujus cathedrae a variis et inter se saepe parum congruentibus professoribus occupatae erant, annuente Synodo quatuor professoribus ornata est, qui ex toto animo ac corde confessionem Reformatam amplexabantur. Jam anno 1611 in Gomari locum substitutus est Polyander, quem anno 1619 secutus est Walaeus. Eodem anno Thysius, professor Harderovicensis, inauguratus est. Et Rivetus e Gallia vocatus, quartus, anno 1620 munus suscepit.

Professores hi quatuor, praeclari et doctissimi viri, sine dubio optime de Ecclesia Reformata meriti, egregie inter se congruebant, se invicem, suis quisque ingenii dotibus ac facultate, mutua pace moderantes corrigentes compensantes. Operae pretium est, referre quod Walaei filius de eorum mutuo consensu et cujusque animi dotibus narrat. Quisque, inquit, ut assolet, prae ceteris quibusdam animi dotibus eminuit. Memoria praepollebat Thysius, ingenio Walaeus et Rivetus, qui et judicio ad concludendum excelluere, sed dexteritate ad exsequendum Polyander. In agendo fervidus erat Thysius, vigore plenus Walaeus, quo remissior Rivetus, sed sedatus erat Polyander. In exprimendis animi conceptibus elegans Polyander, voce tamen et eloquio Rivetus et Walaeus praecellebant. In Philosophicis exercitatus magis Walaeus, in linguis Thysius, Hebraea praesertim, nam et Graecae peritior Walaeus. In Theologia diffusam magis eruditionem habebant Thysius et Rivetus, solidam Walaeus et Polyander. Peritior in Historia Ecclesiastica Thysius, in lectione Patrum Rivetus, in Theologia Scholastica Walaeus. Versatior in controversiis Socinianorum, Anabaptistarum et Remonstrantium Walaeus, Pontificiorum Rivetus. Praelegebat Thysius diffuse, Rivetus plene, solide et breviter Walaeus, ad praxin accommodate Polyander.

Praesertim nos, viventes in tempore, quo tanta doctrinae est discrepantia inter theologos, admiratione et gaudio afficit θεία quaedam ἁρμονία sententiarum consensusque super omnibus sacrae religionis capitibus, qui inter hos quatuor professores semper adfuit. Imo, quemadmodum in Walaei vita legimus, decreverunt et observarunt continuo, neminem judicium de religionis controversia, Ecclesiae regimine, sive casu conscientiae, seorsim, sed nonnisi una cum collegis suis daturum.

Purioris igitur theologiae haec Synopsis mutui eorum consensus ipsa monumentum est amplissimum. Quinquaginta duarum disputationum, ex quibus constat, quaeque alia ab alio scripta est. Novem disputationes primae in hoc ordine, a Polyandro, Walaeo, Thysio, ceterae (a decima usque ad ultimam) alternatim a Polyandro, Riveto, Walaeo, Thysio, ita ut a Polyandro quatuordecim, a Riveto undecim, a Walaeo quatuordecim et a Thysio tredecim disputationes conscriptae sint. In quaque disputatione theses adhibentur, vulgo quadraginta aut quinquaginta, in aliis plures, in aliis pauciores. Interdum etiam thesibus corollaria quaedam vel antitheses adjunctae sunt. Haec disputationum forma ex academica institutione sumta, toti operi tribuit perspicuitatem et suavitatem, etiam ubi argumentum interdum tractatur aridissimum et implicatissimum.

Synopsis, in lucem vix prolata, regina doctrinae Reformatae creata videtur. Erat enim enchiridium studiosis theologiae suave et commodum, breve, lucem claram afferens multis ac variis rebus, controversias cum Remonstrantibus et Pontificiis acute, subtiliter ac perspicue sed tamen sine ira et studio exponens et persequens, ac denique conscriptum per quatuor professores, qui fiducia et amore Ecclesiae gaudentes tum ob pietatem tum ob doctrinam ab omnibus fere colebantur. Synopsis ipsa exemplum clarum et speculum perlucidum nobis est orthodoxae doc-

trinae, quae in Synodo Dordracena principatum obtinuerat. Quod autem haec doctrina per dimidium seculum regnavit et regnare potuit, nemini mirum videbitur, qui hanc Synopsin legerit ac volverit. Nulli alii enchiridio illius temporis acumine atque argumentandi subtilitate cedit, splendet non raro διανοίας μεγαλοπρεπείᾳ, veritatis S. Scripturae et confessionis Reformatae plane conscia et gnara est, ab aridis autem, futilibus atque insul sis ratiocinationibus et hallucinationibus scholasticis libera. Et quanti momenti fuerit quantaque ejus auctoritas in variis Academiis, diligentissime persecutus est Clarissimus Sepp *). Quinquies brevi temporis spatio edita est. Editio prima in lucem prodiit anno 1625, secunda anno 1632, tertia decem annis post anno 1642, quarta iterum decem annis post anno 1652, quinta anno 1658. Duae postremae prodierunt, scriptoribus omnibus jam mortuis. Rivetus enim omnium postremus vita defunctus est anno 1651. Omnes quinque editiones, exceptis nonnullis variis lectionibus minoris momenti, inter se plane concinunt.

Sed tempora mutantur. Transiit etiam Synopseos hujus imperium diuturnum. Aliud tempus aliud postulabat. Coccejus aliique theologi aliam methodum introduxerunt, et Synopsis paulatim in oblivionem abiit.

Nunc, plus quam ducentis annis post ultimam editionem, sexta haec editur, non inopportuno tempore, opinor. Quae enim Ecclesia Reformata Separata in patria nostra jam diu confessa est, eadem doctrinae principia hodie extra eam quoque

*) Vide Het Godgeleerd Onderwijs in Nederland gedurende de 16de en 17de Eeuw, door Christiaan Sepp. Tweede Deel, p. 23—94.

reviviscere incipiunt. Ad haec igitur bene cognoscenda aliisque dilucide explicanda Synopseos, certae ac summa fide dignae ducis, quippe Synodi Dordracenae quasi sub oculis confectae, sexta haec editio quam maxime proficiat.

FRANEQUERAE, mense Oct. MDCCCLXXXI.

H. BAVINCK.

PRAEFATIO

AD

ILLUSTRISSIMOS, POTENTISSIMOSQUE

HOLLANDIAE WEST-FRISIAEQUE ORDINES.

Illustrissimi ac Potentissimi DD. Ordines,

Duo sunt Reipublicae Christianae firmamenta, Veritas et Pax: quarum illa spiritualis nostra cum Deo communio, hac mutua cum hominibus societas in his terris stabilitur. Veritati Propheta Zacharias, ut duci et magistrae, principem; Paci, ut pedissequae, proximum locum merito assignat, cum nos admonet, ut veritatem et pacem diligamus. Veritas etenim natura sua perpetuo est justa, Deo grata, eamque profitenti salutaris: Pax vero, si a veritatis tramite deflectat, fit injusta, Deo exosa, et cuilibet eam sectanti exitialis. Hinc Apostolus Paulus quoslibet Christianos adhortatur, ut cum omnibus hominibus in pace vivant, sub hac duplici conditione, quantum in ipsis est, et, si fieri potest: salva nempe veritatis professione. Quod ii recte perpendentes quibus vos in hac illustri dignitate successistis, pacem quidem omni ratione colere ubique studue-

runt, sed veritati subnixam, seu, ut dici solet, usque ad aras, vel potius usque ad aram nostram Jesum Christum, qui ipsissima est veritas, prout de sese pronunciat. Quanta enim fide, fortitudine et constantia illi veram Christi doctrinam verbo ipsius revelatam adversus immanes Antichristi, praecipuorumque ejus administrorum, persecutiones propugnaverint, historiae nostri aevi luculenter ostendunt. Capitale olim erat pro libertate vestrae Reipublicae ac Religionis dimicare, causamque eorum tueri, qui a Romani Pontificis idololatria, fictisque traditionibus, vel latum unguem recesserant. Illi nihilominus in Patriae libertatis vindicias magno incumbentes animo, primis tyrannorum Ecclesias reformatas opprimentium armis feliciter restiterunt. Eodem animo ac successu fidos Evangelii praecones in templa a cultus divini profanationibus repurgata introduxerunt, ut in iis tamquam in publicis almae veritatis theatris, Sacram Scripturam aliquot seculis ab Antichristo obscuratam et oppressam, in lucem proferrent, plebemque ab illo misere seductam, per viam veritatis ad metam portumque salutis per Christum partae adducerent. Quibus hoc praeterea beneficium accessit, quod ad verae Religionis pomoeria latius proferenda, quantum operae ac subsidii ad Ecclesias nostras per totam hanc Provinciam instaurandas contulerant; tantum studii et industriae ad Academicum omnium scientiarum, sed imprimis divinae, promptuarium, in hac urbe erigendum, impendere voluerint. Qua in re, vos Illustrissimi DD. Ordines, quemadmodum et in ceteris virtutibus heroicis, Decessores vestros imitati, nostram hanc Academiam annis porro succedentibus, omnigena virorum eruditorum ad eam exornandam undecunque vocatione florentem praestitistis: remotisque heterodoxarum opinionum zizaniis, quae nonnulli apud nos disseminaverant, Theologiam orthodoxam, non modo in integrum re-

stituistis, sed ab iniquis contradicentium criminationibus vestro quoque suffragio in Synodo Dordracena nuperrime liberatam, aucto insuper, qui Theologiam profiterentur, numero, in exoptato dignitatis fastigio collocastis. Hanc vestram curam ac vigilantiam, qua hoc Ecclesiarum nostrarum seminarium maximis superiorum tempestatum periculis ereptum in solido ac sereno posuistis, aeternis laudibus colendam, venerandam ac praedicandam censemus. Ad quod publice testandum, hoc nostrae gratitudinis debitaeque observantiae monumentum, vobis nuncupamus SYNOPSIN, scilicet, PURIORIS THEOLOGIAE, quam in Academia vestra profitemur, omnibusque sub vestro nomine spectandam et ad Lydium Sacrae Scripturae lapidem examinandam proponimus; tum ut totus terrarum orbis vos acerrimos et constantissimos illius esse defensores hinc cognoscat; tum, ut sacrarum litterarum Candidati fidei nostrae commissi, in studiorum suorum cursu hanc Cynosuram oculis suis lustrent ac sequantur; tum denique, ut quibuslibet certo constet de fidei ac sententiae nostrae παναρμονίᾳ, mutuoque super omnibus sacrae Religionis capitibus consensu: minime dubitantes, quin Ecclesiarum nostrarum Pastores hoc nostrae concordis doctrinae specimen, toties a se desideratum, contemplati, vestrae Provinciae nobiscum hoc nomine sint gratulaturi, quod ex singulari Dei gratia, sopitis vestra auctoritate nostrorum dissidiorum intestinorum ignibus, non minus in nostrae Academiae pulpitis, quam in templorum cathedris, veritatem et pacem nunc iterum videant, ut Regii Prophetae Davidis utamur verbis, sibi mutuo occurrere, seque invicem exosculari. Quod superest, Vos, Illustrissimi D D. Ordines, submisse rogamus, ut hoc exiguum devotissimae nostrae mentis signum sereno suscipiatis vultu, nosque benevolentia vestra complecti pergatis. Deus Opt. Max. sub cujus praesidio sapien-

tiae ipsius latifundia in hoc sacrario excolenda suscepimus, Vos quam diutissime sub umbra alarum suarum tegat servetque incolumes: Ac vestram Rempublicam omni benedictionum accessione cumulatissime locupletet, ad Nominis sui gloriam, et Ecclesiae suae incrementum.

Datum Lugd. Bat. XXVIII. Dec. MDCXXIV.

Vestrarum Illustr. Dominationum obsequio deditissimi
S. S. Theologiae Doctores ac Professores,

JOHANNES POLYANDER,
ANDREAS RIVETUS,
ANTONIUS WALAEUS,
ANTONIUS THYSIUS.

CATALOGUS

DISPUTATIONUM

QUAE HAC

SYNOPSI PURIORIS THEOLOGIAE

CONTINENTUR.

Disputatio.		Pag.
I.	De S.S. Theologia	1
II.	De S. Scripturae Necessitate atque Auctoritate	7
III.	De Libris Canonicis itemque Apocryphis	16
IV.	De S. Scripturae perfectione, et inutili traditionum non scriptarum ad eam adjectione	30
V.	De S. Scripturae Perspicuitate et Interpretatione	38
VI.	De Natura Dei et divinis Attributis	48
VII.	De Sacro-Sancta Trinitate	61
VIII.	De Persona Patris et Filii	67
IX.	De Persona Spiritus Sancti	76
X.	De Mundi Creatione	82
XI.	De Providentia Dei	87
XII.	De Angelis Bonis ac Malis	96
XIII.	De Homine ad imaginem Dei creato	107
XIV.	De Lapsu Adami	116
XV.	De Peccato Originali	120
XVI.	De Peccato Actuali	134
XVII.	De Libero Arbitrio	144
XVIII.	De Lege Dei	155
XIX.	De Idololatria	162
XX.	De Juramento	175
XXI.	De Sabbatho et die Dominico	185
XXII.	De Evangelio	203
XXIII.	De Veteri et Novo Testamento	210
XXIV.	De Praedestinatione	221

Disputatio. Pag.

XXV. De Filli Dei Incarnatione et Unione personali duarum naturarum in Christo 238
XXVI. De Christi Officio 249
XXVII. De Statu Humiliationis Christi 262
XXVIII. De Statu Exaltationis Christi 272
XXIX. De Christi Satisfactione 281
XXX. De Hominum Vocatione ad Salutem 294
XXXI. De Fide et Perseverantia Sanctorum 301
XXXII. De Resipiscentia 320
XXXIII. De Justificatione Hominis coram Deo 330
XXXIV. De Bonis Operibus 345
XXXV. De Libertate Christiana 357
XXXVI. De Cultu Invocationis 372
XXXVII. De Eleemosynis et Jejuniis 385
XXXVIII. De Votis 401
XXXIX. De Purgatorio et Indulgentiis 408
XL. De Ecclesia 432
XLI. De Christo Capite Ecclesiae et de Antichristo 445
XLII. De Ministrorum Ecclesiasticorum vocatione et functionibus ... 458
XLIII. De Sacramentis in genere 476
XLIV. De Sacramento Baptismi 489
XLV. De Coena Domini 503
XLVI. De Missae Sacrificio ejusque abusibus 531
XLVII. De Quinque Falsis Sacramentis 552
XLVIII. De Disciplina Ecclesiastica 576
XLIX. De Conciliis seu Conventibus Ecclesiasticis 591
L. De Magistratu Politico 609
LI. De Resurrectione Carnis et Judicio extremo 626
LII. De Vita ac Morte Aeterna et Consummatione seculi 653

Exemplar teneto sanorum sermonum quos a me audisti in fide et caritate in Jesu Christo.

2 Timoth. 1, 13.

Illud autem scito, fore ut extremis diebus instent tempora molesta. Erunt enim homines, habentes formam pietatis, sed qui vim ejus abnegarunt. Etiam istos aversare: semper discentes, sed qui nunquam ad cognitionem veritatis venire possunt. Quemadmodum autem Jannes et Jambres restiterunt Mosi, ita et hi resistunt veritati, homines mente corrupti, reprobi circa fidem. Sed non procedent amplius. Nam amentia istorum evidens erit omnibus, ut et illorum fuit. Improbi autem homines et impostores procedent in pejus, tum seducentes alios, tum ipsi seducti. At tu permane in iis quae didicisti, etc.

2 Timoth. 3, 1. 5. 7. 8. 9. 13.

DISPUTATIO I.

DE

S.S. THEOLOGIA.

Praeside D. JOHANNE POLYANDRO.

Respondente JOHANNE SWALMIO.

Quandoquidem Scriptura divinitus inspirata, est S.S. Theologiae principium, argumentum et instrumentum, ab hac disputationes nostras ordiemur.

THESIS I.

THEOLOGIA est, juxta nominis notationem, ut quibusdam placet, sermo Dei, vel potius sermo de Deo, ut nos censemus.

II. Nomen hoc fuit primo usurpatum ab Ethnicis Graecis, teste Lactantio, Lib. 1, de ira Dei, cap. 2, ac postea ab ipsis Christianis, ut colligi potest ex Apocalypsis ἐπιγραφῇ, in qua Johannes Evangelista et Apostolus, Theologi elogio insignitur: atque ex Basilii epist. 2, ad Greg. Nazianzenum, ubi doctrinam Sacrae Scripturae Theologiam nuncupat.

III. Theologia, si rem in se spectemus, est una, si modum rei diversis subjectis inhaerentis, est diversa. Si enim in Deo consideretur, quatenus est scientia, qua se omniaque divina modo divino intelligit, est archetypa; ac proinde, ut ipsa Dei essentia, ita haec scientia communis est Filio cum Patre et Spiritu Sancto; et sicuti unius essentiae divinae tres sunt personae mutua societate et communicatione conjunctissimae, sic eae intime et perfectissime se invicem norunt. Quo respiciens Christus ait, Joh. 7, 29. Ego novi Patrem, quia ab eo sum; et Joh. 10, 15. Prout me novit Pater, et ego novi Patrem.

IV. Si vero Theologia consideretur, quatenus est scientia a

Deo cum creaturis intelligentia praeditis, aut in hoc seculo communicata, aut in futuro communicanda, illa est ectypa. Haecque a Deo tamquam ex archetypo variis communicationis modis ac gradibus exprimitur, nimirum in hominibus in hoc mundo versantibus per gratiam revelationis, in Angelis vero et beatorum Spiritibus in coelum receptis per gratiam visionis, cujus beneficio nos quoque eum ipsum post hanc vitam de facie ad faciem, id est, coram ac proxime contemplabimur sicuti est, 1 Joh. 3, 2.

V. Cum Christo Θεανθρώπῳ haec Theologia fuit a Deo singulari et eximia ratione communicata, per gratiam scilicet unionis, ex qua tanta in animam ipsius sapientiae plenitudo resultavit, quanta ad perfectissimam officii ipsius exsecutionem necessaria est, cujus plenitudinis respectu Deus ipsum unxisse dicitur oleo laetitiae prae ejus consortibus, Psalm 45, 8, eique Spiritum dedisse sine mensura, Joh. 3, 34, ut ex ejus plenitudine omnes in eum credentes certum ejusdem Spiritus demensum acciperent, Joh. 1, 16. Unde et omnes sapientiae ac cognitionis thesauri in ipso absconditi dicuntur, Col. 2, 3.

VI. Nos Theologiam hoc loco ad solos homines in hoc stadio per fidem incedentes restringimus, quam, distinctionis gratia, Theologiam revelationis appellamus.

VII. Revelatio latius sumpta, in naturalem et supernaturalem distribui potest.

VIII. Naturalem vocamus, quae sit vel intrinsecus, per veritatem et legem naturae omnium hominum cordibus inscriptam, de qua disserit Apostolus, Rom 1, 19, et 2, 15, vel extrinsecus, per rerum a Deo creatarum contemplationem, de qua idem disputat, Rom. 1, 20. Supernaturalem nominamus, quam Prophetae et Apostoli immediate a Spiritu veritatis sunt adepti, ut genuinam illius formam partim viva voce, partim scriptis suis Ecclesiae Dei explicarent et custodiendam traderent. Quocirca S. Theologiae revelatio a Deo Prophetis et Apostolis facta, est immediata; quae autem per hos Ecclesiae Dei manifestata est, mediata est.

IX. Nos hoc loco de revelatione supernaturali disserentes, Theologiam definimus, scientiam vel sapientiam rerum divinarum, a Deo per verbi ipsius administros, Spiritu Prophetico afflatos, hominibus in hoc mundo revelatam, atque ad captum eorum attemperatam, ut eos in cognitionem introducat veritatis,

quae est secundum pietatem, ac sapientes reddat ad ipsorum salutem et gloriam suam aeternam.

X. Genus Theologiae, vel scientiam, vel sapientiam facimus. Scientiam quidem,

1. Quia S. Scriptura epitheta et effecta scientiae ipsi attribuit, Es. 53, 11. Jer. 3, 15. Joh. 17, 3. 2 Cor. 8, 7.

2. Quia est notitia rerum necessariarum, vel absolute, ut Dei et attributorum ejus; vel ex hypothesi voluntatis Dei, ut cultus et operum ipsius.

3. Quia veritatis parit ἐπίγνωσιν, Tit. 1, 1, id est, certam mentique profundissime infixam agnitionem evidentissimis suis demonstrationibus, vel per priora et principia constitutionis, ut Matth. 11, 26. Eph. 1, 5, vel per posteriora et principia cognitionis, ut Rom. 1, 20.

XI. Sapientiam quoque genus Theologiae facimus, his moti rationibus:

1. Quoniam Salomon hoc nomine eam nuncupat, Prov. 1, cap. ac sequentibus, et Apostolus Paulus, 1 Cor. 1, 21. et 12, 8.

2. Quoniam principia sua reliquarum scientiarum principiis longe altiora, nempe, sacrosancta et augusta Dei ipsius mysteria humano ingenio inscrutabilia, hominibus methodo docendi exactissima atque excellentissima proponit.

3. Quoniam ejus contemplatio potissimum versatur circa subjecta aeterna, infinita, ineffabilia, immota, spiritualia, coelestia, nullique transmutationi aut corruptioni obnoxia, ut hac de re fuse scribit August. Lib. 12, de Trin. cap. 14.

4. Quod haec veluti omnium disciplinarum norma architectonica, ac suprema omnium actionum rationumque arbitra ceteris scientiis praeluceat, iisque modum bene et beate vivendi, omniaque ad Dei gloriam referendi praescribat. Quidquid enim homo (ut ait Augustinus, Lib. 12, de Trin. cap. 14.) extra Theologiam didicerit, si noxium est, in Sacris Scripturis damnatur, si utile, ibi invenitur et approbatur.

XII. Objectum Theologiae cum res divinas esse asserimus, sub hac applicatione complectimur: 1. Deum ipsum. 2. Dogmata et beneficia divina ad salutarem Dei cognitionem, communionem, et fruitionem necessaria. 3. quaecunque sunt in rerum natura a Deo creata et ordinata, quatenus ad Deum tamquam ad suum

principium et finem sunt referenda. Quo postremo respectu Augustinus in epistola ad Volusianum ipsam quoque Physicam, Ethicam, Politicam aliasque disciplinas terminis Theologiae contineri ostendit.

XIII. Theologiae causa efficiens principalis est Deus, respectu triplicis effecti. Nam 1. illam Prophetis et Apostolis Spiritus sui afflatu suggessit, teste Paulo, 2 Tim. 3, 16. et Petro, 1 Pet. 1, 11. 12. et 2 Pet. 1, 21. 2. Veram illius tractandae formam praescripsit, quae falsis opponitur, 1 Tim. 1, 3. et 6, 4. 3. Efficaciam eidem tribuit mentes nostras salutaribus suis praeceptis imbuendi, Joh. 6, 45. 1 Cor. 3, 7. 1 Thess. 4, 9.

XIV. Theologiae causa instrumentalis est Dei Verbum, hominum divinitus inspiratorum atque immediate a Deo vocatorum ore prolatum, ac sacris libris consignatum, 1 Pet. 1, 11. 2 Pet. 1, 21. Act. 20, 27. 1 Thess. 2, 13. et 4, 8.

XV. Modus, quem Deus in Theologiae revelatione adhibere voluit, a quibusdam dividitur in ἐνδιάθετον seu internum, per solam Spiritus Sancti inspirationem, et προφορικόν seu externum, per organa et adminicula quaedam corporea a Deo cum hominibus communicatum.

XVI. Hic modus olim diverse a Deo Patre, Filio et Spiritu Sancto emanavit. Interdum enim clara voce, interdum somniis, visionibus, symbolis, imaginibus et similitudinibus adhibitis; interdum per Angelos assumpta specie humana; interdum per Prophetas Spiritu Christi actos sub Vetere Testamento Patribus nostris est locutus, Genes. 15, 1. Num. 12, 6. 8. Genes. 18, 13. Exod. 23, 21. Act. 7, 30. 1 Cor. 10, 9. At tandem plenissime per Filium suum in carne manifestatum, Hebr. 1, 1.

XVII. Quamvis hi diversi revelationum modi, ad omnium captum a Deo fuerint accommodati, alii tamen aliis pro diversa fidei mensura illam vel perfectius, vel imperfectius perceperunt.

XVIII. Primus fructus ac finis Theologiae est cognitio veritatis, quae est secundum pietatem, Tit. 1, 1. Qua descriptione veritas supernaturalis a naturali discernitur; quae in homine nondum regenito est insufficiens, et inefficax ad pietatem ac verum Dei cultum cordi ipsius instillandum, ut multis probatur argumentis, Rom. 1. et 2.

XIX. Haec veritas est forma toti Theologiae ac singulis ejus

partibus aequaliter infusa, ideoque Theologus eam passim in sacris literis uno semper eodemque modo considerat.

XX. Secundus Theologiae usus ac finis est, quod nos sapientes reddat ad salutem et omne bonum vitae praesentis et futurae, 2 Tim. 3, 15. 1 Tim. 4, 8.

XXI. Ultimus Theologiae finis est Dei gloria, qua hanc solam sibi proposuit, cum sibi soli sufficiens nulla re indigeat, nihilque ipsi per nos accedere possit.

XXII. Ex his oritur quaestio: An S.S. Theologia sit theoretica, an vero practica? Ad quam quaestionem, Theologorum alii, eam theoreticam, alii, eam practicam, alii, eam mixtam esse, respondent. Nos postremorum responsioni sic astipulamur, ut censeamus eam et theoreticam et practicam esse nuncupandam, tum propter duplicis illius finis, nimirum cognitionis et cultus Dei hac in vita aggregationem, tum propter unius sub altero ordinationem. Quemadmodum enim pietas nostrae beatitati ac gloriae Dei, sic cognitio pietati in sacris literis subordinatur, 1 Tim. 4, 8. Col. 3, 16. Tit. 1, 1.

XXIII. Non ergo theoria et praxis sunt in Theologia differentiae oppositae: sed conditiones inter se ad vitam aeternam consequendam consociatae, suoque ordine collocatae.

XXIV. Nec Theologia in nuda et inani consistit speculatione, sed in scientia practica, voluntatem omnesque cordis affectus efficaciter movente ad Deum colendum ac proximum diligendum. Hinc fides efficaciter agere dicitur per caritatem, Gal. 5, 6. 1 Thess. 1, 3. Hinc quoque se ipsos falsa ratiocinatione fallere dicuntur, qui Dei sermonem solum audiunt, non autem revera praestant, Jacobi 1, 22. et sequentibus.

XXV. Huic verae Theologiae hactenus a nobis explicatae falsa repugnat; in qua bifariam peccatur:

1. Ἑτεροδιδασκαλίᾳ, id est, doctrina ab orthodoxa Prophetarum et Apostolorum institutione prorsus diversa, partim quoad res ipsas, partim quoad rerum tractationem, 1 Tim. 1, 3. et 4, 7. 2 Pet. 2, 1.

2. Ματαιολογίᾳ et λογομαχίᾳ, id est, vaniloquentia et verborum pugna, qua circa inanes quaestiones insanientes a vero immaculatae religionis scopo aberrant, 1 Tim. 1, 6. et 6, 4.

XXVI. Haec falsa Theologia ad tres praecipuas species revocari potest; ad Theologiam scilicet,

1. Ethnicorum, qui Christum Salvatorem ignorant, quam Spiritus Sanctus damnat, Act. 17, 22. 23. 30. et 19, 34. et Rom. 1, 21.

2. Judaeorum, qui Christum (quem Hieronymus in cap. 12. et 13. Matth. vocat caput Sapientiae) aspernantur, ac propterea aliquid sapienter intelligere nequeunt.

3. Haereticorum Pseudochristianorum, qui (ut idem loquitur Hieronymus in Cap. 23. Jerem.) Christi verba furantur, linguasque Prophetarum, Evangelistarum et Apostolorum assumunt, ut errores suos aut in doctrinae Christianae fundamento, aut circa hujus fundamentum, sub fucosae veritatis specie incautioribus propinent.

XXVII. Etsi dogmata Veteris et Novi Testamenti quibusdam inter se differant administrationis adminiculis et circumstantiis, unica tamen quoad substantiam, eademque Theologia in utroque Testamento proponitur, una voluntas Dei de genere humano redimendo, una fundamentalis promissio de salute per Christum conferenda, Genes. 3, 15. et 22, 18. Act. 15, 11. et 10, 43. etc.

XXVIII. Illorum proinde sententia est explodenda, qui triplicem rationem adipiscendi salutem fingunt. Unam scilicet, iis qui ante legem scriptam vixerunt per legis naturae observationem; Secundam vero iis, qui sub lege scripta vixerunt per hujus praestationem; Tertiam denique iis, qui sub gratia Evangelii vivunt, per fidem in Jesum Christum.

XXIX. Maxime vero sententia eorum est expugnanda, qui asserere non verentur, quamlibet Dei patefactionem hominibus qualicunque modo ac modulo factam, ad salutem adipiscendam ipsis etiamnum sufficere.

XXX. Theologia non tantum est νοητικὴ et σημαντικὴ, sed etiam διανοητικὴ. Plerumque enim argumentis utitur ad convincendos contradicentes: atque ex principiis suis ex prioribus per se indemonstrabilibus, aut conclusiones elicit ad veritatem comprobandam, aut solutiones ad captiosas Sophistarum objectiones refutandas, Matth. 22, 32. 33. 1 Cor. 15, 20. 21. 22.

DISPUTATIO II.

DE

S. Scripturae Necessitate et Auctoritate.

Praeside D. ANTONIO WALAEO.

Respondente JOHANNE CRUCIO.

Thesis I.

Quum de natura Theologiae antecedenti disputatione actum sit; sequitur jam, ut de revelationis ejus praecipuo instrumento, nempe S. Scriptura, agamus; quae est omnium Christianorum dogmatum principium et fundamentum.

II. Per S. Scripturam hic intelligimus, non ipsos characteres externos, sed verbum iis characteribus ac literis significatum et comprehensum. Scriptura enim omnis est symbolum et index verbi; verbum vero symbolum et index cogitationum ac conceptuum mentis.

III. Hanc autem Scripturam definimus, Instrumentum divinum, quo doctrina salutaris a Deo per Prophetas, Apostolos et Evangelistas, tamquam Dei actuarios, in libris Canonicis Veteris et Novi Testamenti est tradita.

IV. Etsi vero Deus ante exitum Israëlitarum ex Aegypto, per solum verbum enunciativum, πολυμερῶς καί πολυτρόπως patriarchis communicatum, et per traditionem πατροπαράδοτον, Ecclesiam suam instituit; cum tamen et longaevitas hominum jam minueretur, et corruptio quotidie augeretur, et Satanas oraculis suis atque apparitionibus deceptricibus, quibus Deum et ejus ὁράματα imitabatur, hominum generi jam passim illuderet; placuit Deo, quo divina veritas fidelius conservari, latius propagari, et collapsa facilius instaurari posset, etiam per Scripturas Ecclesiam suam deinceps usque ad finem mundi instituere.

V. Quamobrem et ipse Deus exemplo suo Prophetis hic praeivit: cum legem, quam antea coram toto populo ex monte Sinai pronuntiaverat, lapideis tabulis inscripsit, Ex. 24, 12. et 34, 28. et Mosi ac reliquis Prophetis atque Apostolis, partim manifesto mandato, ut idem facerent, imperavit, ut Exod. 17, 14. et 34, 27. Jer. 36, 2. et 28. Apoc. 1, 19. partim quoque oc-

culto instinctu, ut revelationes suas scripto Ecclesiae traderent, praecepit. Nam tota Scriptura divinitus est inspirata, 2 Tim. 3. vers. 16. et Petrus, 2 Epist. c. 1. agens de Scriptis Propheticis, testatur: Quod Prophetia olim libitu hominis allata non sit, sed acti a Spiritu S. locuti sint Sancti Dei homines.

VI. Ex quo manifestum sit, quam falso Pontificii Doctores asseverent, verbum Dei scriptum Ecclesiae non esse necessarium, et non tam ad esse, quam ad bene esse Ecclesiae pertinere; imo et Ecclesiam Scriptura Sacra carere posse, quemadmodum ea ante Legem latam caruit; et quemadmodum in suis Traditionibus non scriptis magnam divinae veritatis partem hodie conservari, inaniter contendunt.

VII. Etsi enim fateamur, Deum etiam hodie sine Scriptura Ecclesiam suam colligere et tueri posse, quemadmodum olim fecit; tamen cum Verbum suum jam scripto consignari voluerit, et S. Scriptura testetur, id esse fundamentum fidei nostrae, Eph. 2, 20. imo et Christus ipse auditores suos ad Scripturam Vet. Test. ut salutem inde consequerentur, remiserit, Luc. 16. Joh. 5. et Apostolus Johannes, cap. 20. vers. 31. asserat: haec scripta esse, ut credamus quod Jesus sit Christus, et credentes vitam aeternam habeamus in nomine ejus; omnino S. Scripturam ex hac hypothesi jam esse necessariam, et Ecclesiam sine ea consistere non posse, constanter asserimus.

VIII. Hinc etiam apparet impietas sententiae Libertinorum nostri temporis, qui se Zelotas Spiritus appellant. Quorum aliqui Scripturae S. grammaticum et genuinum sensum tamquam literam occidentem Ecclesiae Novi Test. inutilem contendunt, et nescio quae phanatica sui cerebri somnia sub Spiritus titulo hominibus conantur obtrudere. Alii vero usum quidem aliquem ejus in Ecclesia esse concedunt, sed ad prima tantum Christianismi rudimenta; quum vero iidem jam adoleverunt, ac perfecti et regeniti sunt, tum, rudimentariis, Scriptura externa relicta, solius Spiritus instinctu esse proficiendum, et illius dictamen, tam in fide, quam in moribus, tantummodo sequendum.

IX. Haec sententia falsa est et perniciosa, quia S. Scriptura neglecta, nihil certi in Religione Christiana constitui potest, quum nullum κριτήριον aut norma extra eam dari possit, quae

a falsa persuasione et erroris efficacia, quam Deus Evangelii contemptoribus tamquam justus Judex saepe immittit, divinam veritatem distinguat; et quia Spiritus S. nonnisi per verbum externum et S. Scripturam in cordibus hominum ad salutem est efficax; unde et Paulus suum ministerium, ministerium Spiritus appellat, 2 Cor. 3.

X. Nec minus falsa est, et S. Scripturae contraria, opinio altera. Nam S. Scriptura usum sui et necessitatem, non tantum rudibus et Alphabetariis in Christianismo, sed et perfectioribus ac regenitis passim commendat, nec tantum in Vetere, sed etiam in Novo Test. quemadmodum ex multis Scripturae locis et exemplis liquet; imprimis vero ex inscriptionibus omnium fere Epistolarum Apostolicarum. Paulus enim Rom. 1, 7. et 8. testatur, se scribere omnibus qui Romae erant, dilectis Dei, et vocatis Sanctis, quorum fides per totum mundum erat celebris, 1 Cor. cap. 1, vers. 2. Sanctificatis in Christo Jesu, et omnibus qui invocant nomen Christi in omni loco. Cap. 10. vers. 15. φρονίμοις, id est sapientibus. Ad Philip. 3, vers. 15. τελείοις, id est perfectis. Timotheo, et Tito epistolas mittit, qui jamdiu Evangelistarum munere erant defuncti. Petrus 2. Epist. c. 1, v. 1. scribit iis, qui ἰσότιμον fidem cum ipso sortiti erant. Johannes 1. Epistola cap. 2, vers. 12. Patribus, qui eum norant qui est a principio: item Adolescentibus, qui fortes sunt, in quibus Verbum Dei habitat, et qui malum illum vicerunt. Quemadmodum et Apost. Judas inscribit Epistolam suam, vocatis, a Deo Patre sanctificatis, et a Jesu Christo servatis, vers. 1.

XI. Necessitate igitur Scripturae adversus Jesuitas et Libertinos evicta, deinceps nobis explicandum, unde ejus auctoritas pendeat, vel ut clarius loquamur, unde nobis constet, eam esse divinam, et αὐτόπιστον. Haec autem quaestio adversus duo hominum genera nobis examinanda est: primo, adversus homines profanos, qui cum Celso, Porphyrio, Juliano et similibus Ecclesiae Christi hostibus, Scripturae divinitatem in dubium vocant; deinde adversus Pontificios, qui auctoritatem eius ex solo Ecclesiae suae testimonio suspendunt.

XII. Quod eos attinet, qui totius S. Scripturae divinitatem in dubium vocant, cum illi Spiritu Christi adhuc sint vacui, ex

Spiritus Sancti testimonio, quod omnibus argumentis est validius, convinci non possunt: nam Spiritum illum mundus non novit, neque recipere potest, ut Christus Joh. 14, 17. testatur. Alia ergo arma adversus eos expedienda sunt, ut ipsorum animus sub obedientiam Christi paulatim redigatur, si forte per Spiritum suum illorum cordibus illucescat; aut ut ipsi contumaciae suae convicti, αὐτοκατάκριτοι maneant. Reducemus vero illa argumenta ad haec tria genera.

XIII. Primum argumenti genus petimus ex illis notis et criteriis, quibus cujuscunque historiae fides et veritas solet et potest explorari. Nam si constet Historiam Sacram esse veram ac certam, eadem opera necessario constabit, eam esse divinam et θεόπνευστον; quia ipsa sibi ubique suae divinitatis testimonium amplissimum praebet.

XIV. Arrianus in praefatione, Lib. 1. de expeditione Alexandri, in historiis humanis certa veritatis κριτήρια esse asserit: Primo, si illi qui scribunt, sint personae fide dignae. Secundo, si actionibus quas scriptis mandant, ipsi interfuerint. Tertio, si neque necessitas, neque merces eis proposita fuerit, quare aliter, quam accidisset, scriberent. Quibus Josephus contra App. L. 1. et hanc addit, si de eisdem rebus eadem omnes scripserint.

XV. Haec, et quaecunque alia certitudinis historicae κριτήρια afferri possunt, multo ampliora et evidentiora in Historia Sacra exstant, quam in ullis scriptis humanis. Nam Scriptores Sacri, partim Reges et Principes fuerunt, partim in re ac statu tenuiori, sapientia plusquam humana celebres, omnes vero viri sancti et sinceri, qui nec suos nec suorum lapsus, si qui acciderint, dissimularunt; et qui sanctitatis ac justitiae testimonium, non tantum apud universos suos discipulos, sed ipsos quoque peregrinos et hostes meruerunt. Quemadmodum Flavius Josephus Lib. contra App. 1. Aegyptios ipsos hujus rei testes citat: qui Mosen ἄνδρα θαυμαστὸν καὶ θεῖον, admirandum et divinum, existimabant. Et Strabo, Lib. 16. Geographiae, Mosi et priscis Israëlitis hoc testimonium praebet, quod fuerint δικαιοπραγοῦντες καὶ ἀληθῶς θεοσεβεῖς, justitiae cultores, et vere pii. Atque ipse Josephus, Johanni Baptistae, Jacobo fratri Domini, et Servatori nostro simile testimonium reddit, sicut et Plinius Junior, Lib. 10 epist. 101. ad Trajanum Impera-

torem, de primis et Apostolorum aetati coaevis, aut proximis Christianis id ipsum testari fuit coactus.

XVI. Iidem quoque Scriptores Sacri, auditores et spectatores fuerunt eorum, quae scriptis consignarunt; idque sub conscientia multarum hominum myriadum, qui eadem viderunt, et audiverunt. Nullam quoque mundanam gloriam, aut opes, per scripta sua quaesiverunt; sed contra, non nisi persecutiones, cruces, et mortes illis in mundo fuerunt exspectandae; quum nulla ipsis, nisi adversum ipsos, arma essent parata, et plerique ipsorum suo sanguine veritatem a se propositam libenter obsignarint. Omnes denique uno consensu, diversis in locis, diversis temporibus, diversis conditionibus, eadem omnino docuerunt, et posteris suis reliquerunt. Aut nulla ergo humana scripta pro veris habenda sunt, aut Sacrae Historiae pro veris et certis ab omnibus sunt agnoscendae, ac proinde et pro divinis.

XVII. Haec ratio hominis profani mentem convincere potest; quae sequuntur, etiam, per Dei gratiam, fidem ingenerare.

Secundum ergo genus argumenti petitur a perfectione et divinitate Religionis, quae libris illis continetur. Veram enim Religionem a Deo solo profectam esse, nemo unquam negavit, quum illa foedus Dei cum homine comprehendat, atque ideo falsarum quoque Religionum Auctores divinitatem aliquam sint ementiti. Jam vero Religionem Christianam solam ex omnibus, quae hactenus in mundo publice receptae sunt, esse veram, inde demonstratur, quod illa sola verae, ac proinde et divinae Religionis notas habeat.

XVIII. Notae autem infallibiles Religionis verae, conscientia hominum id ipsis dictante, hae sunt. Primo, quod in illa verus Deus Creator, et Gubernator omnium rerum solus agnoscatur, et colatur; sicuti in sola Religione Christiana sit. Nam Ethnica, quae post Christianam est vetustissima, creaturas, imo et malos Genios pro Diis colit. Turcica vero, et Judaica hodierna, etsi de vero Deo glorietur, praeterquam quod ipsarum origo in mundo est recens, veri Dei atque operum ejus notitiam ineptissimis fabulis et commentis conspurcat.

XIX. Secunda verae Religionis nota est: Quod in ea sola vera ratio explicetur, per quam homo peccator cum Deo reconciliari possit, quam in Christiana sola

etiam reperire est; quia in illa sola sacrificium peccatis expiandis idoneum, et irae Dei placandae sufficiens invenitur. Quum contra in Ethnica per sacra nefanda, (qualia Saturni, Veneris, Cereris, Bacchi etc. fuerunt) in Turcica vero et Judaica hodierna, per inanes et superstitiosos ritus id frustra quaeratur, qui cutem et carnem a sordibus, non animum et conscientiam a peccatis purgare possunt.

XX. Tertia Religionis verae nota est: Quod in ea vera et perfecta Officia erga Deum et proximum praescribantur; quod in nulla quoque, quam Christiana Religione sit; in qua omnes tam internae, quam externae hominum actiones ad Deum colendum referuntur, omnia seria ac sancta praecipiuntur; in qua Deum supra omnia, proximos vero, imo et hostes nostros, sicut nos ipsos, jubemur diligere. Ethnici autem impiis ludis gladiatoriis et scenicis numina sua colunt. Judaei inanes ceremonias, et externum tantum legis corticem observant, et S. Scripturae Vet. Test. manifestam vim inferunt. Ethnici vero, et Turcae, praeter superstitiosos cultus, quibus Deum venerari se profitentur, officia erga homines vel imperfecta praecipiunt, vel horrenda scelera in eos admittunt, religione ipsorum ea vel permittente, vel saltem impunita omnino relinquente.

XXI. Tertium vero argumenti genus et praecipuum petitur a certis divinitatis notis, quas Deus in S. Scriptura peculiariter exstare voluit. Nam etsi S. Scriptura divinitatem suam omnibus in locis testetur, iis qui oculos a Spiritu Dei apertos habent; tamen quemadmodum quidam a sole radii procedunt, qui reliquis sunt illustriores et magis conspicui, ita etiam in divina illa S. Scripturae luce, divinitatis quidam luculentiores radii diversis in locis se produnt, qui auctorem suum apertissime manifestant.

XXII. Inter quos primo sunt miracula omnem creatam potentiam longe excedentia; quibus verbum Dei initio fuit obsignatum, idque in conspectu totarum gentium, et sub oculis eorum, qui huic doctrinae totis viribus restiterunt; quorum multa quoque apud exteros historicos testimonia manifesta habent; quemadmodum Justinus Martyr, Tertullianus, et alii antiqui scriptores Christiani, in Apologeticis suis scriptis adversus gentiles demonstrant.

XXIII. Deinde idem evidenter ostendit S. Scripturae materia: ad quam referimus tempus, et ordinem creationis mundi, propagationis hominum et gentium in mundo; dogmata de Deo uno et trino, Christo θεανθρώπῳ, resurrectione carnis, extremo judicio, et similia; quae nulli sapientum hujus seculi unquam in mentem venerunt, ac proinde a solo Deo revelari potuerunt; item decem verbis Decalogi, omnem pietatem et justitiam; sex petitionibus precum Dominicarum, omnia ad salutem necessaria, divina plane methodo comprehensa. Huc quoque referimus prophetias et praedictiones sacras, aliquot annorum centurias, imo et chiliades, eventum ipsum antegressas. Quales praecipue sunt, praedictiones de venturo Messia, stante adhuc republ. Judaica; Prophetiae de vocatione gentium ad Ecclesiae communionem; Prophetiae de Idololatriae Ethnicae abolitione per adventum Christi, de liberatione gentis Judaicae ex servitute Aegyptiaca, et Babylonica; de eversione ultima urbis et gentis Judaicae; de haeresium multarum exortu; de erectione et eversione regni Antichristi, etc. Huc denique referimus promissiones spirituales credentibus in Christum factas, nempe remissionis peccatorum, pacis conscientiae, circumcisionis cordis, spiritus precum et adoptionis, tolerantiae in cruce, et similes; quarum effectum veri fideles sentiunt; increduli vero in aliis, velint nolint, coguntur obstupescere, et contrarias minas poenarum spiritualium in se ipsis frequenter experiri.

XXIV. S. Scripturae forma et finis idem evincit: atque imprimis in eadem divina dogmata, summus ubique consensus, in maxima styli simplicitate maxima majestas et efficacia, leges eaedem latae regibus et subditis, promissiones et poenae utrisque communes denuntiatae, idque non tantum externis actionibus, sed etiam consiliis et cogitationibus eorum secretissimis; finis ubique Dei gloria, et hominum salus, misericordiae erga humiles, et judiciorum adversus contumaces demonstratio.

XXV. Adde huc effecta plane divina. Nam ubicunque verbum Dei et S. Scriptura locum invenit, ibi Satanae ludibria, et spiritualis ejus potestas evanescunt; sicuti post Christi ascensum in orbe cognito factum videmus, stupentibus et mirantibus Ethnicis, cur daemonum oracula cessarent; et nostro aevo, ubi S. Scriptura in hominum manibus versari coepit, Satanae

praestigiae, et vis omnis, qua in ignorantiae tenebris antea usus fuerat, fere disparuit. Eodem referenda est tot gentium in tenebris sedentium, sine armis, per solum hunc spiritualem gladium, et sanctorum patientiam, ad Christum conversio; tot hominum, qui antea sceleribus et mundi coeno involuti erant, in sanctitatis et justitiae exempla omnibus seculis et locis mutatio, quorum nihil simile ulla alia religio habuit.

XXVI. Idem denique testantur horum librorum quaedam adjuncta. Inter quae est eorum antiquitas, omnium humanorum scriptorum vetustatem longe excedens; antiquissima autem religio a Deo, utpote origini suae proxima; item perpetua adversus eam Satanae odia et molitiones, tyrannorum persecutiones ac frustanei conatus, imo et Dei adversus eos horrenda judicia, qualia in Antiocho Epiphane, Juliano Apostata, et similibus orbis universus vidit.

XXVII. Hae sunt illae notae, ex quibus horum librorum divinitas luce clarius patescit; quam quivis re ipsa experietur, qui sese animo sincero, et salutis suae studioso, ad eorum lectionem et meditationem serio accingit.

XXVIII. Nec vero hic audiendus Socinus, atque alii nonnulli Christiani, qui Sacram Scripturam in rebus praecipui momenti divinam quidem esse concedunt, in circumstantiis tamen et rebus levioris momenti scriptores ejus a Spiritu Dei destitutos errare potuisse; quia haec sententia profanitati viam sternit, et S. Scripturae diserte repugnat, quae testatur, quaecunque scripta sunt, ad nostram institutionem esse scripta, Rom. 15, vers. 4. Et totam Scripturam esse divinitus inspiratam, 2 Tim. 3, vers. 16. Item nullam Scripturam esse interpretationis propriae 2 Pet. 1, vers. 20. Imo ne jota quidem unum ex lege perituram, Matth. 5, vers. 18. Nec cuiquam hominum licere ei quicquam addere vel demere, Deut. 4. Apoc. ult.

XXIX. Ex illis quae hactenus a nobis explicata et demonstrata sunt, jam perspicuum est, quam falso Pontificii multi contendant, Ecclesiae majorem auctoritatem esse, quam Scripturae; alii vero, Scripturae auctoritatem a solo Ecclesiae testimonio, saltem quoad nos, pendere.

XXX. Etsi enim libenter fateamur, ad Ecclesiae officium per-

tinere, ut S. Scripturam custodiat, cum omni religione ac cura ejus integritatem conservet, a corruptelis hominum vindicet, ejusque divinitatem aliis manifestet, ac probet, unde et στῦλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας a Paulo 1 Tim. 3. vocatur; nulla tamen hinc Ecclesiae in Scripturam auctoritas est colligenda, sed ministerium tantum et praeconium, quemadmodum principum et magistratuum edicta, a praeconibus et ministris auctoritatem suam non mutuantur, etsi per eos innotescant, et publicentur.

XXXI. S. Scripturae vero auctoritatem longe majorem esse quam Ecclesiae, inde nobis manifestum sit; quod Ecclesia errare possit, Scriptura non possit; deinde quod Ecclesiae autoritas (quaecunque tandem illa est) a Scriptura sit, sicut Pontificii ipsi agnoscunt, cum auctoritatem suam ex Scriptura probare conantur; denique quia Spiritus Sancti testimonium, quod omnibus veris Christi ovibus commune est, Joh. 10. item notae illae divinae, quae in Sacra Scriptura se produnt, majoris multo sint auctoritatis et ponderis, etiam quoad nos, quam solum Ecclesiae testimonium, cum Ecclesiae hoc testimonium persuasionem non nisi humanam; Spiritus Sanctus autem, per Scripturae illas divinas notas, fidem salvificam et divinam animis nostris ingeneret.

XXXII. Imo et testimonium Ecclesiae antiquae, quae Prophetis et Apostolis coaeva aut proxima fuit, nobis multo majoris est ponderis, quam hodiernae; quia Ecclesia illa antiqua, praeter illa argumenta quae cum hodierna habet communia, externa quoque et singularia Propheticae et Apostolicae missionis signacula audivit et vidit. Nempe responsa per Urim et Tummim, miracula, Spiritus S. singularia dona, prophetiam extraordinariam, et similia. Quare et Ecclesia hodierna antiquae illius testimonio, ad librorum divinorum auctoritatem agnoscendam, uti quoque debet et solet. Omne autem argumentum, quo aliquid probatur, evidentius et nobis notius esse debet, quam ipsa conclusio.

XXXIII. Tantum vero abest, ut sacrorum librorum auctoritas ab Ecclesiae testimonio vel solum, vel praecipue apud fideles pendeat; ut contra nullo modo ab illo pendeat. Nam sicuti lex a Magistratu aliquo lata, a nullis pendet, nisi a quibus ipse Magistratus pendet; ita lex divina a nemine pendere potest, nisi ab ipso Deo: qui a nulla creatura pendet. Et sicuti prin-

cipia prima, ac normae immotae non pendent ab utentium auctoritate, sed ab eorum institutore solum, et a sua ipsarum luce atque evidentia; ita quoque S. Scriptura, omnium sacrorum dogmatum supernaturale principium, et morum ac fidei immota regula, non nisi a Deo, qui eam dedit, et a propria sua luce, quam ei indidit, pendere potest.

XXXIV. Idcirco etiam Prophetae et Apostoli, auctoritatem verbi a se praedicati et scripti, nunquam humanae, imo ne angelicae quidem, auctoritati subjecerunt, sed solius Dei; quemadmodum in Propheticis et Apostolicis prooemiis ac protestationibus passim est videre. Atque ideo denique Christus et Apostoli nunquam discipulos vel auditores suos ad Ecclesiae auctoritatem remittunt; sed vel ad Scripturam Vet. Test. vel ad notas illas, atque efficaciam vere divinam, quae se in eorum cordibus exserit, quibus Deus hujus seculi mentes non excaecavit. Gal. 3, 1. et 2. 2 Cor. 3, 3. 4. 2 Cor. 13, 5. 6. etc.

DISPUTATIO III.

de

Libris Canonicis et Apocryphis.

Praeside D. ANTONIO THYSIO.

Respondente THEODORO GISBERTI.

Thesis I.

Loco de S. Scripturae Auctoritate universim proposito, subjicimus eum, qui est de libris Canonicis. Deus enim ex pluribus dictis, scriptisque (ut salvo aliorum judicio arbitramur) divinis, quae serviebant aliquando praesenti Ecclesiae usui, Num. 21, 14. Jos. 10, 13. 2 Chron. 33, 19. 1 Cor. 5, 9. August. Lib. de Civ. Dei, 18, c. 38. Theod. ad Jos. eos singulari providentia selegit, conservarique voluit, qui toti Ecclesiae ad veritatis et pietatis Canonem seu Regulam necessarii utilesque erant, Luc. 1, 1. 2. 3. Johan. 20, 30. 31, qui omnes simul, Sacra Scriptura seu libri Canonici dicuntur.

II. Est autem Sacra Scriptura, seu libri Canonici, Syntagma seu digestum sacrorum librorum, a Deo per servos suos divinitus afflatos, pro cujusque temporis et populi ratione, literis linguaque ab iis maxime intellectis, originaliter conscriptorum, totique Ecclesiae commissorum, ad communem et perpetuam de salutari veritate, nempe de Deo, ejusque benevola et benefica voluntate, institutionem; fidelioremque verbi et veritatis ejus conservationem; ulteriorem propagationem, et certiorem corrupti restaurationem.

III. Appellantur Scripta haec: Scriptura Dei, Sancta, Ex. 32, 16. Sacra, Rom. 1, 2. Sacrae literae, 2 Tim. 3, 15, et absolute κατ' ἐξοχὴν Scriptura, Joh. 10, 35, seu Scripturae, Joh. 5, 39. Sancta quidem, quod a communi usu segregata; Sacra vero, quod Deo dicata; adeoque Sacrosancta, scilicet ab auctore Deo Sancto; rerum sanctarum et sacrarum argumento; scriptionis charactere divinae sanctitati congruo, sanctificationis fine effectuque. Quin etiam Verbum, Sermo, Eloquium, Oraculaque Dei; item Lex, Doctrina, Testimonium, Foedus et Testamentum Dei, etc. Psal. 19, 8. et 119. Esai. 2, 3. Rom. 3, 2. 2 Cor. 3, 14. 2 Pet. 3, 16. Atque his appellationibus, ut Vetus Testamentum fere insigniatur, comprehenditur tamen et Novum. Estque in his, excellentiae istorum, supra omnia humana qualiacunque scripta, declaratio; imo ab iisdem disjunctio.

IV. Quum Syntagma esse definitur, totum et corpus quoddam, pluribus partibus membrisque constans, seu digestum ac codex pluribus sacris libris constitutus, significatur, 2 Tim. 3, 16. Ut porro singuli Scripturae libri, βίβλου et voluminis, Luc. 3, 4. Act. 1, 20, ita plures simul partes, et totum, praeter Scripturae vocem sylleptice sumptam, et Scripturarum appellationem, Bibliorum Sacrorum, et simpliciter Bibliorum κατ' ἐξοχὴν, nomenclatura venit, Deut. 29, 21. Act. 7, 42. 1 Cor. 15, 3. 4.

V. In hoc vero Syntagmate, consideramus singulorum librorum Scriptionem, et omnium simul Collectionem digestionemque.

VI. Scriptionis singulorum istorum librorum, causa efficiens principalis, jussu instinctuque suo, Deus Pater est, in Filio, per Spir. S., Exod. 17, 14. Jerem. 36, 1. Apoc. 1, 1. et 2. cap.

etc. Administri seu instrumenta, sancti Dei servi, Θεόκλητοι καὶ Θεόπνευστοι, divinitus vocati et afflati, et φερόμενοι, acti S. Spir. Unde Scriptura θεόπνευστος, divinitus inspirata, appellatur, 2 Timoth. 3, 16. Rom. 16, 26. 2 Pet. 1, 20. Veruntamen Decalogum Deus ipse suo digito exaravit, qui propterea singulariter Scriptura Dei dicitur Exod. 32, 15. Deut. 10, 4. et divinitus, humana manus, ad Balthazaris regis profanum epulum apparens, certa exitii praenuncia verba parieti inscripsit, Dan. 5, 5. 24, et Christus digito suo quaedam in terra scripsisse commemoratur, Joh. 8, 6. 8.

VII. Modus scriptionis hic fuit: modo Deus inspirantis et dictantis, Scriptores vero amanuensium, et ad certam formulam scribentium, Exod. 34, 27. 28. Apoc. 2, 1. etc.; modo assistentis et dirigentis, Matth. 22, 43. Hebr. 1, 1. ipsi vero, commentantium et auctorum rationem habuerunt, Luc. 1, 1. 3. Non enim semper mere παθητικῶς, passive, sed et ἐνεργητικῶς, effective se habuerunt, ut qui et ingenium, mentisque agitationem et discursum, et memoriam, dispositionem et ordinem stylumque suum (unde scriptionum in iis diversitas) adhibuerunt, Amos. 7, 14. 15. 2 Cor. 10, 10. et 11, 6, praesidente tamen perpetuo Spiritu S., qui ita eos egit et rexit, ut ab omni errore mentis, memoriae, linguae et calami, ubique praeservarentur, 2 Sam. 23, 1. 2. 1 Cor. 7, 25. 40.

VIII. Quin et illi aliorum etiam interdum opera, ut scribarum, usi sunt, ut Jeremias Baruchi, Jerem. 36, 4. Paulus Tertii, Rom. 16, 22; aut alienas scriptiones sua voce et auctoritate comprobarunt, ut Petrus Marci, Paulus Lucae Evangelium, ut volunt veteres Patres. Orig. apud Euseb. Eccl. Hist. Lib. 6. cap. 19.

IX. Materia scriptionis, est sermo, quo res, mens sententiaque divina, puta de natura Dei, ejusque gratuita et benevola voluntate, enunciatur; estque hic sermo, seu sermonis genus et character plane divinus, 1 Cor. 2, 13. Forma autem est in veritatis et mentis divinae, sermone prolatae, divina expressione, scripto facta. Finis denique, est omnium, et praesentium, maxime absentium, de rebus divinis institutio, 2 Cor. 10, 10. 11. Joh. 20, 31. Rom. 15, 4., quae, prout scriptio vel ad pauciores, vel plures primo dirigebatur et spectabat, ita vel particularior, vel communior fuit.

X. Authentica porro Scripturae editio ea censenda est, quae αὐτογράφως, id est, primitus et originaliter, divina auctoritate est edita: quae est ἀρχέτυπον ipsum, Deut. 31, 9. 24. 26. 2 Reg. 22, 8. 13. 2 Paral. 34, 14., aut ejus ἀπόγραφον, id est, exemplar, Deut. 17, 18., nempe singuli libri V. T. Hebraice, (nisi quod pauculae voces, sententiae et capita Chaldaice sint scripta) Novi vero Graece, praeter paucula Hebraice et Syriace inserta, ac Graece fere reddita; quod ea lingua tunc Orienti et Occidenti communissima esset, Cic. pro Archia poeta: stylo tamen partim vulgari, partim Hebraeo-graeco, Hellenistis Judaeis usitato.

XI. Expressa ex Authentica, est et ipsa Scriptura Sacra, quatenus ea in alias linguas religiosissime translata, presse et plene (quantum quidem ejus fieri potest) ei respondet; quod fieri non licitum modo et utile (secus quam quidam Pontificii volunt) sed omnino necessarium est, Act. 2, 4. 6. 11. Neh. 8, 8. 9. 14. 18, ut cujus usus est omnium, Deut. 31, 11. Col. 3, 16. ab omnibus et quibusvis, etiam Laicis, intelligi, legi, audirique possit, 1 Cor. 14, 9. 11. 19. 27. Ineptum tamen, aut Graecam 70 Interpretum, aut Latinam utriusque Testam. versionem, cum iisdem Pontificiis, aut ullam aliam, non receptam usitatamque modo, sed Authenticam, facere. Concil. Trident. Sess. 4. c. 2.

XII. Haec de scriptione sacrorum librorum. Συλλογὴ seu collectio et digestio eorum, facta est et ipsa divinitus, idque partim immediate, partim mediate. Immediate quidem librorum illorum, qui a Scriptoribus divinis, ut primo toti Ecclesiae exarati, ita et ei commissi et commendati sunt, Rom. 3, 2. Ut in V. T. libri Mosis, (qui in Sacrarium ab ipso illati, juxta Arcam, divino mandato, positi fuerunt, Deut. 31, 2.) et in Novo, Evangelia, quae, ut subjecto communia, ita nullam, excepto Lucae, particularem inscriptionem prae se ferunt. Atque in his veritatis salvificae fundamentum est.

XIII. Mediate vero illorum, qui ab Auctoribus ipsis quidem ad particulares primum Gentes, Ecclesias, easque augustissimas et metropoles, vel earum Antistites (idque particulari saepe occasione, 1 Cor. 1, 11. et 5. 6. 7. 8. 9. capitibus) scripti, usum primum habuerunt particularem; atque ab his non temere seu fortuito, sed singulari Dei providentia (quae Ecclesiis de

necessariis prospicit) conservati, cumque aliis communicati, Col. 4, 16. 2 Thess. 3, 17. 2 Pet. 3, 15., tum mandato, tum pietatis sanctaeque communionis lege, divinoque instinctu, ab iis, imo omnibus, ut divini acceptati sunt; idque non libero aliquo Ecclesiae actu, sed necessaria susceptione. Atque in his salvificae illius veritatis uberior explicatio est.

XIV. Haec autem communicatio et acceptatio, tum locum habuit, cum certum judicium de iis libris fieri et haberi potuit; nempe (praeter insitas et supra dictas notas) tum ordinarie seu ordinariis mediis, vel Scriptoris ipsius divini Testimon., Joh. 21, 24. Luc. 1, 1. 3. vel, αὐτῇ χειρὶ, id est, propriae manus scriptione, Gal. 6, 11, aut subscriptione, quae a fidelibus tunc temporis cognoscebatur, quo judicio Paulus ψευδεπιγράφας epistolas a germanis discerni voluit, 2 Thes. 2, 2. et 3, 17. vel fidis ejus rei Testibus, qui in inscriptione, vel salutationibus adhibentur, Rom. 16, 21. 22. 1 Cor. 1, 1. et 16. 19., tum extraordinarie, Prophetarum (quum Prophetiae donum in Ecclesia adhuc vigeret, 1 Cor. 12, 4. 7. et 14, 29. 32.) judicio. Atque hoc judicium tantum primae Ecclesiae fuit; posterioris, proprie est ejus recognitio, et sibi commissi divini depositi apud posteros commendatio, et in manus traditio, Rom. 3, 2.

XV. Unde factum est, ut de quibusdam libris (qui judicio Prophetarum et Apostolorum cessante, a succedente Ecclesia serius cum reliquis sunt communicati) ab aliquibus aliquando dubitatum iisque contradictum sit. Certe omnes, post Zachariam et Malachiam postremos Prophetas, (a quibus deinceps Sapientes Synagoga Judaica enumerat) Jos. contra App. apud. Eus. Lib. 3. c. 9. ut et post obitum Apostolorum et Apostolicorum virorum, cum extraordinariis donis Prophetia desinente, aut saltem interrupta, (a quo tempore Patres inchoat Ecclesia) scripti editique, pro utilibus quidem et Ecclesiasticis, at vero non pro sacris et divinis, sunt habiti.

XVI. Finis istius collectionis, et conjunctionis librorum sacrorum est, ut haec Scriptura universae Ecclesiae Dei perfectus et perpetuus Canon esset, et Regula veritatis coelestis, id est, fidei et vitae, Ps. 102, 19. Rom. 15, 4. 2 Tim. 3, 16., utque Verbum Dei, et eo comprehensa veritas, conservaretur, ulterius propagaretur, et si quae corruptio incidisset, certius restauraretur, Luc. 1, 4. Mat. 22, 29.

XVII. Quare haec Scriptura atque libri, Canonici, Ecclesiastica appellatione, in Syn. Laod. Euseb. passim, Athan. in Synopsi, e Scriptura deducta, 2 Cor. 10, 13. Gal. 6, 16. Phil. 3, 16. vocantur; nempe quod singuli eorum relati sint in Canonem et ad eum pertineant, simulque omnes perfectum omnibus modis Canonem constituant, id est, non tantum plenum numerum ac catalogum librorum sacrorum, sed et Regulam et Normam omnis sanae sanctaeque doctrinae, cultusque divini; qualiter dum simpliciter dicuntur, id ipsum non in parte, sed universim, et adaequate ad res, quarum sunt Canon, intelligendum est.

XVIII. Proinde sola haec Scriptura, Principium a quo; et Materia ex qua omnis salutaris veritas deducenda; Canon et Norma, ad quam exigenda omnis vera, adeoque et falsa de rebus divinis doctrina, Esai. 8, 20. Luc. 16, 29. Act. 17, 10. 11. Testis denique et Judex αὐτόπιστος et irrefragabilis, sua scilicet evidentia, a quo judicanda omnis, quae de rebus divinis agitatur, controversia, Joh. 5, 39, 45.

XIX. Κριτήριον autem, seu Norma judicii, hisce axiomatis comprehenditur. 1. Quicquid ea continetur, aut cum ea vel expresse, vel firma consequentia consentit, verum dogma est. 2. Quod dissentit, falsum esse necesse est. 3. Quicquid autem ea non continetur, quamvis simpliciter ab ea non dissentiat, non est necessarium ad salutem dogma.

XX. Libri vero Canonici, ac proinde Canon, fuerunt initio libri Mosis, Deut. 4, 2. Rom. 2, 17. 18. 19. 20, quibus alii accesserunt, partim ad praxin et historiam Ecclesiae, ut succedentes Historici; partim ad interpretationem, applicationem et uberiorem praedictionem de Messia, ut Didactici, et Prophetici sic dicti; partim ad impletionem et complementum praedictionum de Messia ejusque regno, ut Novum Testamentum, etc. 2 Pet. 1, 19. Ita ut V. Testam. sit fundamentum Novi, Novum Veteris complementum. Adeoque hisce libris Canon non est factus perfectior, quoad universalia salutis dogmata, sed quoad eorum singularitatem, claritatem et evidentiam.

XXI. Divisio librorum in V. et N. Testamentum, 2 Cor. 3, 14. non est intelligenda simpliciter respectu Legis et Evangelii, quatenus opponuntur, (nam Evangelium, quod idem est re cum

promissione, etiam est in Vetere Foedere, et Lex pariter in Novo, Gal. 3, 8. Heb. 4, 2. Rom. 10, 4.) sed respectu totius dispensationis salutis factae Veteri et Novo populo. Atque ut ibi est promissio, ita hic ejus exhibitio, seu Evangelium specialiter dictum, Rom. 1, 1. 2. Quamvis a potiore parte denominatio esse possit.

XXII. Etiam distinctio in Propheticam et Apostolicam, Rom. 16, 26. 2 Pet. 1, 19. non ita accipienda est, quasi V. T. libri omnes sint Prophetici proprie et singulariter, respectu subjecti, ita dicti, sed auctorum, quod a Prophetis scripti, vel saltem approbati fuerint; neque quod soli sint Prophetici, quum et N. Test. tales sint, Eph. 2, 20. et 3, 5 et 4, 11, sed nomine Prophetarum ad veteris populi Prophetas restricto, quique Christum ejusque regnum praedixerunt.

XXIII. Utriusque Testamenti libri, si omnes sigillatim enumeres, sunt LXVI. Veteris quidem XXXIX, Novi vero XXVII. Atque illorum Catalogus et nomina haec sunt. Quinque libri Mosis, Josua, Judices, Ruth, duo Samuelis, duo Regum, duo Chronicorum, Esdras, Nehemias, Esther, (quem omittit Melito et eum secuti alii, Euseb. Eccl. Hist. Lib. 4, c. 25. Quidam vero eum dubitanter recensent, Nazianz. in Metricis, sed errore manifesto, propter additamenta, totum apocryphum arbitrantes) Job, Psalmi, tres Salomonis, Proverbia scilicet, Ecclesiastes et Canticum Canticorum, Jesaias, Jeremias, Threni, Ezechiel, Daniel, Hoseas, Joel, Amos, Obadjas, Jonas, Micha, Nahum, Habacuk, Zephanjas, Haggaeus, Zacharjas, Malachias.

XXIV. Veteres Judaei, pro numero Alphabeti Hebraeorum, ad XXII libros redigunt, Joseph. cont. Appion. binos hos Judicum et Ruth, utrumque Samuelis, Regum, Chronicorum, itemque Esdrae et Nehemiae, Jeremiae Prophetiam et Threnos, XII item Prophetas Minores, sub uno singulos comprehendentes. Quod et Christiani veteres fere sequuntur, Hieronym. in Prol. Gal. nisi quod, qui Esther omittunt, Ruth seorsim numerent, Melito apud Euseb. etc. Orig. apud. Euseb. Lib. Hist. 6, c. 19. aliique. Atque pro duplicium literarum Heb. numero, quinque duplices designari plerique volunt, scilicet, ut Hieronymus, in Prol. posteriores illos quinque, ut Epiphanius priores, Libro de Pond. et mensuris. Nonnulli 24. supputant, historiam Ruth et Threnos sejungentes, Hier. in

Prol. Gal. Unde posteriores Judaei Scripturam Veteris Testamenti עשרים וארבע Esrim vearba appellant.

XXV. Enumerationi distinctionem subjicimus. Eam porro missam facientes, quae est secundum Auctores et Tempus scriptionis, quod sit obscurior et accuratioris inquisitionis, distinguimus certis Classibus, quae Judaeis, Graecis, et Latinis non sunt ejusmodi. Atque secundum ordinem quem constituunt, in sacris Bibliis ab iis fere disponuntur et collocantur.

XXVI. Antiquissima partitio ea est, quae ab Esdra putatur facta, qua usa est vetus Synagoga, quamque approbavit Christus et Apostoli, qui libros hos distribuunt vel in duos ordines, Legem Mosis (quae simpliciter Lex, et Moses dicitur) et in Prophetas, Act. 28, 23. Matt. 5, 17. Luc. 16, 29., vel interdum in tres, nempe et Psalmos, Luc. 24, 44, sub quibus tamquam praecipuo libro reliquos Hagiographos comprehendunt, quos Josephus hymnos et ὑποθήκας, id est, praeceptiones vitae appellat, Josephus contra Appion., Hieronymus Hagiographa, in Prologo, voce generaliore speciatim accepta.

XXVII. Discrimen tantum est in numero. Josephus secundi ordinis 13. Jobo et Daniele Prophetis annumerato; reliquos quatuor, tertii ordinis facit. Hieron. ex Judaeorum sententia ait, quod post Legem, quam תורה Thora vocant, cujus libros singulos a prima voce denominant, nempe בראשית Bereschith, id est, in principio, etc., secundo ordini octo assignant, qui sunt: Josua, Judices et Ruth, Samuel, Reges, Esaias, Jeremias, Ezechiel, et תריעשר Tereasar, id est, duodecim Prophetae, qui et liber Prophetarum dicitur, Actor. 7, 42. Reliquos vero IX. Hagiographis deputant, Job, David quem quinque incisionibus, et uno Psalmorum volumine comprehendunt, Salomonis Parabolae, Ecclesiastes, Daniel, Verba dierum seu Chronicon, Esdras, Esther; quibus addunt nonnulli Ruth et Threnos.

XXVIII. Cum hac, eadem est hodierna Hebraeorum; quamvis quatuor ordines facere videantur. Nam post Legem, quam חמשה חומשי תורה Chamissa chomese thora, id est, πέντε πεντάδας νόμου id est, quinque quintas, scilicet partes, seu quiniones Legis appellant; subjiciunt seu conjungunt cum Lege, Sepher seu חמש מגלות Chames megilloth, id est, quinque volumina, puta Canticum Canticorum, Ruth, Echa, id est, quomodo, (ab initiali voce) Ecclesiasten,

Estherem; non tamquam secundam Bibliorum partem, sed ob singularem Synagogae usum, anniversariam scilicet certis temporibus, juxta Legem eorum, lectionem, ab Hagiographis divulsa. Secundus itaque illis ordo, נביאים Nebiim, id est, Prophetarum, quos distinguunt in priores et posteriores; illi, qui a Josua usque ad Jesaiam ab Hieron. numerati; hi reliqui, forte a tempore quo scripserunt, et eorum libri in Ecclesiae thesaurum sunt depositi, nominati sunt. Tertius denique כתובים Kethubim, quem γραφεῖα, alii ἁγιόγραφα vocitant.

XXIX. Graeci, et ab iis Latini, Nomina, Numerum, Ordinem et Distinctionem fere eandem tenent. Quinque libros Mosis, Chald. voce חומש Chomas expressa, πεντάτευχον; singulos vero a materia, γένεσιν, ἔξοδον, λευϊτικόν ἀριθμοὺς (numeros,) δευτερονόμιον, ut Judaei quidam משנה תורה Misne thora, id est, iterationem Legis, appellant. In Historicis ordinem temporis fere sequuntur, atque Octateuchum vocitant; ac sunt, Josua, Judicum, Ruth, libri Regum quatuor, (quibus Samuelis et Regum comprehendunt) παραλειπομένων, id est, Relictorum duo, (qualiter Chronicorum libr. indigitant) Esdras et Nehemias, Esther, in qua Historiam finiunt. Deinde subjiciunt Jobum, Psalmos, Salomonis παροιμίας seu Parabolas, Ecclesiasten, ἆσμα (Canticum). Denique duodecim Prophetas, ac quatuor reliquos, (inter quos et Daniel, qui insignis fuit Propheta, Dan. 1. 17. Matth. 24, 15.) At Latini hos illis praemittunt.

XXX. Distinctiones vero in Classes, aliae atque aliae. Inter Graecos quidem Greg. Nazianzenus, Lib. suorum Carm. Historicos facit XII, Mose Historicis etiam annumerato; quinque Metricos seu Poëticos, Jobo iis accensito. Denique quinque Prophetarum: XII Prophetis uno volumine conjunctis. Epiph. nonnihil aliter, Lib. de Mens. et pond., quem et sequitur Damasc. Quatuor πεντατεύχους seu quinarios, et unum binarium facit. Primus est, νόμος seu νομοθεσία, Lex seu Legislatio. Secundus, γραφεῖα, seu ut alii, ἁγιόγραφα, ut sunt Josua, Judicum cum Ruth, Regnorum 1. et 2, (seu Regum potius), item tertius et quartus, Paralip. 1. et 2. qui praeter Judaeorum consuetudinem ita dicuntur. Tertius, στιχήρεις, ante recensiti. Quartus, προφητικός, scilicet δωδεκαπρόφητον, et singuli reliqui. Binarius denique, Esdras, et Esther.

XXXI. Scholastici vero similiter distinguunt in libros Lega-

les, Historicos, Dogmaticos seu Sapientiales, ut vocant, et Propheticos, quos in Majores et Minores distinguunt.

XXXII. Novi porro Testamenti libri, numero sunt xxvii. In eorum vero dispositione, non temporis, quo sunt scripti, sed materiae dignitatisque habita fere ratio est.

XXXIII. Distinguuntur vulgo in quatuor Classes. Prima, Evangelia, id est, dictorum factorumque Christi Historiam, Luc. 1, 1. 2. Actor. 1, 1. a quatuor Scriptoribus; duobus quidem Apostolis, Matthaeo et Johanne. Joh. 21, 20, 24. et duobus Apostolicis viris, Marco et Luca, quorum ille Petro et Paulo, hic vero singulariter Paulo συνεργός fuit, 2 Timoth. 4, 11. 1 Petr. 5, 13. descriptam continet. Secunda, Acta Apostolorum; quae initia et propagationem Ecclesiae per Apostolos, Luca similiter auctore, explicat, Actor. 1, 1. 2.

XXXIV. Tertia autem Apostolorum Epistolas, pro re nata ad uberiorem veritatis Evangelicae declarationem scriptas, complectitur; puta tum Pauli xiv ad Ecclesias quidem nobilissimas, utpote ad Romanos, ad Corinthios binas, Galatas, Ephesios, Philippenses, Colossenses, Thessalonicenses binas; ad Ecclesiarum vero Antistites de earum regimine, ad Timotheum duas, et ad Titum; in re familiari ad Philemonem, datas; ac denique ad gentem integram, ad Hebraeos scilicet; tum aliorum Apostolorum septem, Jacobi, Petri duas, Johannis tres, atque Judae; quae (exceptis duabus Johannis ad electam Dominam et Gajum) quod ad plures scriptae sint, Catholicae, quodque sub una formula ad plures mitterentur, Canonicae dicuntur, ut voce ea utitur Cassiod. Libr. ii. Epist. 33, quas Suet. in Domit. c. 13. Formales vocat. Postrema denique, Apocalypsin habet Johannis Apostoli, quae Prophetiam status Ecclesiae ad finem mundi exhibet.

XXXV. Ex his, de Epistola ad Hebraeos, ejusque auctore; Jacobi, item duabus posterioribus Johannis, Judae, atque Apocalypsi, ejusque auctore, dubitatum a quibusdam fuit; Eus. Lib. 2. Hist. cap. 22. Idem, Lib. 3. c. 18. et 19, tum quod serius forte in Canonem illati, tum quod quidam ex illis viderentur aliqua continere reliquis non satis congruentia. Verum id privatum potius fuit quorundam judicium, neque satis attenta et recta inita fuit rerum expensio. Contra, divinos esse hos libros, cum antiquae Ecclesiae judicio, Orig. ad Psal. 1,

ut est apud Euseb. Lib. 6, tum rerum stylique divina majestate, evincitur. Illam ad Hebraeos Pauli esse, Timothei cooperarii Pauli mentio, valedictionis consueta formula, Heb. 13, 23. 24. et Petri, qui suam quoque Epistolam Hebraeis per Asiam dispersis inscripsit, 2 Petr. 3, 15, auctoritas arguit. Styli vero diversitatem ad Lucae aut Clementis, aut alterius interpretationem, referunt Veteres. Tertull. Barnabae tribuit. Apocalypsin Johanni Phraseologia vindicat.

XXXVI. Atque hi Libri, Divini, Authentici atque Canonici sunt; qui vero extra hos, sive apud Graecos, sive Latinos, istis junguntur, ἀκανόνιστοι appellantur, quos in humanis, Ecclesiasticis, atque Apocryphis habemus, Orig. apud. Eus. Lib. 6. cap. 19. Hier. in Praefat. Sunt vero V. T. vel Supplementa et Appendices ad libros Sacros; ut Manassis oratio Latine edita, subjecta libr. Paralip. Appendix ad Estheram, a 10. cap. ad finem libri; ad Jobum, a versu 56, cap. 42. Ad Psalmos, Psalmus 151, qui in Graecis exemplaribus est; ad Jerem. Prophetiam, Baruch et Epist. Jeremiae; praefatio ad Threnos: ad Danielem, Hymnus trium Puerorum, Historia de Dracone, Abacuco, et Susanna; quo etiam referimus omissa et addita, praeter contextum Hebr. a Septuaginta Interpretibus. Vel sunt libri integri, ut liber 3. item et 4. Esdrae (qui tantum Latine exstat) Tobiae, Judith; utrumque hunc ex Chaldaico vertisse se Hieronymus dicit; Macchabaeorum duo, et tertius, in Graecis; Sapientia, quae dicitur Solomonis, sed Philonis est sub Solomonis titulo; Ecclesiasticus Jesus Syrach, quem Hebraice quidem ab avo scriptum commemorat, sed conservatus non est.

XXXVII. Ex quibus quaedam et Pontificii Apocryphis accensent, scilicet Precationem Manassis, appendicem Jobi, Psal. 151. Praefationem ad Jeremiam, et utrumque Esdrae, et postremum Macchabaeorum; reliquos in Sacris habent, Conc. Trid. sess. 4. Sed nos omnia eodem ordine, quoad auctoritatem, habemus, ideoque neque cum Sacris miscenda, nec publice tamquam divina in Ecclesia legenda esse, asserimus, Laod. Syn. c. 59, quamvis, ut utilia, privatim haberi et legi posse non diffiteamur.

XXXVIII. Causae quod nulla ex his scriptis in Sacris habeamus, sunt primo, Quod Prophetico Spiritu non sint edita, utpote, post tempora Artaxerxis scripta, quibus explorata am-

plius non fuit Prophetarum διαδοχή, Successio, Rom. 16, 26. Joseph. contra App. 2. Quod in Arca, ut tabulae Legis, neque juxta Arcam, ut libri Mosis, fuerunt reposita, Deuter. 31. Epiph. de Mens. et pond. 3. Quod Lingua Hebr, non sint scripta, aut in ea conservata, neque ab Ecclesia Judaica, quibus divina Oracula concredita fuerant, unquam pro ejusmodi sint agnita, Joseph. ibid. 4. Neque etiam a Christo, Apostolis et prisca Christiana Ecclesia; sed pro adulterinis habita, Amphilochius apud Balsam. Nazianz. apud eundem, et a postera Ecclesia, non sine magna varietate et disceptatione, aliquatenus admissa, puta, ut Ecclesiastica, Syn. Carthag 3. Aug. de doct. Christ. Rufinus ad Symb. 5. Quod denique absurda, fabulosa complurima, et Sacris Literis non consentientia, contineant, quae nimis longum esset hoc loco recensere.

XXXIX. Qui praeterea libri Apostolorum aut eorum Discipulorum nomina prae se ferunt, eos ut ψευδωνύμους inter Apocryphos, habemus, quamvis non ejusdem sint ordinis. Antiquis multum celebrati sunt, Liber Pastoris, qui Hermeti inscribitur, tantae olim in quibusdam Orientis Ecclesiis auctoritatis, ut in iis publice legeretur, Eus. Lib. 3, c. 3. etc. c. 32. etc. Hier. in Prol. Galeato. Item Epistola Barnabae, et Clementis duae Iren, Lib. 3. c. 3. aliique libri nonnulli. Reliqui plane abdicati fuerunt, ut τῆς ἀποκρυφῆς potius, quam ἀναγνώσεως ἄξιοι, occultatione potius, quam lectione digni, ut loquitur Athanasius in Synopsi.

XL. Quantum vero Fidei ac Spei Symbolum attinet, a Veteribus etiam Fides, et Fides Catholica; Expositio, Confessio seu Professio; Regula Normaque, Articuli, atque Capita Fidei Veritatisque; Syn. Laod. c. 46. et Iren. Lib. 1. c. 1. et 2. Tert. de Praescript. et contra Praxeam. Hier. ad Paumach. August. Serm. de Temp. 19. et de Fide et Symb. Amb. ad epist. 81. et Apostolorum Symbolum, appellatum, quod, etiam ante Synodum Nicaenam, in Ecclesiis alibi (maxime ob Haereses obortas) non quidem re, sed verbis nonnihil variavit; in Occiduis autem intemeratum servatum fuit. Atque Symbolum quidem, id est, Collatio vel Nota dicitur; quia in eo, mira simplicitate et brevitate, collatio collectioque Fidei Christianae facta sit; omnibusque Fidelibus pro nota, indicio, tesseraque

esset, qua inter se unitatem testarentur, et ab infidelibus haereticisque disjungerentur; Clem. Rom. ad Jas. Ruf. in Symb, Apostolicum vero, vel quod ab Apostolis in orbem universum digredientibus, ut quidam (fide tamen non satis certa) scribunt, non singulatim singulis suum Articulum conferentibus, (unde duodenarium eorum numerum inepte sane, nisi forte memoriae ergo faciunt) sed communi consensu compositum est, Aug. de Temp. Ser. 115. Vel potius, quod ab Apostolicis viris, aut prisca Ecclesia, ex Doctrina scriptisque Apostolorum ut ejus summarium, totidem fere verbis collectum conceptumque, in Ecclesiis, saltem Occidentis, a Catechistis, Catechumenis memoriae mandandum, viva voce traditum, a Baptizandis autem Diabolum solemniter renuntiantibus, et Deum profitentibus, redditum sit, August. Lib. 1. de Symb. ad Catechum. Laod. Syn. c. 46. Matth. 28, 19. Id, inquam, si non auctore, re tamen, ac fere verbis, plane divinum est.

XLI. Ecclesiasticis denique scriptis, puta Synodis, et imprimis Synodorum Universalium symbolis, ut Nicaeno, Constantinopolitano, Ephesino, Chalcedonensi, (quibus et Athanasii adjungimus) tamquam totius Ecclesiae judicio, ex verbo Dei instituto; Sanctis quoque Patribus, eorumque consensui, non parum deferimus. Haec tamen omnia ad primam Veritatem, Scripturam scilicet Sacram, referenda et exigenda esse censemus, a qua, ut luna a sole, lumen suum et fidem accipiunt, August. Lib. 3. contra Maxim. cap. 14.

DISPUTATIO IV.

DE

Sacrae Scripturae perfectione, et inutili traditionum non scriptarum ad eam adjectione.

Praeside D. JOHANNE POLYANDRO.

Respondente ABRAHAMO SWALMIO.

Thesis I.

Expositis quaestionibus praecedentibus de Sacrae Scripturae necessitate, auctoritate, et numero librorum Canonicorum ab Apocryphis distinguendorum, nunc quarta, de illius perfectione, est excutienda.

II. Sacrae Scripturae perfectio a quibusdam dupliciter consideratur, aut ratione materiae, seu ipsarum rerum in hac vita ad salutem simpliciter cognitu necessariarum, aut respectu formae externae, seu vocum, atque enunciationum genuinum illarum rerum sensum plane exprimentium, quam alio nomine perspicuitatem appellamus. Nos de priore Sacrae Scripturae perfectione hoc tantum loco disputabimus; tum absolute in se, tum relate ad traditiones non scriptas et opposite consideratas.

III. Bellarminus, in sua disputatione de Verbo Dei non scripto, statum quaestionis sic describit, Lib. 4. c. 3. Nostros Theologos docere, in Scripturis omnia contineri ad fidem et mores necessaria, ac proinde non esse opus Verbo non scripto; Pontificios vero Doctores asserere, in Scripturis non contineri expresse totam doctrinam necessariam, sive de fide, sive de moribus, ideoque praeter Verbum Dei scriptum, requiri verbum Dei non scriptum, id est, divinas, Apostolicas et Ecclesiasticas traditiones.

IV. In qua status controversiae descriptione, tria ab ipso omissa desiderantur; quorum 1. est, omnia dogmata tam de fide, quam de moribus, quae ad integram et salutarem Dei cognitionem summamque beatitatis consecutionem necessario requiruntur, sufficienter Verbo Dei scripto comprehendi, vel expresse, seu totidem

verbis disertis, vel analogice, seu verbis aequipollentibus atque ex ipso Sacrae Scripturae fonte per proximam, necessariam, perspicuam, atque indubitatam consequentiam deductis. Quod nos asseveramus.

V. Alterum est, traditiones illas non scriptas, tamquam vel ore tenus a Christo, vel a Spiritu Sancto dictatas, et continua successione in Ecclesia Catholica conservatas, pari pietatis affectu, eademque reverentia esse suscipiendas, qua omnes libros tam Veteris quam Novi Testamenti suscepimus. Quod statuit Concilium Tridentinum. 1. Decreto Sess. 4.

VI. Tertium est, Sacras Scripturas sine traditionibus nec fuisse simpliciter necessarias, nec sufficientes. Quod disserit Bellarminus de Verbo Dei non scripto, Lib. 4. c. 4 etc. Stanislaus Hosius adversus Brentium, Lib. 4. de Traditionibus.

VII. Probationes, quibus asseverationis nostrae Thesi quarta expositae veritatem adversus Pontificios astruimus, sunt partim divinae, partim ecclesiasticae, quarum priores ex ipso Verbo Dei scripto, posteriores ex scriptis patrum Orthodoxorum haurimus.

VIII. Priorum probationum prima sumitur a Verbi scripti encomiis, quibus summa ejus perfectio, tum ab auctore, tum a virtute et efficacia, ipsi ab auctore suo ad finem, quem is intendit, infallibiliter consequendum communicata, denotatur. Ab auctore enim suo, nempe Deo causa omnium suprema, cujus omnia opera sunt perfecta, Deut. 32, 4. interdum Verbum Dei, ut 2 Petr. 1, 21. interdum Lex Dei, ut Psal. 1, 2. et 19, 8 et 119. interdum Scriptura divinitus inspirata vocatur, ut 2 Tim. 3, 16. A virtute et efficacia sibi a Deo immediate communicata, dicitur posse hominem sapientem reddere ad salutem, 2 Tim. 3, 15.

IX. Secunda petitur ab epitheto perfectionis ac sufficientiae, quod ipsi expresse attribuitur Ps. 19, 8. 9. Lex (id est, doctrina) Dei est integra. Integrum autem est cui nihil deest, et extra quod nihil eorum quae sunt ejus, accipi potest, ut recte observavit Arist. Lib. 2. de coelo c. 4. Nihil ergo quod lex Dei est, extra legem Dei scriptum reperitur.

X. Hinc Deus olim prohibuit, ne quid legi suae adjiceretur,

aut detraheretur, Deuter. 4, 2. Quod interdictum de lege ab ipso Mose conscripta esse intelligendum, tum ex Mosis, tum ex Pauli patet interpretatione. Moses enim totam Dei legem vocat verba in libro suo conscripta, Deut. 28, 58. Et Paulus, Galat. 3, 13. Propterea quod nihil a Mose Dei nomine Israëlitis viva voce traditum fuerit, quod literis non consignarit; teste ipso Mose, Exod. 24, 4. Deut. 31, 9.

XI. Ex illa legis integritate hoc porro argumentum a comparatis elicitur: Si lex Veteris Testamenti est integra, nihilque in ea desideratum fuit ad salutem populi Israëlitici necessarium: multo magis tota doctrina Veteris ac Novi Testamenti est integra, nihilque in ea desiderari potest, quod necessarium sit ad salutem populi Christiani. Illud verum esse, David eodem Psal. 19. probat ab his legis adjunctis, et effectis, quod sit recta, justa, auro pretiosior, melle dulcior, parvulis veram sapientiam suppeditans, et beatos reddens quotquot ex animo in ea meditantur.

XII. Tertia probatio nititur titulo Testamenti, quo Sacra Scriptura insignitur, Hebr. 9, 15. 16. 17. Testamenti autem haec est prima proprietas, ut perfectam Testatoris voluntatem declaret, et plus satis idoneum sit ad omnia et singula haeredi significanda quae ad adeundam haereditatem requiruntur. Secunda, ut eo confirmato, nullus illud abroget, aut aliquid ei superaddat, sicuti ex ipso Gentium jure, atque exemplo, ostendit Apostolus, Galat. 3, 15. Quod etiam citat Basilius de fide disserens, et Augustinus in Psal. 21.

XIII. Quarta probatio inde eruitur, quod sit regula fidei et vitae, ut videre est Galat. 6, 16. Quicunque secundum hanc regulam incedunt, pax erit super eos, et misericordia. Et Phil. 3, 16. Omnis autem regula adeo est perfecta, ut nullam diminutionem, aut adjectionem admittat: alioqui non esset regula. Quod Gerson ad Sacrae Scripturae normam convenienter applicat in tract. de exam. doct. Tom. 1. parte 2.

XIV. Propterea Apostolus Johannes Sacrae Scripturae canonem hac postrema sua praemonitione sic obsignat, ut illa ad universum quoque Scripturae corpus extendi debeat, Apoc. 22, 18. 19. Si quis adjecerit ad haec, imponet ei Deus plagas scriptas in libro isto. Et si quis abstulerit

ex verbis libri Prophetiae hujus, auferet Deus partem ejus ex libro vitae, ex urbe sanctorum, atque ex iis quae scripta sunt in libro isto.

XV. Quinta deducitur ex verbi pronunciati et scripti, tamquam duorum adminiculorum ἀντιστρεφομένων atque aequipollentium, exaequatione. Nam et Scriptura, verbi divini, et hoc vicissim, illius nomine insignitur. Unde sicuti Christus et Apostoli nihil extra Scripturas Veteris Testamenti dicere voluerunt, teste Evangelista, Luc. 24, 27. Actor. 17, 2. et 26, 22. ut innuerent, quicquid olim a Mose et Prophetis viva voce fuit prolatum, idem ab ipsis, quoad rei summam ac substantiam, scripto fuisse comprehensum: sic etiam Apostoli et Evangelistae eodem, quo Moses et Prophetae, Spiritu pariter afflati, ex pari officio sibi a Spiritu Christi injuncto, totum de Christo Evangelium a se annunciatum, literis mandarunt, ut colligi potest ex variis locis, ac nominatim ex Phil. 3, 1. Non piget me eadem vobis scribere, quae scilicet ex me audistis. 2 Thes. 2, 15. Retinete traditam doctrinam quam edocti estis, sive per sermonem, sive per Epistolam nostram. 1 Johan. 1, 3. 4. Quod vidimus et audivimus, id etiam annunciamus, ut vos communionem habeatis nobiscum; et communio nostra sit cum Patre et Filio ejus Jesu Christo. Et haec scribimus, ut gaudium vestrum sit plenum. Luc. 1, 3. 4. Visum est mihi omnia ad te scribere, ut agnoscas earum rerum veritatem quas auditione accepisti. Et Act. 1, 1. Librum confeci de omnibus quae coepit Jesus facere et docere.

XVI. Sexta probatio petitur ab enumeratione partium essentialium, materiae scilicet, et formae. Materia Scripturae consistit in rerum amplitudine, quas Deo placuit electis suis revelare. Forma in infallibili rerum illarum certitudine, et genuina secundum Dei praescriptum repraesentatione. Ex quibus haec duo eruimus:

XVII. Primum, respectu materiae, omne quod ad hominis salutem est necessarium, aut mediorum, aut finis analogi rationem habet. Utraque in sacris literis reperiuntur. Media etenim fini analoga, sub fidei in Jesum Christum, et finis mediis illi analogis, sub vitae aeternae nomine synecdochice comprehen-

duntur: Joh. 17, 3. Haec est vita aeterna, ut te cognoscant solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum, et 20. 31. Haec scripta sunt, ut credentes vitam habeatis per nomen ejus.

XVIII. Secundo, formae ratione, quae ex admirabili Dei οἰκονομίᾳ toti sacro volumini ac singulis ejus paginis sic est indita, ut ipsum Deum veritatis salutaris archetypum nobis passim ob oculos proponat; ideoque a Mose κατ' ἐξοχὴν vocatur sapientia et scientia perfectissima coram omnibus populis, Deut. 4, 6. a Christo ipsa veritas, Joh. 17, 17. a Paulo veritas secundum pietatem, Tit. 1, 1. Nec non, sermo fidelis, sanus, irreprehensibilis et dignus qui omnibus modis recipiatur.

XIX. Septima probatio exstruitur ex partibus ejus integralibus, Lege scilicet, et Evangelio, id est, caritatis ac fidei praeceptis, in quibus tota religio Deo grata nobisque salutaris continetur. Quod autem constat omnibus partibus integrantibus, est integrum et totum, et quod totum est, perfectum est, et vice versa. Haec enim invicem convertuntur.

XX. Octava ratio est a perfectis ejus effectis, quod hominem, scilicet, sua institutione reddat perfectum, et perfecte instructum ad omne opus bonum, eumque pleno gaudio perfundat, 2 Tim. 3, 17. 1 Joh. 4. Effectorum perfectorum causam quoque perfectam esse necesse est.

XXI. Nona petitur a gravissima Esaiae commonefactione, quoslibet ab humanis commentis ad solam Scripturae Mosaicae ac Propheticae normam revocantis, cap. 8, 20. Ad legem et ad testimonium; si non dixerint juxta hoc verbum, nulla ipsis est lucis scintilla. Si autem prisca Ecclesia Judaica ab Esaia ad solam Scripturam sub lege conscriptam reducitur, pari ergo ratione, imo majori, ad solum Veteris simul et Novi Testamenti testimonium Ecclesia Christiana remittitur.

XXII. Decima est a communi et confesso Judaeorum testimonio, ab ipso etiam Christo approbato, Joh. 5, 39. Scrutamini Scripturas, nam existimatis vos in ipsis vitam habere. Si Judaei hoc recte, ex Christi sententia, de Scripturis Veteris Testamenti existimarunt, nos idem ergo majori jure de toto utriusque Testamenti volumine censemus.

XXIII. Undecima est a responso Abrahami, Luc. 16, 29. quo testatur, fratres divitis epulonis, si audiant Mosem et Prophetas, eam posse ex scriptis eorum haurire cognitionem, quae sola ad cruciatus inferorum evitandos sufficiat.

XXIV. Duodecima est ab usu Sacrae Scripturae, ad hominem Dei, id est, Ecclesiae Doctorem, adeoque et auditorem, secundum omnes partes sacrosancti Ministerii plene informandum. Utilis enim esse dicitur ad doctrinam, redargutionem, correctionem, institutionem in justitia, 2 Tim. 3, 16, et ad consolationem, Rom. 15, 4.

XXV. His probationibus divinis, ad retundendos Pontificios Patrum auctoritate adversus nos plerumque abutentes, addi possunt testimonia Irenaei, Lib. 3. cap. 1. Basilii, Epistola 1. et 80. Chrysostomi, Homil. 1. in Acta, Tertulliani adversus Hermogenem, Ambrosii, Lib. 1. Hexaem. cap. 6. Hieronymi ad Demetriadem Virginem, et in Mich. Lib. 1, cap. 1. Justini Martyris in Tryph. Origenis in Jerem. Homil. 1. Augustini, Lib. 2. de Doctr. Christ. cap. 9. et Lib. 7. Confess. c. 7. atque aliorum Patrum, asserentium, Scripturas esse fidei columnam et scaturiginem, tantamque earum esse plenitudinem, ut in iis omnia sufficienter inveniantur, quae continent fidem, moresque bene beateque vivendi, spem scilicet, et caritatem; quae testimonia hic, brevitatis gratia, non reponimus.

XXVI. Hactenus S. Scripturam absolute, atque in se consideratam, perfectam esse demonstravimus; eandem relate ad traditiones non scriptas et opposite consideratam, duplici respectu perfectam esse asserimus. Aliae enim generaliori et impropria significatione sumptae, utiles sunt ac necessariae ad salutem; aliae specialiori, ac propria significatione acceptae, inutiles et non necessariae. Illae per ἰσοδυναμίαν seu aequipollentiam, tamquam ὁμογενεῖς, ac Sacrae Scripturae consentaneae, Sacrae Scripturae finibus includuntur; hae tamquam ἑτερογενεῖς, ac dissentaneae, iis excluduntur. De illis recte docet Nazianzenus, Lib. 5. Theologiae, quod quidem sint, tamen non expresse dicantur in Scripturis; de his, quod nec in iis sint, nec in iis dicantur.

XXVII. Utraeque aut sunt dogmata aut rituales. Illae tantummodo divinae, Propheticae et Apostolicae; hae vero humanae ratditiones sunt appellandae.

XXVIII. Quicquid enim est divinum, illud vel tacite, vel expresse, aut κατὰ γένος aut καθ' ἕν, a Prophetis et Apostolis est conscriptum. Male ergo divinae traditiones a Bellarmino distinguuntur ab Apostolicis, Lib. 4. de Verbo Dei non scripto, c. 2. Nullae etenim traditiones, extra sacras literas Apostolorum manu consignatas, pro divinis sunt habendae; nullae ad Apostolicarum album referendae, tamquam ab Apostolis Spiritus Sancti assistentia, ut loquamur verbis Bellarmini, institutas, quarum summa capita nusquam in Scripturis inveniuntur.

XXIX. In censu traditionum, quae in sacris literis inveniuntur, iisque insunt per aequipollentiam analogicam, contra quam Pontificii arbitrantur, praeter articulos Symboli Apostolici, haec axiomata collocanda censemus. Infantes Christianorum esse baptizandos; Coenam Domini mulieribus quoque esse impertiendam; Jesum Christum esse Deo Patri suo ὁμοούσιον seu coessentialem; Duo esse, nimirum, Baptismum et Coenam Domini, novi foederis sacramenta; Baptismum non esse iterandum; Apostolos ex inspiratione Spiritus Sancti diem Dominicum selegisse in locum diei Sabbati a Judaeis usque ad ipsorum tempora sanctificati, et similia quae καταχρηστικῶς traditiones Apostolicae a quibusdam Patribus nuncupantur, nimirum, ab Origene, in c. 6. ad Rom. Augustino, Lib. 4. de Baptismo contra Donatistas c. 23. Theodoreto, Lib. 1. c. 8. Histor. Eccles. Epiphanio, haeres. 69. adversus Arrianos, et aliis.

XXX. In catalogo traditionum, quarum aliae nullo modo exstant in Sacris Scripturis, aliae iis repugnant, haec sequentia ponimus: Paschatis sub Novo Testamento celebrationem die Dominico decimumquartum diem Lunae Martii proxime sequente; Superstitiosum quadragesimae jejunium; Adorationem imaginum et reliquiarum; Invocationem Sanctorum; Signi crucis adorationem; Missae sacrificium; Transubstantiationem panis in S. Coena; Abrogationem usus calicis in eadem; Circumgestationem panis per vicos et compita, ut adoretur; Chrisma, Aquae lustralis benedictionem, Vota Monastica, Peregrinationes,

Recitationes salutationis Angelicae ad Virginem Mariam. Nec non Canones, qui (sicuti et praecedentium traditionum pleraeque) Apostolis a Pontificiis falso ascribuntur.

XXXI. Alii enim ex Patribus Canones illos in totum tamquam adulterinos rejecerunt, alii aliquot duntaxat ex iis admiserunt, ut videre est apud Zephyrinum, et Gratianum in 1. part. decret. dist. 16. Alii eos immutarunt, ut patet ex c. 6. Sextae Synodi; qualis est inter ceteros Canon 68. quo jubetur, Clericum quadragesimam non jejunantem, deponendum, laicum vero communione privandum.

XXXII. Ceteras quoque traditiones supra numeratas esse adulterinas et supposititias, vel ex eo constat, quod pleraeque earum (ut supra indicavimus) scriptis Apostolicis ex diametro adversentur. Quaecunque autem ab Apostolis, vel ore, vel scripto sunt tradita, sibi invicem utrobique sunt consona, utpote ab uno eodemque Spiritu veritatis dictata, qui sibi nunquam contradicit, neque, ita et non, aut nullam repugnantiae speciem, in Apostolorum doctrina inveniri voluit, 2 Cor. 1, 19.

XXXIII. Nec praetereundum est, quod Pontificii in ista traditionum non scriptarum enumeratione sibi contradicunt. Nam, ut reliquas nunc praetereamus, Cajetanus Missae sacrificium traditionibus Apostolicis non scriptis ascribit, in cap. 2 Thess. 2, 2. Bellarminus vero illud in S. Script. praecipi, ex variis hujus locis probare satagit, Lib. 1. de Missa c. 6. et seqq.

XXXIV. Notandum praeterea, quod Pontificii asserant, Apostolos non omnia sibi a Deo revelata cum omnibus suis auditoribus communicasse, sed quaedam palam et universis, quaedam secreto et paucis demandasse. Quam assertionem Tertullianus, Lib. de praescriptione adversus haereticos, non immerito ipsam dementiam nuncupat.

XXXV. Ista enim assertione Apostoli non obscure, perfidae atque inexcusabilis inobedientiae insimulantur, quasi aliquam partem mysteriorum sibi a Deo revelatorum, ut ea omnibus a se instituendis pro muneris sibi injuncti necessitate patefacerent, Matth. 10, 27. et 28, 19. tum in concionibus, tum in scriptis suis praetermiserint. Quod ut negat Apostolus Paulus, Act. 20, 27. sic contrarium asseverat, 1 Cor. 1, 5. 6. et 15, 1. 2. 1 Thess. 1, 5. 2 Thess. 2, 13. 14. 15.

XXXVI. Ex eadem assertione sequitur, neminem posse certo scire, quaenam sint arcanae illae traditiones, et quibus regulis vel notis verae a falsis distinguantur.

XXXVII. Nam regulae ac notae, quae extra Sacram Scripturam, certissimum sui et obliqui in omnibus credendis et observandis indicem, a Bellarmino proferuntur, Lib. 4. de Verbo Dei non scripto c. 9. incertae sunt, obscurae et fallaces. Non enim omnia dogmata, quae universa Ecclesia circa Scripturam amplectitur, ac servat a proximo ab Apostolis aevo, communique Doctorum ejus consensu approbantur, ab ipsis Apostolis prodiisse, necessario credendum est; sed e contrario, propterea quod ab ea ejusque Doctoribus, sine Scripturae auctoritate recipiantur, ac retineantur, pro traditionibus non Apostolicis sunt habenda.

XXXVIII. Quicunque enim in eo errant cum Ecclesia Romana, quae continuatam ab Apostolis successionem sibi arrogat, ut existiment non omnia in Sacra Scriptura contineri ad salutem necessaria; in hoc altero facile decipi possunt, ut putent, aliquam doctrinam esse Apostolicam, quae tamen non profluxerit ab Apostolis.

XXXIX. Cui rei testimonio est Ecclesia primitiva Apostolicae proxima. Papias enim errorem Chiliastarum sub titulo traditionis Apostolicae in eam invexit, teste Eusebio, Lib. 3. cap. 39. et Irenaeus, velut ex traditione Apostoli Johannis, docuit Christum passum fuisse anno fere aetatis suae 50. Lib. 2. c. 39. 40. In quibus illam Ecclesiam a suis Doctoribus deceptam fuisse, ipsi quoque Pontificii confitentur.

DISPUTATIO V.

DE

Sacrae Scripturae Perspicuitate et Interpretatione.

Praeside D. ANTONIO WALAEO.

Respondente ROMBERTO STELLINGWERF.

THESIS I.

QUAE hactenus de S. Scriptura disputata sunt, eo pertinent, ut ei divina sua majestas et dignitas constet; quae vero sequuntur, ejus usum et fructum in Ecclesia Christi proprie commendant; nam cognitio divinitatis, auctoritatis, et perfectionis ejus parum nobis prodesset, nisi ea et a fidelibus intelligi, et ad dogmata fidei ac morum constituenda, in Christi Ecclesia explicari, atque applicari recte posset.

II. Ut igitur hic S. Scripturae usus et fructus, Ecclesiae Christi integer maneat, de ejus Perspicuitate, atque Interpretatione deinceps nobis est agendum.

III. Sacrae Scripturae lux, seu Perspicuitas, duobus modis considerari potest: vel absolute et in se, vel relate ad nos et intellectum nostrum.

IV. Absolutam et in se consideratam S. Scripturae lucem, nobiscum agnoscunt etiam saniores Pontificii. Cum enim S. Scriptura a Patre luminum profecta sit, non potest non in se continere veritatem et lucem purissimam, qua mentes eorum, qui eam cognoscunt, illustrentur, et ab errorum tenebris liberentur. Quamobrem et sapientia, et Thesaurus scientiae Scriptura vocatur, et puritas ejus auro septies recocto, ac carbunculis pretiosior esse affirmatur, Prov. 3, 13. etc.

V. Tota ergo controversia in ejus perspicuitate ad nos relata consistit; quia perspicuum hic proprie dicitur, quod claritate sua aliis conspicuum est, et ab iis cognosci, et intelligi potest, qui intelligendi facultate sunt praediti.

VI. Haec perspicuitatis ratio ad duo hominum genera referri potest; vel ad captum, seu facultatem hominis naturalis, id est, (ut Chrysostomus recte explicat) cujus intellectus nulla alia luce est donatus, nisi quam Deus, per

propagationem naturalem, omnium hominum animis, diverso licet demenso, inserit, ut et ipsa Scriptura loquitur, Johann. 1, 9, vel ad captum et facultatem hominis spiritualis, id est, cujus mens supernaturali luce insuper, varia quoque mensura, est illustrata: quemadmodum haec distinctio exprimitur 1 Cor. 2, 14. et alibi.

VII. Quod primum hominum genus attinet, fatemur quidem multa in S. literis narrari ac doceri, quae naturali modo ab homine naturali intelliguntur, si diligentiam aliquam adhibeat, et linguarum aliarumque artium instrumentalium adminiculo sit instructus, quum Deus per Prophetas et Apostolos suos, lingua inter homines usitata, et loquendi modis ex medio sumptis, plurimum sit locutus, etiam cum de rebus agit humanum intellectum longe excedentibus. Unde quoque videmus, quosdam gentiles Philosophos in suos usus nonnulla ex Sacra Scriptura esse mutuatos; alios vero in scriptis suis conatos fuisse se iis opponere, quod ab iis fieri nequivisset, nisi verborum sententiam et grammaticum sensum naturali saltem modo percepissent.

VIII. Negamus tamen, hominem naturalem seu animalem, quicunque is sit, eo quo decet modo, id est, spirituali evidentia, promptitudine, animique reverentia et sanctimonia, multo minus certa mentis πληροφορίᾳ et assensu, ea comprehendere, dijudicare, aut salutariter sibi applicare posse, nisi Spiritu S. sit illustratus. Quemadmodum de confessione Petri loquitur Christus, Matth. 16, 17. Caro et sanguis haec non revelavit tibi, sed Pater meus qui est in coelis. Et 1 Cor. 1, 23. Praedicamus Christum crucifixum, Judaeis scandalum, et Graecis stultitiam, iis vero qui vocati sunt, praedicamus Christum, qui est potentia et sapientia Dei. Et 1 Corinth. 2, 14. Naturalis homo non percipit ea quae sunt Spiritus Dei, nec potest ea percipere, quia spiritualiter dijudicantur.

IX. Praecipua vero controversia est inter nos et Pontificios de homine per Spiritum Christi, diversa mensura et in diversos fines illustrato; et adversus eosdem cum Augustino asserimus, Deum ita attemperasse stylum et phrasin Scripturae Sanctae, ut quaecunque continent fidem et mores vivendi, spem scilicet et caritatem, aperte in

Scripturis posita inveniantur, atque ab omnibus pro vocatione et fidei mensura, dijudicari et salutariter sibi applicari possint.

X. Nec tamen interea negamus, quin nonnulla quoque difficiliora in iis exstent, ut Petrus 2. Epistola cap. ult. testatur; et quae stylo magis recondito sunt tradita, tum ut contemptus et fastidium ab ejus continua lectione removeatur; tum ut arrogantia dometur, et omnium diligentia excitetur; tum denique, ut non nisi cum reverentia, nostri sanctificatione, et precibus ad ejus lectionem ac scrutationem accedamus, exemplo Davidis Psal. 119. Sed rursus cum eodem Augustino de Doctr. Christ. Lib. 2, c. 6. affirmamus: nihil fere de difficultatibus illis erui, quod non alibi planissime dictum reperiatur, adeo ut Spiritus Sanctus locis apertioribus fami occurrat, obscurioribus vero fastidia detergat.

XI. Haec S. Scripturae in rebus ad fidem moresque vivendi necessariis perspicuitas, multis invictis argumentis et disertis S. Scripturae locis demonstratur.

XII. Primo ex eo, quod Deus alioquin frustra jussisset in Vet. Test. ut ad instructionem fidei et morum suorum non tantum Sacerdotes et Levitae, sed quivis etiam fideles Sacram Scripturam legerent, aut legi audirent. Regi expresse mandatur Deut. 17, 19. ut legat in ea omnibus diebus vitae suae, ut discat timere Jehovam Deum suum, observare omnia verba hujus legis, et statuta ista, faciendo ea. Deuter. 31, 11. praecipitur, ut legatur haec lex coram toto Israële in auribus eorum etc., ut audiant et discant, timeantque Jehovam etc., et Isai. 8, 20. ad legem et testimonium consulendum totus populus remittitur.

XIII. Sic etiam in Novo Testam. Joh. 5, 39. jubet Christus ut scrutentur Scripturas, quia existimabant se vitam aeternam in iis inventuros. Luc. 16. Abraham remittit fratres divitis ad Mosem et Prophetas, ut inferni poenas vitare possint. Joh. 20, 31. dicit, haec scripta esse, ut credatis (quosvis alloquitur) Jesum esse Christum, et credentes vitam aeternam habeatis in nomine ejus. Petrus 2. epist. c. 1. dicit, quod recte faciant (fide-

les ad quos scribit) quod attendant sermoni prophetico, id est, Scripturis, donec lucifer in ipsorum cordibus oriatur.

XIV. Imo vero beati praedicantur a Davide Ps. 1, 2. qui interdiu ac noctu in lege Dei meditantur. Et Act. 17, 11. laudantur prae ceteris Judaei Beroeenses quod Scripturas quotidie examinarent, an eae sic se haberent. Et Apoc. 1, 3. beati fore dicuntur, qui legunt et audiunt sermones prophetiae ejus, et servant quae in illa erant scripta. Quae omnia mandari ac commendari fidelibus nullo modo possent, nisi Scriptura ita esset attemperata, ut ea quae salutem spectant in fide et moribus, ab iisdem pro vocatione cujusque intelligi possent.

XV. Demonstrant illud etiam inscriptiones plerorumque librorum sacrorum, imprimis epistolarum Apostolicarum, quae ad omnes fideles et nomen Dei invocantes diriguntur; quod sane ab omni ratione esset alienum, nisi ab ipsis legi et pro vocatione intelligi possent, cum eo quo decet modo et reverentia ad earem lectionem accedunt.

XVI. Quinimo S. Sciptura multis disertis locis suae perspicuitatis et evidentiae sibi testimonium praebet. Deuter. 29, 29. dicit Moses: Haec nobis et filiis nostris sunt revelata, ut faciamus omnia verba hujus legis. Cap. 30, 11. dicitur praeceptum hoc non esse occultum a nobis nec longinquum. Ps. 119, 105. vocatur lucerna pedi nostro, et lux itineri nostro. Prov. 6, 23. dicitur lex lux. 2 Petr. 1. appellatur fax splendens in obscuro loco. 2 Cor. 3, 14. testatur Apostolus, velamen quod in lectione Veteris Testam. Judaeorum induratorum cordibus erat impositum, per Christum aboleri et ab eorum cordibus ablatum iri, cum ad Dominum conversi fuerint. Cap. 4, 2. scribit, se declaratione seu evidentia veritatis, commendare se ipsum apud omnem conscientiam hominum in conspectu Dei; imo si Evangelium suum tectum est, iis tectum esse qui pereunt, in quibus Deus hujus seculi excaecavit mentes, ne irradiet eos lumen Evangelii.

XVII. Idem demonstrant effecta, quae verbo scripto passim in Scriptura attribuuntur, etiam maxime imperitorum et sim-

plicium. Ps. 19, 8. Doctrina Jehovae integra est, restituens animum, testimonium verax sapientiam afferens imperito; mandata Jehovae sunt recta, laetificantia animum, praeceptum Jehovae purum, illustrans oculos. Ps. 119, 130. Aditus verborum illuminat, prudentia instruit simplices. Prov. 1, 1. Proverbia Salomonis, etc. ad dandam fatuis astutiam, puero scientiam et solertiam. Rom. 15, 4. Quaecunque antea scripta sunt ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeamus. 2. Tim. 3, 15. S. literas a puero nosti, quae te possunt sapientem reddere ad salutem. 1 Joh. 2, 13. Scribo vobis, patres, quoniam nostis eum qui est a principio; scribo vobis, adolescentes, quoniam malum illum vicistis; scribo vobis, pueruli, quoniam nostis Patrem, etc.

XVIII. Denique id demonstrat nomen Testamenti, quod S. Scripturae Vet. et Novi foederis passim tribuitur. Quis enim verus pater unquam testamentum suum dedita opera ita scripsit, ut ab haeredibus suis, cum opus est, aut legi aut intelligi, saltem in necessariis, non posset? Aut cur Concilia, Patres, et Pastores doctrinam suam ex S. Scriptura probare apud populum solent et debent in omnibus, quae fidem necessariam et mores spectant, si fideles pro vocatione sua eas intelligere non possint? Intellectus enim verborum et sententiae, fidem, quae ex verbo Dei, non hominum, concipitur, necessario antecedit: nec ulla aedificatio aut consolatio ex verbo non intellecto capi potest, ut Paulus ex professo demonstrat, 1 Cor. 14.

XIX. Nec hinc tamen sequitur, supervacuam esse S. Scripturae explicationem, aut verbi praedicationem, quia subordinata non pugnant, et verbi praedicatio, inter cetera quoque, est medium a Deo in Ecclesia ordinatum, quo fideles reliqui Scripturam Sacram, et facilius intelligere, et rectius sibi applicare discant. Utraque ergo haec in vera Christi Ecclesia sunt conjungenda, non separanda: sicuti Christus utrumque in Ecclesia sua instituit. Nam Judaeos monet, ut scrutentur Scripturas, quas tamen passim, in concionibus suis explicavit, et ad electorum salutem applicavit, quemadmodum Act. 8. Philippum Evangelistam ad Eunuchum Reginae Candaces misit, ut expli-

caret ei textum illum Prophetae Esaiae quem legebat et ex se non satis intelligebat, sed explicatum agnoscebat, et vera fide jam agnitum amplectebatur; et c. 17. Beroeenses laudantur, quod doctrinam a Paulo praedicatam cum S. Scripturae lectione conjungebant.

XX. Hoc fundamento jam strato ac supposito, quaestio secunda, de qua hic agendum, nempe quis sit Sacrae Scripturae legitimus Interpres, adversus Pontificios a nobis facilius solvetur.

XXI. Pontificii contendunt, Ecclesiam esse summum et infallibilem S. Scripturae Interpretem; sed rogati quid per Ecclesiam intelligant, fatentur se non intelligere Ecclesiam ovium, sed pastorum; rogati rursum an intelligant quosvis pastores, recurrere solent ad Ecclesiam suam repraesentativam, id est, Episcopos et Praelatos, in concilio congregratos; denique rogati quid per concilia intelligant, respondere coguntur, omnia concilia errare posse, ac proinde esse incertos Scripturae Interpretes, nisi a Pontifice probentur; quem volunt in conciliis et de conciliis judicare, sicut Rex aliquis in suo senatu judicare solet; ac proinde totam decernendi ac judicandi potestatem esse penes ipsum, tamquam qui solus in interpretatione Scripturae errare non possit, adeo ut illustre illud Ecclesiae nomen, de quo gloriari tantopere solent, in solius Pontificis Romani nomen et personam tandem resolvatur et terminetur.

XXII. Sed Pontificem Romanum non esse legitimum et certum S. Scripturae Interpretem, probatur primo, quia multi Pontifices Romani, ipso jure canonico et ipsorum historicis fatentibus, fuerunt haeretici; deinde, quia multi Pontifices contraria decreta ediderunt, atque alii aliorum Institutiones abrogarunt; tertio, quia multi Pontifices fuerunt homines impii, profani, scelerati et magicis artibus dediti; denique, quia multi inter Pontifices fuerunt Sacrae Scripturae plane imperiti, et eam in decretis suis valde absurde et contra directam S. Scripturae mentem interpretati sunt; quod adeo est evidens, ut Bellarminus et alii Pontificii Doctores propterea cogantur statuere, Pontificem in argumentis et praemissis errare posse, sed in conclusionibus, licet ex falsis praemissis, semper tamen vera decreta colligere.

XXIII. Ut ergo haec quaestio secundum verbi Dei normam

recte explicetur, dicimus: Scripturam esse sui ipsius Interpretem, vel potius Deum in Scripturis et per Scripturas loquentem, qui in locis clarioribus et necessariis voluntatem suam fidelibus aperte indicat, ut antea est demonstratum, in locis vero obscurioribus per comparationem eorum cum clarioribus eandem voluntatem suam iis magis ac magis confirmat.

XXIV. Quemadmodum enim Imperator aliquis aut Rex, non tantum controversiarum civilium est Judex aut voluntatis suae Interpres, quando praesens cum praesentibus loquitur, sed etiam cum per rescripta aut libellos hoc facit: sic etiam Deus non tantum summus controversiarum Judex et voluntatis suae Interpres est, quando cum Mose, Prophetis et Apostolis, et per eos ad Ecclesiam est locutus, sed etiam cum per rescripta sua et verbum literis mandatum, voluntatem suam Ecclesiis exponit.

XXV. Etenim Scriptura Sacra non est res muta, aut mortua, aut quae sententiam suam ab hominum corruptelis vindicare non possit, sed sermo Dei est vivus et efficax, et penetrantrior quovis gladio ancipiti, pertingensque usque ad divisionem animae simul ac spiritus, compagumque ac medullarum, et dijudicat cogitationes et conceptiones cordis, ut Paulus testatur, Hebr. 4, 12. et propterea etiam ministerium justitiae et Spiritus appellatur, 2 Cor. 3, 8. 9. quia Spiritus S. per illud in cordibus hominum ad veritatem et justitiam est efficax.

XXVI. Hinc est quod Ps. 50, 4. Deus inclamat coelos superne et terram, Jus populo suo dicturus; et Esaias cap. 8. populum Israëliticum ad legem et testimonium remittit ad consulendum Deum suum. Hinc Ps. 25. aperit Jehova arcanum reverentibus ipsum, et foedus suum, ut experimento testetur iis. Hinc omnes qui ad Christum veniunt, sunt a Deo edocti, Joh. 6. et si quis aliud sentiat, Deus id illi quoque revelabit, Phil. 3, 13., in quibus omnibus et multis aliis locis, Deus ipse agere dicitur, quae per verbum efficiuntur; quia per verbum et cum verbo suo Ecclesiis suis semper praesens, haec omnia in fidelium animis et coetibus operatur.

XXVII. Quia vero Deus, etsi ab eo solo sit incrementum,

hominum tamen ministerio, et judicio quoque utitur, ac proinde et Paulo plantandum sit, et Apollo rigandum, idcirco fatemur libenter, in vera Christi Ecclesia esse aliud quoque interpretum genus, nempe ministeriale, et sub Deo et verbo ipsius constitutum; cui et judicandi potestas, in S. Scriptura tribuitur, 2 Chron. 19, 8. Ezech. 44, 24. Zach. 3, 7. 1 Cor. 2, 15. 1 Cor. 10, 15. et cap. 14, 29. etc.

XXVIII. Est autem ea Interpretandi vel Judicandi potestas duplex, vel publica, vel privata; utraque nititur vocatione et dono singulari.

XXIX. Potestas privatim Judicandi de Sacrae Scripturae vero vel falso sensu in rebus ad salutem necessariis, competit omnibus vere fidelibus, ad confirmationem fidei propriae et aedificationem alienae, secundum caritatis legem, doni accepti mensuram, et vocationis diversae rationem. Hoc diserte monet Joh. cap. 10, 3. ac deinceps, Oves veri pastoris vocem audiunt, et eum sequuntur, quia vocem ejus norunt; alienum autem nequaquam sequentur, sed fugient ab eo, quia non norunt vocem alienorum, et Matth. 7, 15. Cavete vobis a pseudoprophetis. Sic loquitur Paulus 1 Cor. 10. Tamquam intelligentibus loquor, judicate vos quae dico. 1 Joh. 4, 1. Dilecti, ne credite cuivis spiritui, sed probate spiritus, an ex Deo sint.

XXX. Hoc Judicandi genus nititur dono quod διακρίσεως seu discretionis appellatur a Paulo, 1 Cor. 2, 15. Spiritualis homo διακρίνει, dijudicat omnia, et Hebr. 5, 14. dicit, quosdam esse pueros, qui lacte opus habent, quosdam perfectos seu adultos, qui propter habitum, sensus habent exercitatos εἰς διάκρισιν ad discretionem boni et mali, atque ab eodem Apostolo vocatur δοκιμασία τῶν διαφερόντων, Phil. 1, 10. Et hoc precor, ut caritas vestra magis et magis redundet in cognitione et omni sensu, ut probetis vel dignoscatis ea, quae discrepant.

XXXI. Etsi vero hoc donum omnibus fidelibus non communicetur eadem mensura, sed quibusdam ut adultis, quibusdam ut pueris, sicut Paulus Hebr. 5. loco jam adducto testatur; tamen necessarium est, ut in omnibus Christi ovibus et vere

fidelibus hoc aliqua saltem mensura agnoscamus, quia alioquin eorum fides non niteretur verbo Dei, sed solo testimonio humano, contra dictum Apostoli Rom. 10, 17., et omnes oves aliquam vocis pastoris proprii notitiam habent, ut Christus Joh. 10. testatur; et pueri quoque in Ecclesia Dei lac verum ac salubre ab insalubri et venenoso possunt discernere, saltem in dogmatis ad salutem absolute necessariis.

XXXII. Potestas publice interpretandi Scripturam et de veritate interpretationis publice judicandi, non competit omnibus, sed quibusdam tantum, qui et dono et vocatione ad hoc instructi sunt. De vocationis diversis gradibus agit Paulus Eph. 4, 11. 12. 13. Christus, inquit, dedit alios quidem Apostolos, alios autem Evangelistas, alios autem Pastores et Doctores, ad coagmentationem sanctorum, ad opus ministerii, ad aedificationem corporis Christi etc., ut ne simus amplius pueri qui fluctuemus et circumferamur quovis vento doctrinae, etc., et alibi passim.

XXXIII. Donum ad hoc necessarium vocat Apostolus donum prophetandi ac docendi. Atque antecedens illud, nempe διακρίσεως et δοκιμασίας, discretionis et probationis spirituum, includit.

XXXIV. De hoc loquitur Paulus Rom. 12, 6. Habentes autem diversa dona pro gratia quae nobis data est, sive prophetiam, prophetet pro proportione fidei; sive ministerium, in ministrando; sive doctrinam, in docendo, sic quoque 1 Cor. 14, 3. et deinceps. Qui prophetat, hominibus loquitur ad aedificationem, et exhortationem, et consolationem; qui loquitur lingua, se ipsum aedificat; qui vero prophetat, Ecclesiam aedificat, etc. Et vers. 29. Prophetae autem duo aut tres loquantur, et alii dijudicent, etc.

XXXV. Etsi vero non negemus, quin inter alios quoque Christianos omnibus seculis exstiterint, qui per diligentem S. Scripturae lectionem et meditationem, donum S. Scripturam ad usus publicos interpretandi, et spiritus probandi, am liori mensura quam nonnulli pastores, acceperint; tamen donum illud inter eos praecipue quaerendum esse, quos Deus ad Ecclesiam suam publice instituendam peculiariter vocavit, S. Scriptura

multis locis, et ipsa quoque experientia testatur; nam labia Sacerdotis custodient scientiam, et lex petetur ex ore ejus, quia est angelus Jehovae exercituum, ut Deus ipse Malach. 2. docet, et Tit. 1, 9. exigitur a pastoribus omnibus ut sint tenaces fidelis illius sermonis, qui ad doctrinam facit, ut possint et exhortari doctrina sua, et contradicentes convincere.

XXXVI. Utrumque tamen hoc donum, et interpretandi facultas, subest Dei verbo, et Spiritui S. in Scriptura loquenti; nam qui publico interpretandi et prophetandi dono ornati sunt, judicium suum ex Sacra Scriptura efformant, et aliis fidelibus fundamenta ex S. Scriptura ostendunt, ac proferunt, quae a singulis fidelibus pro certis et veris per donum illud διακρίσεως et δοκιμασίας deinde agnoscuntur; vel si a falsis Doctoribus non satis fideliter ex S. Scriptura depromta sint, aut in alienum sensum detorta, rejiciuntur et reprobantur, ut Thesi 29 a nobis est probatum.

XXXVII. Nec tamen ideo cujusque privatum spiritum facimus, singulorum fidei, multo minus totius Ecclesiae, summum judicem, sed solum Dei verbum et Spiritum Sanctum, qui ex Sacra Scriptura eandem fidem, saltem in dogmatis necessariis, toti verae Ecclesiae, et singulis veris ejus membris, ex iisdem fundamentis obsignat.

XXXVIII. Quo pacto vero controversiae, quae de ipsis dogmatis fidei nonnumquam in Ecclesia Christi oriuntur, ex eadem Scriptura, per eundem Spiritus S. ductum componendae sint, non est hujus loci proprie tractare, sed per Dei gratiam tractabitur, cum ad locum de Consiliis et Magistratu erit deventum.

XXIX. Hoc tantum hic conclusionis loco monemus: Deum per Spiritum et verbum suum, ita perpetuo adesse verae Ecclesiae suae, quae est domus ejus, ut nec ipsa, nec viva ejus membra in fundamentis saltem fidei et morum necessariis, ad perniciem suam errent; alias enim Ecclesia vera Christi esse desineret, contra promissionem Christi Matth. 16, 18. Portae inferorum adversus eam non praevalebunt. Et Johan. 10, 5. Oves Christi alienum nequaquam sequentur.

COROLLARIUM.

I. Etsi S. Scriptura per Anagogen, Tropologiam, Analogiam, similesque explicandi modos, ad Ecclesiae usus, in multis locis applicari possit, unicus tamen immediatus et certus ejus sensus est, sensus grammaticus seu historicus.

II. Allegorias ex Scripturis struere non licet, nisi ubi S. Scriptura ipsa nobis praeit, aut necessaria ratio ex S. Scripturis petita id facere cogit.

III. Etsi ex Allegoriis et Parabolis Scripturae, firma argumenta ad fidem et mores confirmandos peti non possint, si Allegoriarum et Parabolarum circumstantias spectes, tamen si praecipuum ipsarum finem et scopum consideres, non minus firma ex iis petuntur quam ex aliis locis; ac proinde dicimus, illud Scholasticorum axioma, Theologia parabolica non est argumentativa, vel de allegoricis interpretationibus, ex humano ingenio profectis, vel de circumstantiis tantum Allegoriarum et Parabolarum intelligendum.

DISPUTATIO VI.

DE

Natura Dei et divinis Attributis.

Praeside D. ANTONIO THYSIO.

Respondente LUDOVICO RENESSE.

THESIS I.

De Deo in S.S. Theologia tractatur, non tantum, qua principium constitutionis ejus, aut etiam cognitionis nostrae est, sed qua subjectum, et primus ac primarius Theologiae est locus, a quo reliqui fluunt, sub quo continentur, et ad

quem referri debent. Unde et hinc ipsa Theologia nomen habet.

II. Non tamen simpliciter est subjectum contemplationis, qualiter Metaphysicus de Deo agere instituit, qualiterque Deus se ipsum vere cognoscit, et nos in altera vita Deum plenius cognoscemus, 1 Cor. 13, 9. etc. 2 Cor. 12, 4. Sed qua ejus scientia in hac vita est debitum officii nostri, ut eum vere cognoscentes, vitam aeternam adipiscamur, Joh. 17, 3.

III. Quamvis autem quaerendum in Theologia non sit, An Deus sit: cum ut scientia suum subjectum, ita hoc ipsum Theologia praesupponat, quodque id, ut sua luce clarum, a piis disputari fas non sit; tamen propter insanam et plus quam Diabolicam Atheorum quorundam blasphemiam Deum negantium, Jac. 2, 19. Ps. 10, 4. 14, 1. et 53, 2. (quamvis conatu potius, quam sensu) duplici indicio, Naturae et Rationis, id demonstrabimus.

IV. Naturae hominis quidem, quod haec notio, ut prima veritas, et primum principium humanae menti sit inscripta, Rom. 2, 15. et ad eam, inclinationem et propensionem habeat talem et tantam, ut indicasse sit evicisse, Rom. 1, 19. Act. 17, 27. 28. Atque ita sensus, et consensus communis omnium, Deum esse arguit.

V. Quin natura ipsa ratioque, id est, universus mundus, fabrica, ordine, dispositione, ornatu suo ac vario usu, maxime homo μικρόκοσμος, imo imago Dei, qua pressius Deum exprimit, sapientissimum, beneficentissimum et potentissimum artificem et architectum nobis exhibet, Job 12, 7. 8. 9. etc. Ps. 19. Rom. 1, 20. Act. 17, 26.

VI. Cui accedunt et aliae rationes, eaeque graves et variae; nempe a mundi, et maxime constanti, et ordinato coelestium motu, ad primum motorem, motusque auctorem, qui actu sit, Arist. Lib. Metaphys. 12. c. 6. ab ordine causarum efficientium ad primam efficientem, in qua consistatur, et a qua reliquae dependeant; a finibus ad extremum finem et finitorem; ab esse, bono et perfectione, ad primam essentiam, summum bonum et perfectissimam naturam; a conscientiae metu post admissa peccata, tamquam metuentis supremum judicem; a poenis atrocibus, quibus Deus contemptum sui, et atrocia peccata punit, etc. Cic. de Natur. Deor.

VII. Sed multo firmius id tenetur a fidelibus testimonio

Dei et fidei lumine, secundum illud Apostoli, Accedentem ad Deum oportet credere, quod sit, etc. Heb. 11, 6.

VIII. Testimonia autem sunt in apertis oraculis, operibus variis, tum creationis, tum sustentationis et gubernationis universi; variis apparitionibus, quibus se saepissime, ut sub formis aspectabilibus aliisque modis exhibuit, Exod. 19, 16. et 20, 19. etc. miraculis illustribus, Ps. 72, 18., Propheticis vaticiniis et eorum eventis, Esai. 41, 23., maxime promissionis et exhibitionis Messiae. Denique in interna, viva et efficaci S.S. per haec ipsa revelatione, quae in nobis fidem testimonio Divino respondentem gignit et efficit.

IX. Est igitur Deus, ejusque notitia habetur, quare et γνωστὸν τοῦ θεοῦ, Apostolo dicitur Rom. 1, 19. Habetur autem patefactione cum Naturali, Ps. 19, 12. Act. 14, 15. 17. et 17, 24. 1 Corint. 1, 21. quae in natura corrupta ex parte, inconstans, et ad salutem inefficax est, Rom. 1, 20. tum Supernaturali, quae integra, certa, atque in electis cum effectu salutari est, Ps. 19, 8. 1 Cor. 1, 21.

X. Pro diversitate porro linguarum, propter nos (Deus enim alias ἀνώνυμος, Gen. 32, 29.) summa haec essentia, aliis nominibus appellatur, quae licet in diversis linguis a diversis ejus proprietatibus desumpta sint, tamen notione conveniunt. Hebraeis quidem אלה Eloah (quod rarum in sacris) et ab eo Elohim plurali numero, notione saepe singulari, idque non ab אלה Ala, id est, dejeravit, sed ab inusitata radice Alah cum He mappik, Arabibus vero usitata, pro colere, quasi colendum dicas, qualiter et Graecis σέβασμα dicitur, 2 Thess. 2, 4. Unde quidam decurtatum volunt אל El, quod loco singularis illius Eloah frequenter usurpatur, quamvis alii a fortitudine dictum velint.

XI. Graecis vero Θεὸς, Deus, sive a θεῖναι, cum Herodoto, Herod. in Euterpe, quod omnes res regionesque ordine disponat, sive a θεῖν, currere, ut post Platonem Eusebius, Plato in Cratylo, Eus. Lib. 1. Evang. praeparat., non quod antiquis primum Dii sidera, ut ille; sed ut hic, quod omnia virtute et providentiae actibus percurrat; sive a θεᾶσθαι, cernere, ut Basilius, ep. 141 ad Caes. quod omnia cernat et decernat; vel a δέος, timor, non quod, ut ille haud pie, Primus in orbe Deos fecit timor, sed quod timendus Deus sit. Alii his

Graecis Hebraeam notationem addunt, a די Dai, id est, sufficit, unde Saddai, Dei nomen sit. Latini a Graeco, aspirata in tenuem mutata, Deus efformarunt.

XII. Usurpatur autem nomen hoc Dei in Scripturis dupliciter, vel ὄντως, vere et usitate, vel καταχρηστικῶς, abusive, illudque rursus vel οὐσιωδῶς, cum communiter sine determinatione personarum Divinarum accipitur, ut Deus est spiritus, Joh. 4, 24., vel ὑποστατικῶς, cum Dei nomen certae personae subjective tribuitur, ut Patri, Rom. 7, 25. et 8, 3., Filio, ut 1 Tim. 3, 16. Act. 20, 28., et Spiritui Sancto, Act. 5, 4. Maxime autem Patri appropriatur, Rom. 1, 1. tum propter ordinem, qui est in Personis, tum oeconomiam et dispositionem, ad mysterium salutis nostrae procurandum, factam.

XIII. Καταχρηστικῶς καὶ ἀκύρως abusive et improprie, creaturis tribuitur, vel κοινωνικῶς, id est, communicatione, cum Angelis vel hominibus, propter excellentem dignitatem, potentiam et gubernationem, in qua a Deo constituti, quamque erga alios exercent; vel δοξαστικῶς, ex opinione et errore, falsis Diis, Joh. 10, 34. Exod. 22, 28. Ps. 82, 6. 1 Cor. 8, 4. 5. Quo fit ut nomen Dei, quod individuae ejus essentiae significandae proprium est, commune et appellativum factum sit.

XIV. Quare ut se ab omnibus, qui Dei nomine veniunt, disjungeret, nomen hoc suum quibusdam proprietatibus circumscribit, dum se Deum Abrahami, Isaaci et Jacobi seu Israëlis dicit, Exod. 3, 6. Deum exercituum, Esai. 1, 24. Deum Deorum, Deut. 10, 17. Deum verum et vivum. Quinimo, אל שדי El Saddai, Exod. 6. et simpliciter Saddai, omnipotentem, a שדד vastavit, forma plurali Chaldaica; et אדן Adon, Dominum, אדנים Adonim, et Adonai, Domini, plurali similiter forma; et עליון Eljon, excelsum, etc. vocat.

XV. Imprimis singulari nomine, puta Tetragrammato, id est, quatuor consonantibus constante, ut Veteres vocarunt, יהוה IHVH, et contracte יה Iah, se ab omnibus separavit, quod ut proprium Dei nomen, ita et incommunicabile est, Esai. 42, 8. Atque id a Deo sibi impositum, Dei populo expositum, Exod. 3, 15. notum et cum reverentia ex Dei praecepto usurpandum, Exod. 20, 2. 7. et olim publice, et privatim prolatum, lectum et auditum, imo et gentibus vicinis non ignotum, 1 Reg. 17, 12.

2. Chron. 6, 32. tandem post Prophetarum tempora superstitiose a Judaeis in arcanis haberi et coli coepit, adeo ut non nisi in sacris, et quidem a sacerdotibus efferretur, et demum omnino pronunciari desierit. Unde et ἀνεκφώνητον, ineffabile vocatum, et vocibus, Adonai, cum chamets et Elohim, vicariis, punctisque horum illis substratis, prolatum est, a 70 Interpr. et Lat. Vulgat. Exod. 3, 6., ubi exprimit Adonai. Si tamen ad analogiam aliorum nominum exprimere licet, Jeheve vel Jheve seu Jave sive Jihve sonabit. Maxime cum Ehie et Jihie idem sit nomen; prima persona, utpote Dei loquentis, in tertiam, Mose jusso, de Deo ad populum loqui, commutata, Exod. 3, 14. et 15. Quamvis non diffiteamur, etiam Jehova analogice scribi posse; at Jehovi non item, quod id analogia linguae non patiatur.

XVI. Deducitur a voce quidem Hava, esse, sed ratio nominis singularis est, Exod. 3, 14. Septuaginta interpretantur ὁ ὤν absolute, plenius Johan. in Apoc. ὁ ὤν, ὁ ἦν καὶ ὁ ἐρχόμενος, Apocal. 1, 4. 8. et 4, 8. et 11, 17. et 16, 5., ita ut aeternitatem notet. Est autem ratio nominis, quod ipse vere et in aeternum sit, (ita ut nomen sit essentiale) quodque omnibus essentiam tribuat; atque singulariter, quod promissa faciat esse, et in praestandis iis se fidelem et veracem praebeat: qualem sese exhibuit populo suo in praestando promisso de terra Canaan Abrahamo facto, et demum de Messia mittendo, etc., quum illa liberatio ex Aegypto hujus fuerit typus, Exod. 6, 3. R. Moses, Lib. 1. c. 60. Jerem. 16, 14.

XVII. Deum ergo propria significatione acceptum, qui (utpote ὑπερούσιος καὶ ἀκατάληπτος, omnem essentiam excedens et incomprehensibilis) definiri non potest, ex variis ejus descriptionibus passim obviis, Exod. 34, 6. etc. Deuter. 10, 17. Apocal. 4, 8. Actor. 17, 24. etc. 1 Corinth. 8, 4. 5. 6. 1 Timoth. 1, 17. et 6, 15. 16. et simul collectis, ita describimus. Quod sit essentia spiritualis simplicissima et infinita, aeterna scilicet, immensaque atque immutabilis; vivens et immortalis, intelligens, sapiens et omniscia; ipsa bonitas, caritas, beneficentia, misericordia, longanimitas, justitia, sanctitas, etc. Unus essentia, trinus personis, Pater qui Filium ab aeterno genuit, Filius qui a Patre nascitur, Spir. S. qui a Patre et Filio, et quidem a Patre per Filium procedit: Creator, conservator et

gubernator universi, Redemptor, servator et glorificator Electorum.

XVIII. Haec Dei descriptio tribus membris constat, unius Essentiae per varia attributa declaratione, Personarum divinarum enumeratione, et Operum patefactione. Sed duobus postremis omissis, in praesentia de primo agemus.

XIX. Essentiae Divinae nomine intelligimus id quod Deus est; dicitur enim esse, Heb. 11, 6. et ὁ ὢν καὶ ὁ ἦν, Apoc. 4, 8. tribuitur ei φύσις, natura, Gal. 4, 8. et Divina natura, 2 Pet. 1, 4. (quamvis id ad Divinas proprietates restringatur) atque θεότης, deitas, Colos. 2, 9. et θειότης, Divinitas, Rom. 1, 20. et τὸ θεῖον, Divinum seu numen, Act. 17, 29. et μορφὴ Θεοῦ, forma Dei, Phil. 2, 6. et Θεὸς, Deus appellatur, Act. 17, 24. 29. Ab hac vero, et in hac, sunt et exsistunt omnia suo participationis modulo.

XX. Est autem ea Spiritualis. Dicitur enim Deus Spiritus in Script. S. Joh. 4, 24. quatenus ab ea corpus, atque omne quod corporeum, ejusque vis et actus removetur, Luc. 24, 39. Esai. 31, 3. Et quidem sicuti non corpus, sed Spiritus est, ita et coloris, formae figuraeque expers est, Deut. 4, 12. ac proinde sensibus corporeis non est perceptibilis, adeoque neque visibilis, tactilis, imaginabilis, sed invisibilis, Rom. 1, 20. 23. Esai. 40, 18. Joh. 1, 18. Colos. 1, 15. 1 Tim. 1, 17. et pura mente animoque apprehendenda. Quamvis secundum gradus gloriae externae sibi appropriatae, Exod. 24, 16. et 33, 18. 19. 20. 23. (quae remissa, dorsum, et intenta facies dicitur, Num. 12, 8. 1 Timoth. 6, 16.) videndum se praebuerit, sed qua est intentissima, non item. Est autem omnis spiritualis naturae auctor, unde et Pater et Deus Spirituum dicitur, Num. 16, 22. et 27, 16. Atque hinc quis et quid sit Deus, cognoscimus.

XXI. Quamvis porro essentia haec Deo absolute competat, ita ut non sit aliud et aliud in Deo, sed quicquid est, ipsius essentia sit; attamen varias proprietates seu attributa, quae θεότητος nomine veniunt, Rom. 1, 20. tamquam ab ea, et inter se differentia, ei vere assignamus; non tamen realiter, sed σχέσει et ratione, prout in creaturis et nostra perceptione diversa sunt. Atque hinc, quis qualisque sit Deus, se nobis cognoscendum praebet, hisque verum Dei a falsis, rebusque omnibus disjungimus.

XXII. Sunt autem illa attributa duorum generum, alia primi

generis seu ἀκοινώνητα, incommunicabilia; alia secundi seu κοινωνητὰ, communicabilia.

XXIII. Illa dicuntur, quae re ipsa secundum propriam et integram vocum notionem, creaturis non communicantur, sed aliqua tantum parte et comparate, ut sunt vera simplicitas (unde dependet unitas, immutabilitas) et infinitas, id est, aeternitas et immensitas. Quae ita distinguere licet ut quaedam sint generaliora, ut quae plures categorias respiciunt, earum scilicet negationem indicantia, ut simplicitas et immutabilitas; quaedam specialiora, ut infinitas, (quae solam quantitatem) et sub se continet aeternitatem et immensitatem. Atque hae infallibiles Deitatis notae sunt.

XXIV. Simplicitas est attributum essentiae Dei primi generis, et quidem generalius, qua illa omnis omnino compositionis expers significatur, sive ea sit ex partibus materialibus et integrantibus, sive essentialibus, materia et forma, genere et differentia, subjecto et accidente, actu et potentia, esse denique et essentia atque exsistentia; ac proinde vere simplicissima est. Quod quidem ex eo constat, quoniam praeterquam quod Spiritus, Joh. 4, 24. et Jehova dicitur, Exod. 3, 14. et absolute ac sine ulla adjectione, ὁ ὢν seu ens nominatur, Esai. 43, 13. et abstractis vocibus, vita, lux, caritas et veritas, Joh. 14, 6. 1 Joh. 1, 5. 1 Joh. 4, 8. Jac. 1, 17. etc. appellatur. A qua omnes simplicitatis in natura gradus fluunt.

XXV. Ut porro essentia nullam compositionem admittit, ita neque divisionem in partes, species et numerum; adeoque unus est Deus, Deut. 6, 4. Marc. 12, 29. 32. unitatis voce non accepta, qua principium numeri est, sed numero opposita, ita ut non sint neque esse possint plures, non sit alius, nullus praeterea, et ultra, et praeter ipsum, neque ullus secum, seu coram ipso, aut uspiam in coelo et terra sit Deus, sed ipse tantum, solus, et solum sit Deus. 1 Cor. 8, 4. Deut. 4, 35. Esai. 45, 5. 21. Deut. 32, 39. Exod. 20, 3. 2 Reg. 19, 15. Ps. 86, 10. Joh. 17, 3.

XXVI. Immutabilitas Dei est attributum essentiae Dei generalius; quo ab illa omnis omnino mutatio et motus, Malach. 3, 6. Num. 23, 19. puta generatio seu ortus, et corruptio seu interitus, incrementum et decrementum, successio atque translatio seu loci mutatio, alteratio seu variatio, et passio

removetur, ac Divina essentia eadem manere significatur, Ps. 102, 13. 25. etc. Heb. 1, 11. Unde Deus, Ehie, Ero, nominatur, et immutabilis et incorruptibilis et idem dicitur, 1 Tim. 1, 17.

XXVII. Infinitas Dei est attributum essentiae Dei specialius, utpote quod quantitatem specialiter respicit, qua Divina essentia omnis omnino finis et termini expers est, id est, nullis terminis, nempe essentiae seu magnitudinis, loci, ac denique temporis continetur, sed omnes excedit. Atque secundum quam nihil Deo par aut aequale est, Jer. 10, 6. Phil. 2, 6. Distinguitur vero in aeternitatem et immensitatem.

XXVIII. Aeternitas est attributum durationis essentiae Dei infiniti, juxta quam illa terminorum temporis, et a quo, principii scilicet, et ad quem, finis; vel successionis, prioris et posterioris, praeteriti et futuri, expers est: ac proinde ita jam est, ut et ante fuerit, et post futura sit, idque utrimque in infinitum; adeo ut omnes partes temporis simul comprehendat; imo omne tempus excedat, quinimo ab eo immunis sit. Unde in Scriptura dicitur, antiquus dierum, Dan. 7, 9. 13. annos ejus non deficere, Ps. 102, 13. 28. annorum ejus numerum impervestigabilem, Job. 36, 26. Gen. 21, 33. a seculo fuisse, et in secula esse, imo ante secula, et permanere in seculum, Rex esse seculi et seculorum, esse in generationem et generationem, in secula usque et semper, esse et fuisse et futurum esse, ante mundum et omnia, habitare aeternitatem, et simpliciter ὁ ὢν, ὁ ἦν καὶ ὁ ἐρχόμενος vocatur, et ἀΐδιος et αἰώνιος, aeternus et sempiternus, primus et novissimus dicitur, Ps. 29, 10. et 90. 2. Apoc. 4, 8. 1 Tim. 1, 17. Rom. 16, 26. Ergo primum ens est et a nemine dependet.

XXIX. Immensitas est attributum essentiae Dei infiniti, secundum quod omnes essentiae terminos excedens, magnitudinis proprie, et dimensionis, longi, lati et profundi, et partium, ac definitionis loci, seu inferioris et superioris, anterioris et posterioris expers est; ac proinde ita hic, ut et ibi, et alibi, et ubique, adeoque omnipraesens, omnia simul loca complens, eaque excedens; imo illocalis sit, atque in se consistens complectatur et contineat omnia. Unde in Scriptura עליון Eljon, Excelsus, Genes. 14, 19. 20, 22. nominatur, et ita magnus et amplus, Job. 36, 26. Deut, 10, 17. dicitur, ut simul sit in

coelo. inferno, et extremo maris, coelum et terram impleat, imo excelsior sit coelo, profundior inferno, longior terra, latior mari, coelum ei sit sedes, terra vero scabellum pedum ejus, et coelum coelorum illum non capiat, Ps. 139, 7. Jer. 23, 24. Job. 11, 8. 9. Esa. 66, 1. 1 Chron. 16, 18. Act. 19, 28.

XXX. Attributa secundi generis, quae ad qualitatem respectum habent, ita sunt Dei ut et creaturis quodammodo communicentur, et ab iis revera participentur, ideoque de Deo et creaturis propter ordinem quem ad Deum habent, ἀναλόγως praedicantur, ut sunt praecipue, vita, sapientia, voluntas et potentia; quae per attributa primi generis traducta Deo propria sunt. Atque ita nullus Deo similis intelligitur, 1 Chron. 17, 20. 2 Chron. 6, 14. Act. 17, 29.

XXXI. Attributa haec distingui possunt in ea quae facultatem, vim, actumque Dei immanentem, significant. Immanens vita est; quae est attributum essentiae Dei, perfectionem per se indicans, quo essentia Dei in se actuosa esse, id est, vivere declaratur; idque simplicissime, seu essentialiter, et per se, immutabiliter, seu constanter et infinite, id est, ab aeterno, et sine incremento et decremento, atque ubique. Unde Deus non modo vivens, et vivere, Deut. 5, 26. Act. 14, 15. Num. 14, 21. sed et in se ipso vitam habere, et vita ipsa, et aeternum vivere, solus immortalitatem habere, atque ἄφθαρτος, incorruptibilis, seu immortalis, Joh. 5, 26. 1 Joh. 5, 20. Deut. 32, 40. omnisque vitae in creaturis auctor et fons, et vivificus dicitur, omniaque in eo vivere, Ps. 36, 10. Act. 17, 25. 28.

XXXII. Vita haec Dei in intellectu et voluntate est. Intellectus, cognitio, scientia, sapientiaque divina, est vitae Dei facultas seu actus, natura et ordine primus, quo Deus vivus omnia, se ipsum scilicet, et extra se universa et singula, quae esse possunt, quaeque esse vult et ipse facit, aut a creaturis fieri vult vel permittit, et sunt, earumque causas, modos et circumstantias, praesentia, praeterita et futura, magna et parva, (quibus divina scientia non vilescit) et rationalis creaturae cogitata, animi recessus, dicta, conatus, facta, initia, progressus et exitus, distincte, ut rebus intimus, infinita sua essentia intelligit, scit et novit, Ps. 139, 1. etc. Job. 34, 21. Ps. 44, 22., se quidem per sese et directe; cetera extra se, bona (ut quae ejus simulacrum habent) indirecte; mala, per contraria.

XXXIII. Scit autem simplici et uno, immutabili, infinito et aeterno actu: id est, omnia, semper, simul et semel, atque necessario, Act. 15, 18. Heb. 4, 13. Ita ut nihil ignoret, discat, non proficiat, fallatur, opinetur, obliviscatur, reminiscatur, imo ne praesciat quidem proprie, Ps. 90, 4. 2 Petr. 3, 8. Esai. 40, 14. licet respectu rerum futurarum praescire, praeteritarum meminisse, praesentium scire, vere dicatur; non successive unum post alterum, aut unum ex altero per discursum, sed unum cum altero intelligat et videat. Unde non modo sapientia et intelligentia ei attribuitur, Rom. 11, 33. et sapiens vocatur, sed apud eum, et ejus esse sapientia, solus sapiens, 1 Tim. 1, 17. omniscius, καρδιογνώστης, noscens corda, dicitur, omnisque sapientiae fons et origo est, Ps. 147, 4. etc. Dan. 2, 20. 21. 22. Prov. 2, 6. Act. 15, 8.

XXXIV. Voluntas Dei est altera vitae Dei facultas seu actus illi succedens, quo Deus intelligens se, et omnia bona, ut naturae et ordini mentis suae consentientia, vult et probat, contraria improbat necessario, quae voluntas Approbans dicitur; et ex iis quae extra se facere potest, quaedam praevia sapientia libere vult, eligit, et decernit, et facit, quae voluntas Efficiens; et a creaturis bona a se praecepta fieri vult, et exigit, quae voluntas Praecipiens; mala vero quae prohibet, et tamen a creaturis fiunt, certo consilio vult permittere, quae voluntas Permissiva vocatur.

XXXV. Quae porro vult, ut liberrime vult, ita ab aeterno, et immutabiliter vult, Es. 46, 10. Mal 3, 6. adeo non coactus seu invitus vult quod vult, Matth. 20, 15. neque ab ullo principio, seu causa priore impellitur ac movetur ad volendum, sed ejus voluntas est et prima et suprema causa, Eph. 1, 11. ut qui quae vult, a se, et propter se vult, neque contraria seu contradictoria vult, seu idem vult, et non vult, Ps. 89, 35. neque jam vult, aut non vult quod ante simpliciter noluit, aut voluit, nec plura aut pauciora jam vult, quam antea voluit, nec denique ejus voluntas impediri potest, quo minus id quod absolute voluit, fiat ac impleatur, Esai. 14, 27. Rom. 9, 19. et 11, 29.

XXXVI. Tantum de illo attributo quod facultatem et actum immanentem habet. Sequitur quod emanantem declarat, puta potentia, quae circa res externas versatur et exercetur, qua

fieri possunt. Est autem Potentia Dei attributum, quo Deus vivus, intelligens, ac volens, vi et facultate valet ad exterius agendum. Quae quidem simpliciter, et seorsim a voluntate considerata, Absoluta est, et ad omnia possibilia refertur, non item ad simpliciter imposssibilia, Mat. 3, 9. et 19, 26. Luc. 1, 37. conjuncta vero cum voluntate Actualis est, Ps. 115, 3. Eph. 1, 11. quae immediate vel mediate (unde appellatur Deus Sebaoth, exercituum) exercetur.

XXXVII. Est vero ea potentia Dei, in Deo simpliciter, immutabiliter et infinite, ita ut non per qualitatem, sed per se, non ab alio, sed a se potens sit Deus, non potentia passiva, sed ἐνεργουμένη, Eph. 3, 20. non incipiat aliquid posse quod ante non potuerit, sed quod potest, ab aeterno potuerit, Rom. 1, 20. nec plura, nec pauciora possit, sed omnia possit quae velle facere potest, potentiamque exerceat in iis quae vult esse, idque sine labore, aut diffficultate. Atque in hoc potentiae suae exercitio, et alia, et aliter, plura, majora et excellentiora, vel minora et pauciora potest. Unde etiam Scriptura impotentiam a Deo removet, potentiam, robur, fortitudinem, efficacitatem tribuit, 1 Cor. 1, 25. Eph. 1, 19. 1 Tim. 6, 15. 16. et potens, et solus potens, et ElSaddai, seu omnipotens dicitur, Gen. 17. Apoc. 1, 8.

XXXVIII. Cum istis, tum vita Dei intelligentis et volentis, tum potentia, cohaeret Dominium Dei, vis, potestas et auctoritas in omnia quae extra se potest et vult facere, et facit; quod item est aeternum et immutabile. Unde etiam Dominus dicitur, et Dominus Dominorum, Deus Deorum, Rex regum, 1 Tim. 6, 15. et habere potestatem liberrimam et absolutam in omnia, Rom. 9, 21. Mat. 20, 15. quod est ἀδέσποτον et αὐτεξούσιον esse. Atque ab eo fluit et est omne Dominium, Rom. 13, 1.

XXXIX. Affectus boni (qui in hominibus passiones sunt) et Virtutes, tum Intellectus, tum Voluntatis, quae in illis ethici et morales habitus sunt, affectuumque moderationem designant; quales sunt, veritas, amor, bonitas, benignitas, caritas, beneficentia, misericordia, longanimitas; ira, odium, justitia, et denique sanctitas, etc. de Deo vere et proprie, submota scilicet omni imperfectione, dicuntur; ac nihil aliud sunt quam ardens erga nos Dei voluntas, ejus in creaturis potentia et

effectus, quae pro rerum objectarum diversitate, et agendi modis, effectisque variis, diversa nomina sortiuntur.

XL. Veritas itaque seu veracitas est, qua Deus tum in verbis tum signis, tum operibus et factis, veritatem amat et adhibet, maxime vero in promissis fidem vult et potest praestare, Ps. 145, 13. Rom. 3, 3. 4. Bonitas, qua creaturis, bene velle ac bene facere, et potest, et vult, et facit, Exod. 33, 19. Rom. 2, 4. Amor, quo vult et approbat bonum in creaturis, in eoque acquiescit, ac sese indebite benignum et gratiosum praestare vult, potest, et praestat, quae relata ad hominem φιλανθρωπία dicitur, Mal. 1, 2. 3. Tit. 3, 4. Miseratio et Misericordia, qua miseris succurrere vult, potest, et facit, Ps. 136, 1. etc. Exod. 34, 5. 6. 7. Justitia, qua juste omnia disponit, et justis praemia, injustis poenas decernit, et retribuere vult, et potenter facit, Ps. 11, 7. et 119, 137. et 145, 17. Ira, qua ad puniendum peccatorem propensus est, et peccatum ulcisci vult, potest et facit, Odium, quo peccatum et peccatorem aversatur, et malos constanter potest et vult a se rejicere. Sanctitas denique, qua in se purissimus omnem munditiem probat, et abhorret a contrario. Unde Deus dicitur in Scriptura verax, bonus, benignus, judex universi mundi, et justus judex, etc. imo solus verax, bonus, sanctus, Apoc. 4, 7. Rom. 3, 4. Mat. 19, 17. etc., et ita de reliquis, omnisque veritatis, bonitatis, justitiae ac sanctitatis fons est.

XLI. Ut porro haec Deo vere attribuuntur, ita et vitia virtutibus hisce contraria a Deo removentur, ut mendacium, injustitia, reliquaque, Num. 23, 19. 2 Chr. 19, 7. Rom. 9, 14. Unde et ἀψευδὴς, mentiri nescius, ἀπείραστος κακῶν, qui malis tentari nequit, dicitur, et injustus esse negatur, Tit. 1, 2. Jac. 1, 13. Rom. 3, 5. Etiam poenitentia, metus, dolor, spes et desperatio, ceteraque ejusmodi in perfectam Dei naturam proprie non cadunt, Num. 23, 19.

XLII. Quae denique de Deo dicuntur, atque perfectionem quidem in creaturis designant, non absolute, sed cum modo creaturis proprio, ea Deo proprie non competunt, sed propter similitudinem aliquam cum Deo, tropice et metaphorice dicuntur, ut sunt rerum inanimatarum, animatarum et maxime hominis nomina, partes, membra, proprietates et actiones, Ps. 94, 7. Quibus jungenda sunt quae Deus oeconomice sibi propria

facit, ut est corpus pro tempore assumptum, sermo, vox, verbum in aëre a se efformatum. Quae omnia ἀνθρωποπαθῶς de Deo dicuntur, et θεοπρεπῶς sunt intelligenda, et ad proprietates efficientiamque divinam significandam referenda sunt.

XLIII. In istis porro omnibus divinis Attributis consistit Dei Perfectio, ut in quo nullus est defectus; Excellentia et praestantia super omnia, ut cui nihil est par vel simile; Gloria vel Majestas, cum interna, in proprietatibus suis, qua in se gloriosus est, Esai. 48, 11. tum externa in luce inaccessibili, Exod. 33, 18. 22. 1 Tim. 6, 16. atque Beatitudo, qua nullius indigus, et omnium bonorum complementum se ipso fruitur, et in se acquiescit, 1 Tim. 6, 15. Act. 17, 25. ideoque unice suscipiendus, benedicendus, honorandus, colendus, eique soli serviendum, adorandus, laudandus, invocandus et verbis factisque glorificandus est, Rom. 1, 21. Tit. 1, 16. Atque is divinae cognitionis finis et usus est.

XLIV. Repugnant huic doctrinae, Atheismus, id est, negatio omnis Dei; πολυθεΐα, multitudo Deorum, sive plures Dei prorsus factitii statuantur, ut gentes faciebant, quas Paulus ἀθέους vocat, Eph. 2, 12. sive vero Deo falsi adjungantur, ut Israëlitae; Idolomania gentium, et Judaeorum, qui idola in Deos efformabant, vel in iis colebant Deos, aut etiam Deum verum; Phantasia de Deo, id est, veri Dei quidem aliqua cognitio, at non talis, qualis ipse est et se verbo manifestavit, sed qualem quis imaginatur, ut olim Samaritani, (quorum cognitio ignorantia Dei dicitur, Joh. 4, 22.) ut et hodie Judaei et Mahumetani; denique Epicureismus, id est, divinae praescientiae et providentiae negatio, quae et Dei re ipsa inficiatio est.

XLV. Item inter Christianos quondam haeresis Manichaea de duobus principiis, bono et malo. Anthropomorphitarum, qui Deo corpoream figuram attribuerunt. Pontificia ἀποθέωσις sanctorum. Idolomania in imaginando et in imaginibus colendo Deo sanctisque. Eorum qui alium nobis Deum fingunt, quam suo verbo revelavit. Omnes denique de Deo blasphemiae et opiniones falsae vitaeque improbitas; quae et ipsa Dei negatio dicitur, Tit. 1, 16.

DISPUTATIO VII.

DE

Sacro-Sancta Trinitate.

Praeside D. JOHANNE POLYANDRO.

Respondente TOBIA DAMMANNO.

THESIS I.

QUEMADMODUM fides Christiana Deum unum in Trinitate, sic personarum Trinitatem in essentiae divinae unitate veneratur.

II. De hac personarum divinarum Trinitate disputaturi, primum voces, deinde rem ipsam examinabimus.

III. Vox personae apud Latinos, ut *τοῦ προσώπου* apud Graecos, est aequivoca. Interdum enim larvam et qualitatem hominis, seu conditionem externam denotat, ut Act. 10, 34. interdum subsistentiam ratione praeditam, ut 2 Cor. 1, 11. Nos hanc vocem analogice ad personas Trinitatis accommodantes, eam posteriori significatu usurpamus.

IV. Quamvis vox Graeca, *πρόσωπον*, cui nomen personae correspondet, non *αὐτολεξεὶ*, vel totidem syllabis in sacris literis inveniatur personis divinis attributa, utrique tamen aequipollens exstat in Epistola ad Hebraeos, cap. 1, 3. ubi Christus vocatur *ὁ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως τοῦ πατρὸς*, id est, expressa imago subsistentiae Patris.

V. Idem de vocabulo Trinitatis asserimus. Hujus enim synonymum, ex lege conjugatorum, est tres. Numerus enim numerans in concreto et numerus numeratus in abstracto, sunt idem re ac significatione. Illum autem numerum Patri, Sermoni seu Filio, et Spiritui Sancto Apostolus Johannes assignat, 1 Epist. 5, 7. cum ait: hos tres in coelo testificari.

VI. Quocirca sicut iis, qui sunt decem decas, sic tribus Trinitas ascribi potest; et sicuti Apostolus ex voce Deus, deitatem, Col. 2, 2. sic Patres Orthodoxi ex dictione tres, Trinitatem recte deduxerunt.

VII. Etsi Patres Graeci posteriores *οὐσίαν* et *ὑπόστασιν* accurate distinxerint, illam absolutam et communem, hanc singularem et relatam naturam nuncupantes; Latini tamen personae voca-

bulo propterea uti maluerunt, quod hypostasis proprie sumpta, aequivoce substantiae primae et secundae, rationali et irrationali, persona vero, substantiae tantum primae ac rationali attribui possit.

VIII. Persona in genere definitur, quod sit substantia, vel natura individua, intelligens, per se subsistens, ac proprietate sua incommunicabili, ab aliis vere ac realiter distincta.

IX. Haec definitio ad quamlibet Sacrosanctae Trinitatis personam adaptata, sic restringitur, quod sit substantia divina intelligens, per se subsistens, proprietate sua incommunicabili, a ceteris, ad quas refertur, realiter distincta, eandem ac totam essentiam divinam in se habens ab aeterno.

X. In qua definitione quinque ponderanda sunt. Quorum primum est, quod sit substantia, peculiari quodam subsistendi modo, quem Graeci τρόπον ὑπάρξεως vocant, insignita ac circumscripta.

XI. Differt ergo persona seu subsistentia divina, a Dei essentia tamquam angustius et determinatum, ab eo quod latius patet atque indeterminatum est.

XII. Nequaquam tamen arbitramur, personam seu subsistentiam in hoc mysterio esse instar substantiae primae, essentiam instar substantiae secundae. Ipsa etenim Dei essentia est maxime unica, individua ac singularis, ideoque de tribus personis tamquam species de individuis nullo modo dici potest.

XIII. Neque asserendum putamus, essentiam Dei tribus personis divinis, tamquam totum quoddam, communicari, aut personas in ea, tamquam partes in toto sibi communicato, subsistere. Nam cum essentia Dei sit infinita, ac prorsus impartibilis, non potest illa de personis divinis, ut totum de suis partibus, praedicari.

XIV. Modus ergo hujus mysterii, ut rationi humanae inexplicabilis, humili potius fide adorandus, quam periculosis locutionibus definiendus est.

XV. Porro subsistentiam, tam Filio et Spiritui Sancto, quam Patri esse ascribendam, ex eo colligi potest, quod et nomina, et actiones, quae sunt suppositorum, illis attribuantur.

XVI. Nam Domini epitheto, quod est personae subsistentis, non tantum Pater et Filius, sed et Spiritus S. in Sacris Bibliis insignitur, ut patet ex horum duorum locorum paralellorum

collatione, Esai. 6, 8. et Act. 28, 25. Nomina vero Patris, Filii et Spiritus S. non nisi personarum subsistentium sunt, Matth. 28, 19.

XVII. Actiones personales sunt, alicui apparere, suoque mandato certum munus injungere, semen Abrahae assumere, speciem columbae induere; quorum primum Esai. 6, 8. descriptum, et Filio, Joh. 12, 14. et Spiritui S. Act. 28, 25. alterum soli Filio, Heb. 2, 16. tertium soli Spiritui Sancto assignatur, Matth. 3, 16.

XVIII. Secundum, quod in personae divinae descriptione posuimus, est, eam esse intelligentem ac proinde volentem. Id Patri, Filio et Spiritui S. aequaliter convenire, hinc liquet, quod Filius et Spiritus S. iisdem sapientiae, scientiae, veritatis, consilii ac beneplaciti elogiis, quibus Pater, in sacro codice passim ornentur, ut Prov. 8. Es. 12, 2. Joh. 14, 17. 1 Cor. 12, 11. etc.

XIX. Tertium in personae divinae definitione notandum est, eam proprietate incommunicabili ab aliis personis, ad quas refertur, realiter esse distinctam. Quod de qualibet Trinitatis persona vere dici, relativa nomina Patris, Filii et Spiritus Sancti declarant.

XX. Quamquam enim divinae personae ab humanis in eo differunt, quod harum una non sit in altera, illae vero sint ἐνυπόστατοι, id est, in se invicem exsistentes, teste Christo, Joh. 14, 11. Credite mihi, me in Patre et Patrem in me esse, non sola tamen ratione, sed re ipsa inter se sunt distinctae, ut una earum non sit altera, nec esse possit.

XXI. Notae quibus hae personae divinae inter se distinguuntur, aut sunt internae, aut externae. Illae ex tribus diversis proprietatibus characteristicis, opera earum ad intra connotantibus, cognoscuntur.

XXII. Harum proprietatum prima est, quod Pater ingenitus, Filium ejusdem essentiae communicatione ab aeterno genuerit. Quam Patris proprietatem, Graeci ἀγεννησίαν, nos minus apte innascibilitatem appellamus.

XXIII. Secunda est, quod Filius a Patre genitus, eandem cum Patre essentiam participaverit. Quam secundae personae proprietatem, Graeci γενέσεως, nos nativitatis nomine exprimimus.

XXIV. Tertia est, quod Spiritus S. a Patre et Filio emanet.

Quam Spiritus S. proprietatem, Graeci ἐκπόρευσιν, nos processionem nominamus.

XXV. His tribus proprietatibus characteristicis, internas actiones personales connotantibus, tres personae Trinitatis non tantum inter se interno discrimine distinguuntur, sed etiam mutua relatione quasi invicem opponuntur, nimirum, Pater gignens, Filio genito, et uterque spirans, uni spirato, ac vice versa.

XXVI. Notae externae ex quibus earundem personarum distinctio animadvertitur, sunt operationes ad extra; quae partim sunt essentiales, quatenus a totius essentiae, tribus personis aequaliter communis, principio proficiscuntur; partim personales, aut quatenus ordo personarum agentium in iis consideratur, ut creatio, quae ordinis respectu Patri, tamquam primae personae, κατ' ἐξοχὴν attribuitur, aut quatenus sapientiae divinae οἰκονομία seu dispensatio singularis in iis spectatur: cujus respectu missio Filii ad Redemptionem Patri, Redemptio Filio incarnato, ac Sanctificatio Spiritui Sancto peculiariter ascribitur.

XXVII. Quartum quod in personae divinae delineatione observavimus, est, quod eandem ac totam essentiam in se habeat. Quod divinae personae quarto modo proprium est; quo differt ab humana persona, quae totam quidem specie, sed separatam individuo, humanam naturam occupat.

XXVIII. Non ergo essentia est aliquid re ipsa a persona abstractum, aut separatum, sed τῷ λόγῳ seu ratione tantum ab ea distinctum. Modus enim subsistendi, non realiter personam ab essentia dividit, sed ratione ac notione tantum discernit.

XXIX. Hinc quaelibet persona divina totus ac perfectus Deus, tam in Vetere, quam in Novo Testamento, tum subjective, tum attributive, vocatur, Gen. 1, 1. Rom. 9, 5. Act. 5, 4. et 20, 28.

XXX. Ultimum quod personae divinae tribuimus, est quod tota essentia divina in ea sit ab aeterno.

XXXI. Non igitur una persona divina certo aliquo tempore ab alia orta est, ut quaelibet humana, sed per sempiternam unius ejusdemque essentiae aeternae communionem cum altera semper exsistit.

XXXII. Unde essentia unius personae est alterius essentia, et quicquid de Deo communiter dicitur, de qualibet etiam Trinitatis persona singulariter pronunciatur, quod nimirum sit

simplicissima, infinita, aeterna, immutabilis, intelligens, misericors, justa, bona, sancta, omnipotens, etc.

XXXIII. Haec divinarum personarum Trinitas, non ut essentiae Dei unitas, ex naturae, sed ex solius Scripturae documentis demonstrari potest.

XXXIV. Liber enim naturae viam ostendit rationi humanae a creaturis ad Deum creatorem, tamquam ab effectis ad causam entium primam atque universalem assurgendi, Rom. 1, 19. 20.

XXXV. Liber autem Scripturae, sola Spiritus S. revelatione supernaturali, fidem Christianam ad magnum illud pietatis arcanum de uno Deo, personis Trino, deducit, quod nec ratione comprehendi, nec sensu percipi, nec lingua exprimi, nec experientia doceri, nec exemplo declarari potest.

XXXVI. Quae a Mercurio Trismegisto in libro qui inscribitur Pimander, Dial. 4. dicuntur, Monadem genuisse Monadem, et suum in se ardorem reflexisse, adeo sunt obscura et ambigua, ut in diversos sensus trahi possint, ac potius de alia ab uno Deo propter sui ipsius amorem productione, intelligenda videantur, quam de ea, quam nos credimus, unius Filii ab uno Patre generatione et Spiritus S. ab utroque processione.

XXXVII. Quamvis enim nonnullae purioris Religionis reliquiae, vel ex Hebraeorum traditione, vel ex Bibliorum lectione collectae, apud Mercurium illum Trismegistum, Platonem ipsorumque discipulos exstare videantur, non tamen ex iis ostendi potest, quod tres distinctas personas in una Deitate agnoverint, sed tres potius οὐσίας atque essentias diversas constituerint.

XXXVIII. Hoc mysterium Trinitatis in Novo Testamento multo clarius, distinctius ac frequentius, quam in Vetere, traditur, quoniam scilicet Deo plenam ac perfectam hujus abstrusi mysterii patefactionem in Messiae adventum differre placuit.

XXXIX. Interim loca nonnulla Veteris Testamenti producemus, ex quibus pluralitas atque adeo Trinitas personarum numero plurium adumbrata colligi potest. Quae ad 6 potissimum classes revocari possunt.

XL. Prima classis est eorum locorum, in quibus Elohim cum Jehova conjungitur. In illis enim, Jehova unam essentiam, Elohim plures personas in ea distinctas indicat, maxime quod voci plurali Elohim adjectiva et verba singularia saepius adjungantur.

XLI. Etsi vero Elohim interdum de una tantum Trinitatis persona enuntietur, ut Ps. 45, 7. non tamen id fit exclusive, sed inclusive per locutionem synecdochicam, qua, tum ob essentiae unitatem tribus personis communem, tum ob personarum ἐμπεριχώρησιν, seu mutuam inexsistentiam, sub unius personae denominatione, ceterae comprehenduntur.

XLII. Secunda classis est locorum, in quibus Deus in plurali numero de semetipso proprie loquitur, ut Gen. 1, 26. Faciamus hominem ad imaginem nostram., et Gen. 3, 22. Ecce Adam quasi unus ex nobis., et c. 2, 7. Dixit Deus, descendamus et confundamus linguam eorum, etc.

XLIII. Cui simile exemplum ne in Regibus quidem ambitiosissimis ex Sacra Scriptura produci potest, sed e contrario ostendi, eos de se locutos fuisse in numero singulari, nimirum, ex Gen. c. 14. et 20. et 41. Dan. c. 2. et seqq. 2 Chron. 36. Esd. c. 1. 6. et 7.

XLIV. Ceteros quod attinet, qui nobis a Judaeis objiciuntur, ex 2 Sam. 16, 20. Job. 15, 3. Dan. 2, 36. Cant. 1, 4. illos non de se solis proprie, sed etiam figurate de aliis, quorum personas repraesentabant, in plurali numero fuisse locutos, ex eorundem locorum circumstantiis probari potest.

XLV. Tertia classis est eorum, in quibus nomen Jehovae et Dei tribus distinctis vicibus in una sententia repetitur, ut Num. 6, 23. 24. 25. 26. Sic benedicetis filiis Israël: Benedicat tibi Jehova, et custodiat te; lucere faciat Jehova faciem suam ad te, et misereatur tui; attolat Jehova faciem suam ad te, et donet tibi pacem.

XLVI. Quarta est eorem, in quibus Deus tribus appellationibus sibi propriis ornatur, ut Es. 6, 3. Seraphim clamabant alter ad alterum: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum.

XLVII. Quinta est, in quibus Dominus de Domino loquitur, ut Ps. 110, 1. Dixit Dominus Domino meo: sede a dexteris meis. Ose. 1, 7. Sic dicit Dominus: Miserebor domus Judae, et salvabo eos in Domino Deo suo, etc.

XLVIII. Postrema classis est eorum, in quibus plures personae distincte et variis nominibus appellantur, utpote Jehova et Angelus Jehovae ac faciei Jehovae, Sapientia, Filius, Verbum

Jehovae ac Spiritus Jehovae, Genes. 48, 16. Exod. 14, 19 et 23. Ps. 2. Prov. 8. Esai. 63, 9. Agg. 2, 6, 8. etc.

XLIX. Novi Testamenti testimonia legi possunt, Matt. 3, 16. 17. et 28, 19. Joh. 14, 16. et 15, 26. 2 Cor. 13, 13. 1 Joh 5, 7. Apoc. 1, 4. 5. et similia quam plurima Christiano ac pio lectori non ignota.

L. Ex superioribus assertionibus verbo divino consentaneis sequitur, falsam ac blasphemam esse omnium cum veterum, tum recentiorum Antitrinitariorum, ac hodie Socinianorum sententiam, qua statuunt, unam tantum esse personam divinam, Deum nempe, Patrem Domini nostri Jesu Christi; ad hujus confirmationem abutentes Sacrae Scripturae testimoniis prave intellectis, ut Joh. 17, 3. 1 Cor. 8, 6. Eph. 4, 6. et similibus, quibus Deus qui invocatur a Christianis, a falsis quos colunt Ethnici, hoc epitheto atque elogio tribus personis divinis communi discernitur, quod is sit solus verus Deus; ac proinde Pater, nec Filio, nec Spiritui Sancto, sed idolis exclusive opponitur.

DISPUTATIO VIII.

DE

Persona Patris et Filii.

Praeside D. ANTONIO WALAEO.

Respondente ANTONIO SCRIVERIO.

Thesis I.

Quum antecedenti disputatione de S. Sancto Trinitatis mysterio generatim actum fuerit, ordo a nobis antea propositus postulat, ut de persona Patris et Filii sigillatim agamus.

II. Quando primam in S. Sancta Trinitate personam Patrem nominamus, non referimus id ad creaturas, quae ex nihilo a Deo productae sunt; nec ad fideles, qui filii Dei adoptivi sunt, quorum respectu in Scripturis Deus etiam Pater nonnunquam vocatur; sed referimus ad Filium qui ab aeterno ab eo est genitus, et vocem Patris ὑποστατικῶς seu personaliter usurpamus.

III. Personam Patris vere personam esse, et a nulla persona originem habere, apud omnes Christianos in confesso est. Quum ergo a se ipso esse, et αὐτοφυὴς καὶ αὐτογέννητος a nonnullis orthodoxis dicitur, id negative, non affirmative est intelligendum; quia nempe a nullo est, sed a se ipso et per se ipsum ab omni aeternitate subsistit.

IV. Deitatem quoque ejus veram et aeternam nemo Christianorum in dubium vocavit; nisi quod Marcionitae et similes, alium Deum creatorem et Veteris Testam. auctorem; alium vero Patrem Jesu Christi et Novi Test. conditorem, blaspheme, contra universae S. Scripturae consensum, imaginati sunt; quae unum Deum Patrem nobis ubique proponit, et eundem quoque Patrem esse Jesu Christi et Novi Test. conditorem, constanter testatur, nominatim vero Christus ipse, Matt. 11, 25. et Joh. 8, 54. item Apostoli, Act. 8, 14. Gal. 3, 17. Hebr. 8, 8. etc.

V. Patrem autem primam personam esse dicimus; tum respectu subsistentiae ejus, quae a nulla alia persona est, et a qua reliquae suam originem habent; tum respectu operationum divinarum quae ad extra sunt, et ab eo tamquam a primo fonte per Filium et Spiritum S. derivantur; tum denique respectu ordinis quem S. Scriptura passim usurpat, imprimis vero in formula Baptismi nostri, Matt. 28.

VI. Proprietas vero characteristica et interna Patris, qua a Filio et Spiritu S. ὑποστατικῶς distinguitur, est generatio activa. Etsi enim et Spiratio activa Patri conveniat, ea tamen ejus characteristica proprietas non est, quia ei cum Filio est communis.

VII. Est vero haec activa generatio, interna et personalis Dei Patris actio, qua spirituali et ineffabili modo Filium suum, ut imaginem suam, ab aeterno ex sese in eadem essentia genuit, et eandem infinitam essentiam totam, per eandem generationem, ei communicavit. Cujus definitionis singula membra nobis diligentius explicanda sunt et probanda.

VIII. Generationem hanc internam et personalem, Dei Patris actionem cum dicimus, opponimus eam creationi et gubernationi rerum, quae extra Deum et ejus essentiam occupantur; opponimus quoque internis et immanentibus Dei actionibus essentialibus, qualis est praescientia rerum omnium aeterna, Act. 15, 18. aeterna nostri electio, Eph. 1, 4. πρόγνωσις seu

praeordinatio aeterna agni illius pro nobis offerendi ultimis temporibus, 1 Pet. 1, 20. etc., quae actiones quidem immanentes sunt et aeternae, sed essentiales et personis communes, quia in creaturas vel earum saltem respectu exercentur; etsi agendi modus peculiaris et proprius in eis quoque assignari possit.

IX. Hujus generationis testimonia plurima nobis suppeditantur a Scriptura, ut Ps. 2, 7. Filius meus es tu, ego hodie genui te. Prov. 8, 22. Jehova possidebat me in principio viae suae, et 24. Quum nullae essent abyssi, edita vel concepta eram. Mich. 5, 1. Ejus exortus inde a principio, a diebus seculi. Ideo vocatur Filius Dei unigenitus, et quidem unigenitus a Patre, Joh. 1, 14. item Filius Dei proprius, Rom. 8, 32. et πρωτότοκος πάσης κτίσεως, genitus ante omnem creaturam, Col. 1, 15. et Pater illius proprius Pater, Joh. 5, 18. Idem quoque indicant etsi figurate nomina Sapientiae, Verbi, Imaginis, χαρακτῆρος et ἀπαυγάσματος, quae ei Prov. 8. Joh. 1. Col. 1. et Heb. 1. tribuuntur, et ortum ejus ac genituram hanc perspicue indicant.

X. Eadem testimonia aeternitatem quoque hujus generationis demonstrant, et multa praeterea alia, quae pro aeternitate subsistentiae ejus proferuntur; imo et ipsa hujus generationis natura id postulat. Nam cum ipsa non minus, quam ipse Deus Pater, omnis mutationis et vicissitudinis expers necessario statuenda sit, eam etiam omni temporis principio carere omnino consequitur. Pater enim absque Filio cogitari non potest.

XI. Quemadmodum vero haec generatio omni temporis initio caret, ita etiam omni fine eam carere necessario fatendum est; cum aeternitatis vel praecipua proprietas sit, quod tota simul est et omnis finis expers. Actu ergo, quemadmodum omnis spiritualis generatio, perpetua est et effectu semper perfecta; sicuti sol perpetuo et indeficienter lucem suam producit, sine ullo ejus defectu vel augmento. Alioquin enim daretur Dei Patris generare incipientis, generantis, et generare desinentis mutatio. Unde et veteres non absurde locum illum, Ps. 2. Hodie genui te, de hoc aeterno et semper eodem generationis actu intellexerunt.

XII. Eandem generationem cum internam et spiritualem esse dicimus, opponimus geniturae corporum, in quibus res genita extra gignentem procedit; opponimus etiam opinionibus

variorum haereticorum, qui effluxum, vel defluxum, vel partitionem aliquam divinae essentiae hic sunt imaginati. Demonstrat hoc essentiae divinae in Patre et Filio identitas, quam paulo post invictis argumentis astruemus; item similitudines quae in hac materia a S. Scriptura proponuntur, quae Thesi 9. expressae sunt. Demonstrant denique clara S. Scripturae loca, imprimis dicta Christi, Joh. 10, 30. ubi eandem suam et Patris potentiam esse asserit, et vers. 38. testatur, quod Pater sit in ipso, et ipse in Patre; et quod Pater in ipso μένων, manens haec opera faciat, Joh. 14, 10. quam ἐμπεριχώρησιν Graeci, Scholastici vero mutuam circumincessionem nominarunt.

XIII. Ex his quae dicta sunt, facile solvitur illa Arrianorum Stropha, qua Patres antiquos olim intricare conati sunt; nempe an Pater suum Filium volens genuerit, an nolens. Nolentem genuisse dici non posse, nec etiam volentem, quia voluntatis actiones sunt liberae, ac proinde et non esse possunt. Responsio enim vera et certa haec est, quod Deus Pater genuerit Filium suum natura; quemadmodum bonus, justus et sapiens est natura sua, voluntate scilicet generationem hanc, sicut et bonitatem, justitiam, sapientiam ejus, semper comitante ac probante, non eam antecedente nec producente, unde et Filius εὐδοκίας, et ἀγάπης αὐτοῦ, Matth. 17, 5. et Col. 1, 13. appellatur.

XIV. Quod vero Pater per generationem hanc aeternam Filio suo totam suam essentiam communicaverit, evincit aequalitas ejus cum Patre, Joh. 5, 18. ubi dicitur, quod se ipsum aequalem, nempe sermone suo, fecerit Deo, et Phil. 2, 6. quod non duxerit rapinam, aequalem vel parem esse cum Deo. Joh. 5, 20. Pater amat Filium, et omnia ostendit ipsi quae ipse facit, etc. sicut enim Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius quos vult, vivificat, etc., ut omnes honorent Filium, sicut honorant Patrem. Evincunt id etiam diserti alii loquendi modi, quos alibi usurpat Scriptura, ut Joh. 5, 26. Sicut Pater vitam habet in se ipso, sic Filio quoque dedit habere vitam in se ipso, et Joh. 10, 30. Ego et Pater unum sumus, nempe potentia, ac proinde et essentia divina, ut vers. 33. ab ipsis Judaeis recte colligitur, et Joh. 16, 14. Ipse, nempe Spiritus Sanctus, me glorificabit, quia de meo accipiet, et renunciabit vobis; omnia

quae habet Pater, mea sunt; propterea dixi quod de meo accipiet, et renunciabit vobis.

XV. De modo seu forma hujus generationis veteres Patres adversus Arrianos et Samosatenianos olim quoque disputare sunt ausi, et plurimi inter eos, quos et Scholastici sunt secuti, statuerunt, Patrem genuisse Filium suum in eadem essentia, dum se ipsum in aeternitate atque infinitate sua, ineffabili modo perfecte ac plene cognoscit atque intuetur; et sicuti mens nostra, quum se ipsam per reflexionem cogitat atque intelligit, imaginem aliquam sui ipsius, etsi nec perfectam nec distincte subsistentem, in sese efformat: sic Deum Patrem, quum se ipsum eminentissimo ac divino, eoque ineffabili modo intelligit, perfectissimam et distincte subsistentem sui imaginem in se produxisse, et aeternum producere; quemadmodum per reciprocum Patris ac Filii amorem, Spiritum Sanctum ab utroque procedere senserunt.

XVI. Unde quoque duplex discrimen, inter generationem Filii et Spiritus S. productionem, observarunt: 1. quod in vera generatione unum activum principium tantum requiratur, in productione vero Spiritus S. duae personae inter se conspirent; 2. quod ad veram generationem requiratur similitudo seu imago ejus qui producit, in eo qui producitur; imago autem haec in actione illa intellectus, non in actione naturali voluntatis reperitur.

XVII. Hunc productionis modum collegerunt ex analogia humanae mentis, quae imaginem Dei prae ceteris omnibus creaturis refert, et ex epithetis ac nominibus, quibus S. Scriptura Filium Dei peculiariter insignit: quando nempe eum appellat Dei sapientiam, Prov. 8. 1 Cor. 1, 24. λόγον seu verbum Dei, Joh. 1, 1. ἀταύγασμα gloriae ejus et characterem substantiae ejus, Hebr. 1, 3. item imaginem Dei inconspicui, Col. 1, 15. etc., quae omnia mentem fidelem huc videntur tamquam manu ducere; etsi de Spiritu S. nomen δυνάμεως potius, quam ἀγάπης usurpetur, Luc. 1, 35. Quia vero S. Scriptura illud tam perspicue ac distincte non asserit, nos fidelem ignorantiae professionem, temerariae assertioni praeferendam judicamus; et diem illum exspectare malumus, in quo de facie ad faciem Deum sumus intuituri, atque illud quod hic ex parte cognoscimus, perfecte ac plene sumus cogituri.

XVIII. Ex fundamentis antea propositis liquet, utrum Filius

Dei recte dicatur αὐτόθεος, necne; quod in Calvino post maledicum illum Genebrardum malitiose calumniantur quidam Jesuitae, excusante tamen ipsum Bellarmino. Asserimus enim, Filium Dei, si Deitatem seu essentiam ejus absolute spectes, et esse et recte vocari αὐτόθεον, quemadmodum a quibusdam Patribus eo respectu sic vocatur. Sin vero eandem essentiam consideres ut in Filio sub certo et distincto ὑπάρξεως τρόπῳ subsistentem, tum Deum esse de Deo et lumen de lumine, quemadmodum in Symbolo Niceno definitum est.

XIX. Quae hactenus de Persona Patris dicta sunt, Filii Dei notitiam nobis quoque manifestant, quia relatorum haec natura est, ut simul sint et cognoscantur; ut tamen orthodoxa haec doctrina adversus veteres et hodiernos Haereticos tanto firmius stabiliatur, quaedam praeterea de eo nobis sunt explicanda.

XX. Est ergo Filius Dei secunda Trinitatis persona, ab aeterno a Patre genita, ejusdem cum Patre divinitatis ac essentiae, et tamen a Patre ac Spiritu Sancto per proprietates suas characteristicas realiter distincta. Cujus definitionis nonnulla membra ex antecedentibus satis liquent, quae vero ulteriore demonstratione opus habent, sequentibus proponentur.

XXI. Ea autem ad haec duo capita a nobis ordinis causa revocabuntur. Primo demonstrabimus adversus Samosatenianos, Arrianos et Socinianos, Filium Dei esse Patri vere ὁμοούσιον, id est, ejusdem cum Patre essentiae ac divinitatis. Deinde adversus Sabellianos et Servetianos, eum tamen esse veram et distinctam a Patre personam.

XXII. Filium Dei esse Deo Patri vere et absolute ὁμοούσιον, demonstratur sequentibus duobus immotis fundamentis. Primum petitur ex diversis locis Veteris Test. in quibus, quae de vero atque aeterno Deo ac Patre intelliguntur et praedicantur, eadem quoque in Novo Test. de Jesu Christo Dei Filio intellecta et praedicata esse asseruntur; quod nisi eadem utriusque esset essentia ac divinitas, fieri nulla ratione posset.

XXIII. E multis locis ejusmodi, haec tria tantum proferimus. Num. 14, 22. Ps. 95, 8. Es. 63, 10. et alibi passim verus Jehova et Deus Israëlis tentatus dicitur in deserto ab Israëlitis, Paulus vero 1 Cor. 10, 9. Christum ab iis fuisse in deserto tentatum, disertis verbis ait. Ps. 102, 26. de vero Jehova et Deo Davidis dicitur: Tu ab initio, Domine, terram fundasti, et

opera manuum tuarum sunt coeli; illa peritura sunt, tu autem permanes, etc. quae verba de Filio Dei enunciata esse, idem Apostolus ad Heb. 1, 10. clare testatur. Esai. 6. Prophetae apparet Dominus insidens solio gloriae, et Cherubinorum stipatu cinctus, qui eundem mittit ad populum Israëlis, ut pronunciet adversus ipsorum contumaciam divina judicia. Johannes vero cap. 12, 41 asserit, haec dixisse Esaiam cum gloriam ejus, nempe Christi, videret et testaretur de ipso.

XXIV. Alterum fundamentum petitur ex communione nominum, proprietatum, operum et cultus divini, quae est inter Filium et Patrem tamquam verum et aeternum Deum.

XXV. Nam cuicunque absolute et simpliciter tribuuntur nomina Deo propria, proprietates Dei essentiales, opera vere divina et cultus soli Deo conveniens, is est verus, aeternus et coessentialis cum Patre Deus. At haec omnia Filio Dei absolute et simpliciter tribuuntur. Ergo Filius Dei est verus, aeternus et coessentialis Patri Deus.

XXVI. Major hujus Syllogismi est αὐτόπιστος. Nam cum unus tantum sit Deus, qui gloriam suam alteri non dat et cum per haec γνωρίσματα se ipsum a creaturis et diis imaginariis passim distinguat, necessario atque irrefutabiliter sequitur, eum, cui eadem quae Patri tribuuntur, esse ejusdem essentiae ac divinitatis cum Patre. Minor vero multis perspicuis ac solidis S. Scripturae locis nititur, e quibus sequentia sufficiunt.

XXVII. Nomina, quae Deo propria sunt, et Filio vel absolute communicantur, vel cum ejusmodi epithetis quae nulli alii competunt, inter cetera sunt haec: Nomen Jehovae, Jer. 23, 6. et vocabitur Jehova justitia nostra. Nomen Dei, tum attributive, Joh. 1, 1. Verbum erat Deus, tum subjective, Act. 20, 28. Deus redemit Ecclesiam suo sanguine, vide et Ps. 45, 7. et 1 Tim. 3, 16. Dominus, Ps. 110, 1. Dixit Jehova Domino meo, item conjunctim, Deus mi et Domine mi, Joh. 20. 28. Vocatur quoque scrutator renum et cordium, Apoc. 2, 23. Rex Regum et Dominus dominantium, Apoc. 17, 14. etc. 19, 16. Principium et finis, Alpha et Omega, primus et ultimus, Apoc. 22, 13. Item a Paulo Deus super omnia laudandus in secula, Rom. 9, 5. Dominus gloriae, 1 Cor. 2, 8. Deus

ille magnus, Tit. 2, 13. ac denique a Johanne verus Deus et vita aeterna, 1 Joh. 5, 20. etc.

XXVIII. Proprietates Dei essentiales, Filio quoque passim in Scripturis communicantur, quales sunt: Aeternitas, Joh. 17, 5. Glorifica me tu, Pater, apud temetipsum, ea gloria, quam habui apud te, priusquam mundus esset, et Col. 1, 17. Ipse est ante omnia. Plura de hoc attributo Thesi 9. Infinitas et omnipraesentia, Mat. 18, 20. Ubi duo aut tres congregati sunt in nomine meo, ibi sum in medio eorum, et cap. 28, 20. Ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi. Sic Joh. 3, 13. loquebatur in terra cum Nicodemo, et tamen erat in coelo. Omniscientia, etiam cogitationum hominis, Joh. 2, 24. Christus se eis non credebat, quia ipse omnes noverat, et 21, 17. Domine, tu nosti omnia, tu nosti quod amem te. Omnipotentia, Joh. 10, 29. Pater est major, vel potentior, omnibus, etc. Ego et Pater unum sumus. Sic Phil. 3, 21. tribuitur ei efficacia qua sibi potest omnia subjicere. Talis etiam proprietas est immutabilitas, Hebr. 1, 12. Tu idem es, et anni tui non deficiunt, et Heb. 13, 8. Christus Jesus heri, et hodie idem, et in secula.

XXIX. Opera Deo propria, Filio quoque ubique tribuuntur. Quale est, mundi creatio, Joh. 1, 3. Omnia per eum facta sunt, etc., Col. 1, 16. Per eum condita sunt omnia, quae in coelis sunt et quae in terra sunt, visibilia et invisibilia. Omnium rerum creatarum sustentatio, Coloss. 1, 17. Omnia per eum consistunt. Heb. 1, 3. Omnia sustentat verbo potentiae suae. Tale opus est resuscitatio mortuorum, Joh. 5, 21. Quemadmodum Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius quos vult, vivificat, et Joh. 6, 40. Ego illos suscitabo ultimo die. Item missio Spiritus S. Joh. 16, 7. et multorum aliorum miraculorum divinorum patratio, Marc. 16, 20. etc. Talia quoque sunt sanctificatio et glorificatio nostri, quae Christo passim in Scripturis ascribuntur, et alibi tamen Deo propria vindicantur.

XXX. Denique cultus Deo proprius et singularis, Filio quoque non minus quam Patri passim defertur. Qualis est adoratio et invocatio, Act. 7, 59. Lapidaverunt igitur Stepha-

num invocantem et dicentem: Domine Jesu, suscipe spiritum meum, et Act. 9, 14. inquit Ananias de Saulo: Accepit potestatem vinciendi omnes, qui invocant nomen tuum. Sic Paulus passim in principio et fine Epistolarum suarum eum invocat, et gratiarum actionem et laudem eandem cum Patre ei offert, quod et Sancti in coelis faciunt, Apoc. 5, 9. imo et Angeli Dei omnes, Hebr. 1, 6. et Apoc. 5, 12. etc. Ita etiam baptizamur in nomine Filii, sicut in nomine Patris et Spiritus Sancti, Mat. 28. Credimus in ipsum, Joh. 14, 1. Creditis in Deum, et in me credite. Speramus in ipsum, 1 Cor. 15, 19. Si in hac vita tantum in Christo speramus, miserrimi sumus omnium hominum. Imo vero omnes tenentur honorare Filium, sicut honorant Patrem, Joh. 5, 23.

XXXI. Quae hactenus a nobis proposita sunt, coram conscientiis omnium eorum, qui fidem suam Dei verbo sincere subjicere cupiunt, invicte demonstrant, hunc fidei nostrae fundamentalem articulum esse certum et firmum. Restat ut jam breviter adversus Sabellianos et Servetianos probemus, Filium Dei esse veram et distinctam a Patre personam.

XXXII. Veram esse personam, ostendunt conditiones illae, quae in vera persona requiruntur. Est enim individuum per se subsistens, quia antequam Abraham esset, ipse est, Joh. 8, 58. vivit, nam Pater dedit ei vitam habere in se ipso, Joh. 5, 26. intelligit, nam novit omnia, Joh. 21, 17. vult, nam Filius quos vult, vivificat, Joh. 5, 21. facultatem agendi habet, nam habet potestatem ponendi animam suam et eam rursus sumendi, Joh. 10, 18. operatur, nam quae Pater facit, ea Filius similiter facit, Joh. 5, 19.

XXXIII. Distinctam vero a Patre personam esse, omnia illa loca, quae supra a nobis allata sunt, manifesto quoque evincunt; et praeter ea, quae testantur, eum esse apud Deum, in sinu Patris, Filium Dei, missum a Patre, alium testem a Patre, mittere Spiritum S. a Patre, imaginem expressam Patris; item in quibus Pater dicitur per Filium creasse omnia, in ipso et per ipsum nos elegisse, nos in ipso reconciliasse, et similia infinita, quae ubique S. Scripturas legenti occurrunt, et expressam distinctionem notant.

XXXIV. Concludimus ergo adversus omnis generis Haereticos recentes et antiquos, qui impegerunt in hunc angularem lapidem, in quo tota domus fundata et firmata est, Jesum Christum Dei unigenitum Filium, esse unum et aeternum cum Patre Deum, in eadem divina essentia distincto ὑπάρξεως τρόπῳ subsistentem, cui cum Patre et Spiritu S. sit honor et gloria in secula, Amen.

DISPUTATIO IX.

DE

Persona Spiritus Sancti.

Praeside D. ANTONIO THYSIO.

Respondente FRANCISCO JOSIO.

THESIS I.

QUUM de tribus Divinitatis Personis, primum conjunctim, inde sigillatim de Patre Filioque sit actum, consequens est ut hac συζητήσει de Spiritu Sancto similiter agamus.

II. Quamvis Spiritus hic vox, a creaturae notione plane submovenda sit, tamen propter analogiam aliquam quam habet creatura ad Deum, communiter explicari non abs re erit. Significat ergo רוח πνεῦμα, spiritus, proprie flatum, adeoque essentiam subtilem et potentem, sive is sit ventus, Gen. 8, 1. Joh. 3, 8. sive animantis halitus, Es. 2, 22. atque inde metaphorice hominis animum, Eccles. 12, 7. Luc. 23, 46. 1 Cor. 2, 11. et angelum, Heb. 1, 7. 14. quin et creaturae vim, affectionem, motumque vehementem, Agg. 1, 14.

III. Deinde commoda analogia ad Deum translata, vel divinam essentiam absolute et communiter acceptam, Joh. 4, 24. essentiaeque proprietatem, virtutem et potentiam in Deo residentem, aut ad creaturas exsertam, denotat, vel relate personam in divinis tertiam; qui Spiritus Dei, Gen. 1, 2. 1 Cor. 2, 11. et Domini, Es. 61, 1. et Spiraculum omnipotentis, Job. 33, 4. nempe relatione habita ad spirantem Deum, Spiritus, scil. a Deo spiratus; qui et Spir. Sanctus, Es. 63, 10. et Spir.

Sanctus Dei, Eph. 4, 30. natura, officio, effectuque appellatur; indeque novus ac renatus homo, novi ac sancti motus etiam spiritus nomine veniunt, Joh. 3, 16. Atque illa relata in divinis notione hic accipimus.

IV. Est autem Spiritus Dei sive Sanctus, tertia Deitatis seu Sacro-Sanctae individuae Trinitatis hypostasis, id est, persona, a Deo Patre Filioque ineffabili spiratione, sine ulla perpessione ab aeterno procedens: adeoque ab utriusque persona singulari distincta, et essentiae unione et communione conjuncta.

V. Hypostasin seu personam, et quidem divinam esse, arguunt et evincunt personae definitio, ac personalia omnia. Utpote substantia et vita, ut qui essentiae et vitae omnis auctor, Emitte Spiritum tuum, et creabuntur, Ps. 104, 30. Intelligentia, Scrutatur, et novit profunda Dei, 1 Cor. 2, 10. Voluntas, Distribuit singulis prout vult, 1 Cor. 12, 11. Potentia, actiones, effectaque, ut est creatio, regeneratio, sanctificatio, etc. 1 Cor. 12, 11. Item, quod de Christo testatur, Christum glorificat, Apostolos docet, et ducit in omnem veritatem, consolatur, futura eis annunciat, mundum arguit, etc. Joh. 14. 15. 16. cap. Quin quae circa eum usuveniunt, ut quod sub specie columbae, venti, et ignearum linguarum apparuerit, Matt. 3, 16. Act. 2, 4, quod ad iram provocetur, Es. 63, 10. contristetur, Eph. 4, 30. peccatum et blasphemia in illum committatur, Matt. 12. aliaque quae personae proprie competunt, adjungantur.

VI. Quinimo distincta a Patre et Filio persona est. Non enim Pater aut Filius, sed alius a Patre et Filio, Joh. 14, 16. Rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis. Illi mittunt, hic venit, Joh. 15, 26. Cum autem venerit advocatus ille, quem ego mittam a Patre. Certè qui mittit Pater et Filius, et qui venit, diversae personae sunt. Quotiescunque etiam S. Scriptura totam Trinitatem exprimit, Spiritum Sanctum, ut distinctam personam a Patre et Filio, proponit, Matt. 3, 16. et 28, 19.

VII. Tertia persona est in divinis. Matt. 28, 19, non naturae diversitate, aut majestatis inaequalitate, sed subsistendi ordine: unde etiam Tertia persona vocatur.

VIII. Modus ὑπάρξεως Spiritus S. ei cum Filio communis, est in communicatione divinae essentiae, ejusque participatione: non in parte, per quandam decisionem (non enim dividua est divina natura) sed unius ac totius communione, neque illa in tempore, (ἄχρονος enim, et extra tempus, auctor temporis) sed ab aeterno, ac proinde ignorat temporis partes, ac sic neque futura, neque fieri, neque facta dici potest. Unde sive hic actus in praesenti, ut cum dicitur a Patre procedere, sive in praeterito, ut cum dicitur spiratus, explicetur, sine partium temporis relatione intelligendum est.

IX. Modus singularis qui subsistentiam ejus constituit, et quo a Patre Filioque distinguitur, est in spiratione Dei ac ei respondente processione. Ut enim spirando producitur, ita emanando subsistit; quod vel vox Spiritus, qui proprie procedere, scilicet a spirante, dicitur, comprobat.

X. Processionis porro vox non accipienda est secundum virtutis et efficaciae a Deo emanationem, quatenus opera Dei procedunt ab operante; vel secundum interiorem et immanentem in essentia Dei actionem, quae tamen tendit in objectum extra Deum, qualiter decreta Dei sunt et procedunt a Deo; sed juxta actionem Dei ad intra (ut loquuntur scholae), id est, qua ita agit Deus in essentia sua, ut reflexus in se ipsum, divinae essentiae communione relationem realem constituat.

XI. Neque tamen intelligenda est quatenus communiter quoque Filio competere potest, cui ratione personalis exsistentiae a Patre, etiam ἔξοδος, egresssio a diebus aeternitatis, et respectu missionis, et adventus in carnem ἐξέλευσις, exitus a Patre tribuitur, Mich. 5, 1. Joh. 16, 27. 28., sed qua singulariter Spiritui Sancto ἐκπόρευσις, processio, ut personalis characteristica proprietas, in sacris literis assignatur, Joh. 15, 26.

XII. Locum vero illum illustrem quo dicitur, Spiritus ille veritatis qui a Patre procedit, Joh. 15, 26. veteres quidem omnes de processione aeterna Spiritus Sancti, at vero recentiorum nonnulli de ea quae in tempore fit, ἐνεργείας et operationis, intelligunt; nos vero utrumque actum comprehendimus, illum quidem primario, hunc vero secundario.

XIII. Distinctio inter generationem et spirationem, nativitatem et processionem, ex nomenclatura et re ipsa, ab humanis (unde fluxere vocabula et notiones) ad res divinas relata, ali-

quo modo innotescit. Illa Patris Filiique est, haec oris, in quo quidem potentia interna animae sese profert. Unde et Spiritus oris et labiorum Dei dicitur, Ps. 33, 6. Es. 11, 4.

XIV. Sed quoniam haec, figurate scilicet et ἀνθρωποπαθῶς dicta, θεοπρεπῶς sunt intelligenda, complures inter veteres et recentiores, ut Filium natum per modum intellectus, (dicitur enim Sapientia et λόγος Dei, Prov. 8. et Joh. 1.) ita Spiritum Sanctum processisse per modum voluntatis, amoris, imo potentiae, statuunt. Unde sane Spiritus Sanctus et virtus altissimi inter se commutantur, Luc. 1, 35. Matt. 12, 28. collato cum Lucae 11, 20. Nobis sufficit, quod diversis illis vocibus et notionibus distinctio productionis personarum divinarum utcunque indicetur; neque ineffabilia temere definire praesumimus.

XV. Quin Spiritus Sanctus a Filio sigillatim distinguitur, quod Filius sit solummodo a Patre, Spiritus autem Sanctus conjunctim a Patre et Filio. De quo gravis et diutina inter Ecclesiam orientalem et occiduam fuit controversia, illa asserente, a Patre tantum procedere, hac, ab utroque, Patre scilicet et Filio.

XVI. Ab utroque vero procedere, requirit essentiae in duabus istis personis prius considerandae unitas, quae alias everteretur. Nam si spiratio Patris consideretur sine spiratione Filii, separatam Filii a Patre essentiam statuere necesse erit. Quin et personalis in personis ordo, qui alias tolletur, ac Spir. S. non tertia persona jam erit, sed in pari ordine ac serie cum Filio collocabitur, eique quasi opponetur. Denique relatio et respectus cum intrinsecus id exigit, qui alioquin inter Filium et Spiritum Sanctum nullus erit.

XVII. Idque contra S. literarum definitionem. Non enim tantum Patris, Matt. 10, 20. et Spiritus Dei Patris, sed et Filii, Ad Gal. 4, 6. et Filii Dei, et Christi, Rom. 8, 9. et Jesu Christi, et Domini, Phil. 1, 19. 1 Pet. 1, 11. diserte dicitur. Quin accipit non a Patre tantum, sed et a Filio quae alios doceat, Joh. 16, 14. 15. nempe per aeternam communicationem et temporalem manifestationem.

XVIII. Ad haec ipsum mittendi jus et missio et datio et effusio et quae cum ea cohaerent, etiam Filio tribuuntur. Imo vero Apostolis cum afflandi actu Spiritum Sanctum contulit, Joh. 20, 22. Etsi autem temporalis Spiritus Sancti missio, non

sit eadem cum processione illa aeterna, fundamenta tamen habet in origine et ordine personarum. Ideo enim Pater a nemine mittitur, quia a nemine est, sed a sese; Filius a Patre mittitur, quia a Patre; et similiter Spiritus Sanctus ab utroque, quod ab utroque sit. Quod vero alibi et Filius a Spiritu Sancto mitti dicatur, Es. 61, 1. Luc. 4, 18. id non qua Filius, sed humanae naturae respectu, ut et unctio, intelligendum est.

XIX. Attamen ad controversiam hanc inter Graecos Latinosque moderandam et componendam, non incommode, juxta antiquorum quorundam phraseologiam, dixerunt quidam, Patrem per Filium Spiritum Sanctum spirare, et Spir. S. a Patre per Filium procedere. Isto enim loquendi modo ab utroque esse significatur; et modus subsistendi assignificatur; nempe mediate et subordinate a Patre per Filium procedere, quo et Graecorum ab uno principio, etiam personali Patris, propter originis ordinisque in Patre antecessionem, non tollitur spiratio et Spiritus Sancti processio; atque relatio et subordinatio Spiritus ad Filium stabilitur, Joh. 15, 26. et 16, 14. 15.

XX. Ex originis autem ratione, relationis modo ordineque quem Spiritus Sanctus ad Patrem et Filium habet, haec proprietas exsurgit, ut quemadmodum Spiritus Sanctus omnia habet a Patre et Filio, seu a Patre per Filium, ac proinde similiter agit et operatur, ita omnia refert per Filium ad Patrem. Atque eo respectu quaedam ἐξοχὴ et ἀξίωσις est ipsius Patris et Filii ad Spiritum S., quae tota originis et ordinis tantum est.

XXI. Quin sicuti oriter hinc, taciti illius consilii divini in opere redemptionis sapientissima, et personarum origini ordineque convenientissima, et admirabilis dulcedinis oeconomia, seu dispositio, ita et Spiritus Sancti opus atque officium; adeo ut, quemadmodum Pater Dei irati et conciliandi, fontisque redemptionis nostrae, Filius redemptoris et conciliatoris, ita Spiritus Sanctus meriti et beneficii impetrati a Filio, applicatoris, illuminatoris et sanctificatoris nostri conditionem, partes et munus sustineat et exsequatur. Utroque autem et illo agendi ordine, et nos salvandi opere Spiritus Sanctus insuper a Patre Filioque distinguitur.

XXII. Ut ergo ex his apparet distinctio Spiritus Sancti a Patre Filioque, nempe operibus tum ad intra, tum ad extra, quae maxime conspicua sunt in gratioso illo opere redemptio-

nis nostrae: ita etiam ex iisdem ὁμοούσιος Patri Filioque evincitur. Sed propter πνευματομάχους, divinitatem ejus negantes, uberiorem ejus demonstrationem hanc instituimus. Cui Dei nomen, attributa, opera, dominium, cultus atque honor, ut Deo propria, conveniunt; ille est verus Deus. At vero haec Spiritui Sancto omnia conveniunt. Ergo, etc.

XXIII. Ac nomen quidem Dei: Sic Spiritus Domini qui per Davidem locutus est, exegetice mox Deus Israëlis dicitur, 2 Sam. 23, 1. 2. Ananias, qui Spiritui Sancto, mox Deo dicitur mentitus, Act. 5, 3. 4. Vocamur templum Dei et Spiritus Sancti, 1 Cor. 3, 16. et 6, 19. 20. Quin proprio illo nomine Dei, quod voce Domini redditur, appellatur Es. 6, 9. collato cum Act. 28, 25. 26. Nam Dominus Zebaoth illic loquens, hic Spiritus Sanctus declaratur.

XXIV. Attributa vero; ut Aeternitas, secundum illud, obtulit se Deo per Spiritum aeternum, Ebr. 9, 14. Omnipraesentia, Quo ibo a Spiritu tuo, Ps. 139, 7. Quin inhabitat fideles, 1 Cor. 3, 16. 1 Cor. 6, 19. Omniscientia, Nobis Deus revelavit per Spiritum suum; Spiritus enim omnia perscrutatur, etiam profunditates Dei, 1 Cor. 2, 10. Unde et futura annunciat, Joh. 16, 13. Per eum prophetae locuti sunt, 1 Pet. 1, 11. 2 Pet. 1, 21.

XXV. Liberrima item voluntas, et omnipotentia. Sic Apostotolus, postquam varia et magnifica Dei dona commemorasset, quae nemo dare potest quam solus Deus, ut sunt gratia sanitatum, prophetiae, sapientiae, etc. Haec omnia, inquit, operatur idem Spiritus distribuens singulis sicut vult, 1 Cor. 12, 8. 9. 11. Ubi enim distinxit Spiritum Sanctum collatorem, a donis collatis, collationem in liberrima ejus voluntate et potestate ponit, atque ab ejus potentia fluere declarat.

XXVI. Opera autem; ut Creationis et Sustentationis, juxta illud, Spiritus Dei fecit me, et spiraculum omnipotentis vivificavit me, Job. 33, 4. Redemptionis, Ille enim Christi conceptum efficit, Luc. 1, 35. Mat. 1, 18. 20. eum ungit, requiescit super eo, eum mittit, Es. 61, 1. 2. Luc. 4, 18. Christus per eum miracula edit, Mat. 12, 28. Ille homines in tenebris sedentes illuminat, regenerat, renovat, recreat, sanctificat, spirituales reddit, salvat, resuscitat a mortuis, Joh. 3, 5. 8. Tit. 3, 5. 2 Cor. 3, 18. Rom. 8, 11.

XXVII. Cultus et honor denique soli Deo debitus; ut cum fides et invocationis cultus ei tribuitur, Mat. 28. 19. 2 Cor. 13, 13. Apoc. 1, 4. et e contrario, de peccato in eum commisso pronunciatur, Omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus, Spiritus vero Sancti blasphemia non remittetur hic aut in futuro seculo, Mat. 12, 32. quo peccatum in Spiritum Sanctum, non tam aequatur in Patrem Filiumque perpetrato, quam, certo respectu ad nos habito, etiam gravius censetur, ac irremissibile pronunciatur; quod neutiquam fieri posset, nisi aequali natura et majestate cum Patre Filioque esset.

XXVIII. Ex his omnibus liquido apparet, et concludimus, Spiritum Sanctum Patri Filioque ὁμοούσιον esse. Certe ita in Deo, ex Deo, et Dei est, ut Deus sit.

XXIX. Atque haec Orthodoxa de Spiritu Sancto est doctrina, cui adversantur haereses: 1. Macedonii, qui Spiritum Sanctum creaturam, et Filii ministrum statuebat, atque hoc nostro aevo Campani, ejusque asseclarum. Item Antitrinitariorum omnium, qui ipsi πνευματομάχοι sunt, ac Spiritus Sancti personam distinctam in Deo negant, eoque vel Patrem vel ejus virtutem, donum motusque sanctos, ac vim hominis regeniti tantum significari insaniunt. Denique eorum impietas, qui singularem patefactionis modum eo denotari blasphemant, ut omnes fere Libertini.

DISPUTATIO X.

DE

Mundi Creatione.

Praeside D. JOHANNE POLYANDRO.

Respondente HENRICO HAMERS.

THESIS I.

DEI Optimi Maximi, quo hactenus disseruimus, tum essentiae, tum personarum respectu, opus ordine primum est mundi creatio.

II. Mundum hic proprie accipimus pro universa hac machina, quam Sacra Scriptura ab ejus partibus describens, vocat coelum, terram, mare et quae sunt in eis, Exod. 20, 11.

III. Per mundi creationem, ejus ex nihilo productionem sola Dei virtute omnipotente factam intelligimus. Unde et in Sacra Scriptura et in Symbolo Apostolico, Creator coeli et terrae epitheto Dei omnipotentis insignitur.

IV. Hanc suam omnipotentiam Deus in rebus a se creatis duplici ratione demonstravit: aut immediate, quatenus rerum nonnullarum naturam prorsus ex nihilo produxit, ut terram, aquam, Angelos et primorum nostrorum parentum animas; aut mediate, quatenus res aliquas ex rudi materia praeexsistente efformavit, ut plantas terrae, corpus Adami et bruta animalia.

V. Hinc mundi creationem definimus actionem externam Dei omnipotentis, creaturis incommunicabilem, qua per se, ac pro liberrima sua voluntate, a nullo alio permotus, coelum et terram in principio temporis ex nihilo condidit, et res singulas quas ex prima illa materia effingere voluit, suo ordine, sex dierum spatio disposuit, ut gloriam immensae suae sapientiae, potentiae ac bonitatis creaturis suis, praesertim rationalibus, patefaceret, easque ad nominis sui celebrationem invitaret.

VI. Hac nostra definitione Deum omnipotentem essentia unum, personis trinum, mundi causam efficientem facimus, nitentes his Sacrae Scripturae testimoniis, Gen. 1. Ps. 33, 6. Job. 33, 4. et consimilibus.

VII. Quocirca Arriani et Duliani olim merito damnati fuerunt, quod statuerent mundum a Christo factum esse tamquam a Patris instrumento. In communi enim operatione ab omnipotentia Dei tantummodo profluente, altera personarum est alteri coaequalis.

VIII. Hoc opus creationis Deo Patri, Filio et Spiritui Sancto communiter ascribimus, quoniam omnia Dei opera, quae ad extra vocantur, sunt indivisa, tametsi, ut in ceteris, sic in opere creationis diversus operandi modus atque ordo sit observandus.

IX. Nam Pater a se per Filium et Spiritum Sanctum mundum creavit, Filius a Patre per Spiritum, et hic a Patre et Filio, ut patet ex his Sacrae Scripturae locis, Gen. 1. Job. 33, 4. Joh. 1, 2. 3. 1 Cor. 8, 6. Col. 1, 15. etc.

X. Hinc mundi creatio, tum sigillatim Deo Patri, 1 Cor. 8, 6. Filio, Joh. 1, 3. Col. 1, 16. Heb. 1, 2. 10. Spiritui Sancto, Job. 33, 4. tum conjunctim, aut Patri et Filio, ut 1 Cor. 8, 6. aut tribus simul personis tribuitur, ut Gen. 1. Ps. 33, 6.

XI. Ceterum, ut Deus Pater singulari quadam ratione se in mundi creatione patefecisse dicitur, Gen. 1, 26. nimirum hoc suo sermone ad Filium et Spiritum Sanctum, Faciamus hominem ad imaginem nostram: sic in plerisque Sacrae Scripturae locis, quemadmodum in Symbolo Apostolico, creatio coeli et terrae ipsi κατ' ἐξοχὴν ac peculiariter attribuitur.

XII. Neque hoc aliis officit sacri Codicis testimoniis, in quibus creatio tribus personis divinis communiter ascribitur. Nusquam enim solus Deus Pater, Filio et Spiritu Sancto exclusis, Creator nuncupatur. Et quamvis Dei actiones externae Trinitati sint communes, ad unam tamen personam singulariter referri possunt, vel ob primarium ordinem causae agentis, ut creatio ad Patrem, vel ob singularem praeterea οἰκονομίαν, seu dispositionem divinam, ut redemptio ad Filium, vel ob proximum in nobis immediatumque agendi principium, ut sanctificatio ad Spiritum Sanctum.

XIII. Hanc mundi creationem solius Dei opus esse asserimus, propterea quod solo verbo potentiae suae, nullis aliorum ministeriis, nulloque exemplari aliunde adhibito condiderit, teste Mose, Gen. 1, 3. Dixit Deus, sit lux, et fuit lux. Et Davide, Ps. 33, 9. Dixit Deus, et facta sunt, mandavit Deus, et creata sunt omnia. Quo respiciens Esaias cap. 40, 13. Quis (inquit) adjuvit Spiritum Domini? aut quis fuit consiliarius ejus?

XIV. Ad hoc problema, An creatio mundi sit creaturis prorsus incommunicabilis, non dubitanter, ut plerique faciunt Scholasticorum, sed asseveranter respondemus, mundi creationem prorsus creaturis esse incommunicabilem; cujus nostrae asseverationis tres causas praecipuas proferemus.

XV. Earum prima est, quod creatio mundi sit actio potentiae infinitae, ac proinde non magis cum creaturis finitis, quam infinita Dei potentia, communicari potuerit.

XVI. Secunda est, quod in hac actione nulla creatura cum suo Creatore concurrere potuerit, nec ut causa principalis, nec ut instrumentalis. Non ut principalis, quia nulla creatura cum

suo Creatore aequaliter potest operari. Nec ut instrumentalis, quoniam in creatione ex nihilo, nihil est in quo instrumentum occupetur.

XVII. Tertia est, quod Sacra Scriptura plerumque ex mundi creatione, Patrem, Filium et Spiritum Sanctum, unum illum ac verum Deum a fictitiis distinctum esse demonstrat, ut Es. 40. Jer. 10. Joh. 1. Heb. 1, 2.

XVIII. Creationis mundi causa impellens προηγουμένη est summa Dei bonitas, qua ad se tamquam summum bonum rebus a se creandis communicandum ac patefaciendum affectus fuit. De qua sic loquitur Augustinus, in suo Enchiridio, cap. 9. Satis est Christiano, rerum creatarum causam, non nisi bonitatem credere Creatoris.

XIX. Hanc Dei bonitatem Psaltes variis in Psalmis celebrat, atque imprimis Ps. 8. 104. et 136. ubi haec clausula aliquoties reperitur, Celebrate Dominum, quia bonus est.

XX. Ejusdem creationis causa directrix est Dei sapientia; exsecutrix potentia ejus infinita. Haec ex nova rerum origine, illa ex accurata formarum diversarum dispositione ac serie percipitur.

XXI. Tanta est enim rerum creatarum varietas, tam exacta et admirabilis earum constitutio, ut cuilibet homini, eas consideranti, divinam Creatoris sui sapientiam et potentiam quasi aperto ore annuncient, atque exserto digito commonstrent, Ps. 19, 2. 3. Rom. 1, 20.

XXII. Haec rerum universitas producta est ex nihilo, non privative sed negative sumpto, ideoque per ἀφαίρεσιν et negationem omnis entitatis, a nostro intellectu concipitur; quod a quibusdam καταχρηστικῶς ac valde ἀκυρολόγως materia ex qua nominatur, ubi enim nihil est, ibi improprie materia esse dicitur.

XXIII. Materia vero ex nihilo producta, in principio fuit indisposita et inhabilis ad omnia ea, quae Deus postea suo loco disponere, suaque forma singulari exornari voluit.

XXIV. Quaestionem Scholasticorum nimis curiosam, An mundus non potuerit creari ab aeterno? Christianorum responsione indignam censemus, haud ignorantium, quod sacrae literae ipsa voce creationis, mundum in tempore a Deo fuisse conditum, Deumque solum sine principio ac per se aeternum esse, passim doceant. Quod Augustinus ad Angelos applicans,

L. 12. de Civitate Dei, c. 15. Quomodo, inquit, Angeli creati dicendi sunt, si semper fuisse intelliguntur?

XXV. Quemadmodum autem Deum in tempore, sic libere eum ac secundum voluntatis suae beneplacitum, tempore a se definito, mundum hunc condidisse asserimus, quem, si ita ipsi fuisset visum, aut prius aut serius creare potuisset.

XXVI. Ad hanc otiosorum hominum quaestionem, Cur Deus mundum non prius condiderit? respondemus, non ipsorum esse tam curiose de temporibus atque opportunitatibus inquirere, quas Deus solus in sua habet potestate, Deumque non minus secula, quam universam hanc machinam pro suo arbitratu fecisse, Act. 1, 7. Hebr. 1, 2.

XXVII. Ad illam eorundem quaestionem, An ergo Deus antequam mundum creaverit, otiosus fuerit? summae vanitatis esse respondemus, de Deo quaerere an unquam fuerit otiosus, qui praeter semetipsum omnia a se creanda ab aeterno comtemplatus est, nosque in Christo Filio suo dilecto ante jacta mundi fundamenta cognovisse atque eligisse dicitur, Rom. 8, 28. Eph. 1, 4.

XXVIII. Forma mundi a Deo creati spectatur in artificiosissima omnium ejus partium dispositione, aptissima earum in se εὐταξίᾳ, summaque inter se παναρμονίᾳ.

XXIX. Finis est, bonitatis, sapientiae ac potentiae Dei patefactio, harumque virtutum per omnes creaturas, ac praesertim per rationales, perpetua celebratio.

XXX. Hunc finem viri Dei, tum in Psalmis, tum in aliis Sacrae Scripturae locis, ad Dei gloriam, animarum suarum recreationem, ac communem omnium piorum institutionem variis rationibus accommodarunt.

COROLLARIA.

I. Cum Sacra Scriptura et unicum mundum, et unicum illius Servatorem Jesum Christum esse doceat, Origenis sententia ab Hieronymo aliisque Patribus orthodoxis merito fuit repudiata, qua statuebat, unum quidem uno tempore mundum esse, sed ante hunc tamen alios fuisse, et post hunc alte-

rum fore, et illi semper successurum alium atque alium; ideoque et Christum saepius passurum, ut quod profuit semel, semper prosit assumptum.

II. Cum Sacra Scriptura asseverat, Deum coelum et terram creasse in principio, Genes. 1. Prov. 8, 22. et seqq. Joh. 17, 5. Eph. 1, 4. non est hoc axioma, Mundum in tempore a Deo creatum esse, inter problemata Dialectica referendum; ac si de eo in utramque partem disputari posset.

III. Cum eadem Scriptura omnem Dei creaturam bonam esse attestetur, Gen. 1, 31. et 1 Tim. 4, 4. merito olim damnati sunt Manichaei, qui aliquas naturas simpliciter malas, et a Deo malo creatas esse opinabantur.

DISPUTATIO XI.

de

Providentia Dei.

Praeside D. ANDREA RIVETO.

Respondente CAROLO BECIO.

Thesis I.

Creationis omnium rerum, visibilium et invisibilium considerationem, divinae providentiae inquisitio ordine commodo, sequi debet. Nec enim in principio creaturarum, haec omnia sunt a Deo ita constituta et disposita, ut postea, patrata rerum universitate, atque perfecta, cunctam a se curam illius ablegaverit; quin potius asserimus cum Salviano, Deum nostrum ab universitate omnium rerum, nec munus dignantissimae visionis avertere, nec regimen suae providentiae tollere, nec indulgentiam benignissimae pietatis auferre, de Gub. Dei, L. 2.

II. De providentia igitur acturi, notationem nominis satis

alias notam omittemus, ut ad rem rectâ veniamus. Consideratur secundum duplicem actum: unum aeternum, alterum in tempore; quos una definitione complecti possumus, si dicamus, esse praeexsistentem in mente divina rationem ordinis rerum in finem, id est, notitiam Dei practicam, qua ab aeterno praeordinavit, et in tempore dirigit unamquamque rem in finem suum, ad gloriam suam. Unde constat, Providentiam partim ad intellectum, partim ad voluntatem pertinere; cum enim sit in intellectu, praesupponit voluntatem finis.

III. Hic cum habeamus duo: rationem ordinis aeternam, quae proprie est providentia, et ejusdem exsecutionem in tempore, quae dicitur gubernatio, et creationis quaedam velut συνοχή, de qua in praesentiarum nobis praesertim agendum est; eam describimus, Actualem et temporalem omnium et singularum rerum quae sunt et fiunt, juxta decretum Dei aeternum, immutabile et liberrimum, conservationem, directionem et deductionem ad finem ab ipso determinatum, sapientissime et justissime factam ad ipsius gloriam.

IV. Esse in Deo Providentiam, nemo nisi prorsus ἄθεος negare potest, quia ratio ejus ita cum divinitate conjuncta est, ut nullo pacto possit separari; adeo ut omnes alioqui verae religionis expertes, vi ipsa et quadam necessitate compulsi, pendere omnia a Deo, et moveri, ac regi agnoverint. Videbant enim, cum Deus sit omnium rerum causa, et omne agens agat propter finem, inde sequi, Deum, qui Deus esse, et sapientia carere non potest, res omnes ad suum finem ordinare. Nec potuerunt ordinem illum contemplari, in tam apta rerum omnium in mundo concatenatione; aptissima et convenientissima partium omnium dispositione; motuum actionumque certis legibus constantium successione, in rebus etiam sensu et ratione carentibus; quin inferrent, esse mentem quandam sapientem ordinis illius effectricem, directricem et conservatricem. Quoniam id quod de Deo cognosci potest, manifestum est in ipsis, Deus enim eis manifestum fecit, Rom. 1, 19. 20.

V. Christianis sufficere debent apertissima Scripturae testimonia, in qua nulla pars doctrinae coelestis frequentius et

diligentius inculcatur; cum docet, Deum dare omnibus vitam, et halitum, et omnia, Omnia Dei verbo sustineri, in ipso nos vivere, moveri et esse, passerculum non cadere humi sine Patre nostro, capillos omnes capitis nostri esse numeratos, et Deum efficere omnia secundum beneplacitum voluntatis suae, Act. 17, 25, 28. Hebr. 1, 3. Mat 10, 29. Eph. 1, 11.

VI. His et similibus testimoniis evincitur, materiam circa quam, sive objectum providentiae, non esse tantum coelestia et incorruptibilia, ut voluerunt, qui densas nubes latibulum Deo esse, existimantes, inferiora haec eum aspicere non judicabant, sed ambitum coelorum obambulare, Job. 22, 14. Sed nullam rem sive superioris sive inferioris naturae excipiendam esse; quin potius statuendum et certa fide tenendum, esse in Deo providentiam omnium omnino rerum, tam singularium quam universalium; tam corruptibilium et contingentium, seu fortuitarum, quas vocant, quam incorruptibilium et necessariarum; tam vilium atque infimarum, quam earum quae praestantiorem sortitae sunt naturam.

VII. Cum Scriptura Deo, omnium rerum, actionum et motuum efficientiam tribuat, ut quod operetur omnia in omnibus, quod ex ipso, per ipsum, et in ipso sint omnia, quod det omnibus vitam et inspirationem, 1 Cor. 12, 6. Rom. 11, 36. Act. 17, 25. cum ea quae sunt, et quae fecit, pro eodem habeantur, et Deus in tempore nihil agat, quod non ab aeterno decreverit, et sic agendum decreverit, sicut agit: plane consequens est, omnium quae sunt et fiunt in mundo, esse ab aeterno rationem in Deo, qua in suos fines in tempore ordinantur.

VIII. Nec alienum est a Dei majestate, ut quidam putant, si etiam minutissima quaeque regat, et in numerato habeat, cum omnium sit creator et dominus. Cui probrum non est ea fecisse, multo minus facta dirigere; nec fit humilis, qui ad humilia attendit, aut altissime habitare cessat, qui demississime prospicit, Ps. 103, 19. ut dicendum sit, curam boum a Deo removere Apostolum, 1 Cor. 9, 9. non absolute, sed per comparationem ad homines, maxime fideles: *ἐπειδὴ οἱ μὲν κοινῆς προνοίας, οἱ δὲ καὶ εἰδικῆς καὶ ἐξαιρέτου προστασίας ἀπήλαυσαν.* Alioqui enim Deus noster dat jumentis cibum, et pul-

lis corvorum qui crocitant, Ps. 147, 7. 9. Lapides magnos sine parvis bene strui negant architecti, ait Plato; cavendum ergo ne quis Deum viliorem putet mortalibus opificibus.

IX. Cum autem in toto mundo nihil sit a divinae providentiae legibus exemptum, fatendum est etiam, quanto major cura est Deo de homine, quam de aliis rebus intellectu carentibus; tanto magis actiones ejus subjici providentiae Dei, prae actionibus seu moribus rerum aliarum intellectu carentium; E loco habitationis suae prospicit omnes habitatores terrae: formator pariter cordis eorum respicit ad omnia opera eorum, Ps. 33, 14. 15. Hinc Scriptura corda, voluntates et actiones hominum, in Dei manu, potestate ac dispositione esse significat; omnia bona hominum opera Deo, ac proinde gubernationi ejus ascribit et eventus, bona ac successus omnium nostrarum actionum ab ipso pendere docet, Prov. 21, 1. Gen. 45, 8. Exod. 4, 11. Jac. 4, 17. Phil. 2, 13. Jer. 10, 23. Prov. 20, 24. etc.

X. Neque enim in actionibus liberi arbitrii creatura intellectualis exempta est ab ordine primae causae; quia omnino necesse est, ut in Deum, tamquam in primam, perfectissimam ac proinde efficacissimam causam, omnis creatura, omnisque ejus actio, atque ipsius cujuslibet actionis modus omnis ac perfectio reducatur. Sequitur ergo, nullam esse in creaturis libertatem voluntatis, quae non sit ex participatione libertatis summae increatae, quae sit causa prima, propria atque intima omnis creatae libertatis, omniumque liberarum actionum, quatenus hujusmodi sunt.

XI. Tantum igitur abest, ut operatio divinae providentiae destruat libertatem voluntatis creatae, ut haec absque illa prorsus consistere nequeat. Nam cum ab efficacia voluntatis divinae, pendeat non solum actio quaelibet creaturae, sed etiam actionis ipsius modus; consequens est, per Dei providentiam non destrui, sed statui, humanorum actuum libertatem. Quod etiam de contingentia rerum in genere, dicendum est. Divina enim providentia non corrumpit naturam, sed perficit; non tollit, sed tuetur; Et omnia quae creavit, sic administrat, ut ipsa suos etiam exercere et agere proprios motus sinat, August. de Civit. Dei, Lib. 7, c. 30.

XII. Ad hanc Dei gubernationem pertinet ἡ διαμονή, perman-

sio, quae etiam opus est divinae συνεκτικῆς δυνάμεως, quae omnes res creatas conservat, ut supersint, et persistant et in suae naturae et proprietatum naturalium statu permaneant, ne in nihilum creatura recidat impediens, quod fieret si Deus subtraheret virtutem suam. Neque tantum arcana inspiratione vegetantur in genere omnes mundi partes; sed omnes ac singulae, simulatque faciem averterit Deus, consternantur; ubi spiritum reduxerit, intereunt; quo rursus emisso creantur, et facies terrae renovatur, Ps. 104, 28. 29. 30.

XIII. Quas creaturas Deus conservat in natura et proprietatibus suis, easdem etiam pro ratione naturae uniuscujusque, ad agendum movet et applicat, eisdem concursum suum praebet, et ita cum eis concurrit, ut actione sua immediate in actionem creaturae influat, ut una et eadem actio a prima et secunda causa dicatur proficisci, quatenus unum opus seu ἀποτέλεσμα hinc exsistit; in quo si quid est inordinati, est ab actione, non quatenus est creatoris, sed creaturae; ut in sectione accidunt quaedam ab objecti aut instrumenti vitio, quae fabro per securim agenti, non sunt imputanda.

XIV. Ex his quae diximus, apparet, Deum saepe non sine medio inferiora per superiora gubernare, instituere causas secundas, quibus utitur ad ulteriores effectus producendos, non propter defectum suae virtutis, sed propter abundantiam suae bonitatis, dignitatem suae causalitatis creaturis communicando; ut per eas facilius Deum nobis auxiliantem sensu percipiamus, Dominum universorum agnoscamus, qui ad suam gloriam et salutem nostram, pro sua voluntate creaturis utitur; nec abutamur mediis, aut a Deo ordinata negligamus, cum non solum actionum fines, sed etiam media ad finem, decreverit, providentiae suae subjecta et subalternata.

XV. Unde id tenendum, etiam cum media adhibet, rebus omnibus nihilominus immediate providere, intime et absque dependentia a causis mediis per quas agit, quia immediate in omnibus illis operatur, illis semper praesens adest, in iisque specialem suam vim exserit, juxta illud, Non ex solo pane vivit homo, sed ex omni verbo quod procedit ex ore Dei, Deut. 8, 3.

XVI. Non igitur dicendum est, Deum tantum produxisse

causas secundas, iisque vim agendi tribuisse, et tam causas quam virtutes iis inditas conservare, eas autem intima virtute ad motum et actionem non impellere. Item liberi arbitrii actiones a Deo non procedere, nisi secundum indifferentiam ad bonum et malum. Itaque Deum non esse causam actionum ejus, nisi quatenus liberum arbitrium a Deo est et conservatur. Ex qua opinione id praeter alia absurdi sequitur, quod causa secunda respectu singularum actionum, rationem habebit causae primae et primi moventis, quia movebit non mota; et ita erunt plura prima principia, et Deus qui est primum ens, non erit proprie causa universalis omnium entium. Addimus hoc etiam quoad fidem et bona opera, Pelagianismum induci hac opinione.

XVII. Ordinem rerum ad finem, praecipue ultimum, providentiae Dei etiam subjecimus; neque enim tantum ad eam pertinet mediorum ad finem ordinatio, sed finis quoque consecutio. Nam etsi providentia, ut in homine consideratur, defectui obnoxia, et quae frustrari possit, saepe consistat sine consecutione finis a providente intenti; id tamen de providentia Dei dici non debet, quia semper illud evenit quod Deus, tamquam universalis omnium προνοητής eventurum ordinavit, atque sibi proposuit. Quae enim inter res creatas particularis alicujus causae ordinem egrediuntur, per aliam causam particularem, in primae et universalis ordinem incurrunt.

XVIII. Rectius igitur dicemus, ad providentiam non pertinere ut per eam res unaquaeque ad finem particularem sibi convenientem dirigatur, sed absolute in finem qui toti operi congruit; quomodo qui ligna comburit in familia, non ea ordinat in finem lignis convenientem, sed familiae unius curam gerit; quam si cum nonnullis σκληρῶς, ne quid gravius dicam, pronunciemus providentiam Dei aliquando frustrari assecutione finis, quocunque sensu intelligatur. Est enim providentia Dei qua res gubernat, similis providentiae qua paterfamilias gubernat domum, et rex civitatem, quibus bonum commune eminentius est singulari, quae causa est cur plus attendant quid communitati conveniat, quam quid uni tantum.

XIX. Inter res gubernationi Dei subjectas id etiam animadvertendum, esse quasdam, quibus Deus providet propter se ipsas; alias autem, quibus propter aliud, ut in domo propter se providentur ea in quibus bonum domus consistit, sicuti filii,

possessiones et hujusmodi; alia vero ad horum utilitatem, ut vasa et similia. Sic in universo, propter se ea quae essentialiter pertinent ad perfectionem universi, quae propterea non corrumpuntur, propter illa autem, particularia quaedam corruptioni obnoxia; quae manent tantum, quamdiu necessarium est in his propter quae providentur.

XX. Hic videndum, an peccata etiam cadant sub divinam providentiam? Providere Deum peccata, quo sensu providere est procurare, dictu nefas asserimus. At de peccatis Deum providere, dici non solum posse, sed etiam debere, non dubitamus. Praevidet enim peccata, et permittere vult, et praevisa ordinat ad bonum aliquod vel universale, vel particulare, sive ad ostensionem misericordiae suae, sive justitiae, vel ad quodcunque aliud, atque ita, dum de illis bene facere disponit, de iisdem providere, recte dicitur. Quodsi in peccato solum consideretur id quod est reale et, ut loquuntur, positivum, quod alii materiam dicunt, scilicet ens aliquod vel actio; hac ratione, etiam dici possunt peccata a Deo provisa, sed tantum secundum quid, non absolute; eo quod peccati ratio formalis consistit in privatione entis et boni, in deformitate quadam et ἀταξίᾳ, quae non est a Deo, ac proinde ab eo provisa esse non potest.

XXI. Distinctio actionis Dei providentis ἑκάστῳ, ἢ συγχωρούσης ἢ ἀπονεμούσης, in efficientem et permittentem, hic locum habet. Prima est qua Deus efficaciter operatur et perficit in omnibus et singulis quod operis sui est; nempe bona omnia in communi et singulari natura, tam bona naturae, ut substantias, motus, actiones et perfectiones rerum, quam bona moralia, ut virtutes omnes tam civiles quam spirituales; quia, ut summum bonum, ita etiam omnis boni auctor est et origo.

XXII. Secunda, Deo etiam in Scriptura tribuitur, in qua saepe dicitur aliquid permittere; non solum dum concedit ut consequi possimus quod optamus in actionibus et rebus bonis, vel mediis aut indifferentibus, quae permissio cum approbatione et efficientia Dei conjuncta est, ut Heb. 6, 3. et 1 Cor. 16, 7. Sed etiam dum mala et peccata quae alioqui vetat, non impedit cum posset, qui legem de impediendis non habet; quae permissio, etsi ipsa approbetur, non continuo tamen approbantur quae per ipsam permittuntur. Sic accipitur Jes. 2, 6. Jer. 16, 13. Act. 14, 16. Rom. 1, 24. et 28. Ps. 81, 13.

XXIII. Hanc omnium peccatorum permissionem Deum providere fatemur. Nam etsi peccata mala sint, ideoque provideri a Deo non possint, bona tamen est eorum permissio. Quam proinde et vult Deus, et directe decernit, et ordinat ad bonum aliquod majus, quam sit illud, cujus privatio est malum quod permittitur. Nam Deus cum summe bonus sit, nullo modo sineret mali aliquid esse in operibus suis, nisi adeo esset omnipotens, ut de malo etiam bene faceret, ut recte August. Ench. c. 11.

XXIV. Sic permissionem illam Dei, non esse otiosam, statuimus, aut Deo invito aliquid accidere, aut non curante, aut quod agitur negligente; ac proinde voluntati ejus et consilio non debet opponi. Permittit enim Deus volens, et consulto; ac potenter dirigit peccata, nec raro eam permissionem ad judicia sua exercenda adhibet, quandoque etiam ut ἀντιμισθίαν praecedentium peccatorum. Quo sensu agnoscunt Scholastici, Deum habere scientiam practicam peccatorum, quatenus ea permittit, vel impedit, vel facta ordinat ad finem, Thom. 1. p. q. 14. art. 13.

XXV. Addimus etiam, antequam fiant, et cum fiunt, Deum sapientissime sanctissimeque administrare argumenta et occasiones, quae velut incitamenta sunt, ad actum qui a creatura sine peccato non fit, etiamsi per se mala non sint, concursum suum etiam ad actum qua talis, non qua peccatum non denegare; praesidere, ut ipse agnoscit Bellarm., ipsis voluntatibus malis easque regere et gubernare, in eis invisibiliter operari, ut a divina providentia, suo vitio malae, ad unum potius quam ad aliud ferantur. Item, Deum impiorum voluntates flectere et torquere, de amiss. grat. et stat. peccat. cap. 13. ab iis loquendi formulis non abhorrens, imo duriores usurpans iis quas ab aliis prolatas ad calumniam detorquet.

XXVI. Hujus doctrinae finis est idem qui omnium rerum a Deo creatarum: Gloria nempe Dei, cui juncta est electorum salus, qui ex ea multiplicem usum referunt: Deum ex omnium rerum gubernatione agnoscentes, summe sapientem, bonum, potentem, omnium rerum Dominum, a quo pendent omnes creaturae; fiduciam in eum conjicere edocti, tamquam Patrem, de omnibus ipsis prospicientem, et in ejus protectione, cujus judicio subjacent, secure quiescentes; in adversis patientes, ad pri-

mam causam oculos attollentes, agnoscentes et emendantes peccata sua, in prosperis grati, nomen ejus celebrantes; Deum in cujus manu sunt omnes creaturae, timentes et reverentes, summo amore prosequentes, quem norunt peculiarem suorum curam gerere, et haereditatem coelestem eis parasse.

XXVII. Si quis plura desideret, et ad omnes humanae rationis quaestiunculas responsum exspectet, audiat eumdem quem initio laudavimus, Salvianum: Possum quidem rationabiliter et satis constanter dicere, nescio secretum, et consilium divinitatis ignoro. Sufficit mihi ad causae hujus probationem dicti coelestis oraculum. Deus a se omnia dicit aspici, omnia regi, omnia judicari. Si scire vis quid tenendum sit, habes literas sacras: perfecta ratio est hoc tenere, quod legeris. Qua causa autem Deus haec de quibus loquimur, ita faciat, nolo a me requiras. Homo sum, non intelligo secreta Dei; investigare non audeo, et ideo etiam attentare formido, quia et hoc ipsum genus sacrilegae temeritatis est, si plus scire cupias quam sinaris. Sufficiat tibi, quod Deus a se agi ac dispensari cuncta testatur, de Gubern. Dei, Lib. 3.

XXVIII. Quae cum ita sint, eorum vecordiam et amentiam perhorrescimus (sunt verba Isidori Pelusiotae, Lib. 3, epist. 154.) qui aut Deum non esse statuunt: aut esse quidem, mundum autem haudquaquam condidisse; aut si condiderit, minime gubernare; aut si gubernet, iis qui vitium amplexantur, oblectari; aut si non delectetur, imperium aliis concessisse; aut si non concesserit, invito ei ereptum fuisse; aut si non ereptum sit, improbos ulcisci nolle; aut si velit, non posse; aut si possit, otium antiquius habere; aut si carius non habet, ab astrorum motu superari; aut si non superetur, inertem ac desidem esse velle: et si quas similes blasphemias impiorum evomant ora, qui sentient tandem, quod

Ἔστι μέγας ἐν οὐρανῷ
Θεὸς ὅς ἐφορᾷ πάντα καὶ κρατύνει
Ὦ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας.

DISPUTATIO XII.

DE

Angelis Bonis ac Malis.

Praeside D. ANTONIO WALAEO.

Respondente ADRIANO HASIO.

Thesis I.

Quandoquidem de rerum omnium creatione et gubernatione praecedentibus thesibus est actum, sequitur jam ut de speciali quarundam creaturarum statu deinceps agamus. Quia vero Angeli inter illas praecipuae sunt, ab iis hac disputatione exordium sumemus.

II. Angelorum nomen Sacrae Scripturae peculiare (quod profani scriptores Graeci per vocem δαιμόνων, Latini, geniorum, fere exprimunt) significat creaturas spirituales, per se subsistentes, intellectu et voluntate libera instructas, potentia vero ac virtute eximia, ad opera sua naturae convenientia extra se obeunda, prae ceteris creaturis pollentes.

III. Angelos esse Dei creaturas, ex ipsorum quo Deo serviunt, ministerio abunde liquet, et praeterea multis perspicuis S. Scripturae locis demonstratur. Praeterquam enim, quod ex eo, et per eum et in ipsum sunt omnia, Rom. 11, 36. etiam verbo Jehovae coeli facti sunt, et spiritu oris ejus totus exercitus eorum, Ps. 33, 6. Imo, per eum condita sunt omnia, quae in coelis sunt et in terra, visibilia et invisibilia, sive throni, sive dominia, sive principatus, sive potestates; omnia per eum et in eum sunt condita, et ipse est ante omnia, et omnia per eum consistunt, Col. 1, 16. 17.

IV. De tempore autem creationis eorum, olim inter Christianos disceptatum fuit. Origenes cum multis Graecis Patribus et nonnullis Latinis, eorum creationem longe ante hunc mundum visibilem conditum arcessit, sed illi validissime ex eo refutantur, quod per phrasin hanc, antequam hic mundus esset, item ante jacta nundi fundamenta, ipsa aeternitas in Scriptura Sancta passim indicatur, ut videre est Joh. 17, 5. Eph. 1, 4. 1 Petr. 1, 20. etc.

V. Imo vero Moses Dei ipsius aeternitatem ex eo celebrat, Ps. 90, 2. quod fuerit, quum nondum essent montes, antequam formasset terram, orbemque habitabilem. Et sapientia illa increata hoc privilegio adversus omnem creatam sapientiam gloriatur, quod inuncta fuerit ante primordia terrae, et quod edita sit cum nullae essent abyssi, Prov. 8, 22. etc., et Johannes Evangelista inde Deitatis Filii Dei demonstrationem orditur, quod in principio erat verbum, quae omnia omnino essent inefficacia, si Angeli aut ullae aliae creaturae ante hunc mundum conditum, vel ante hoc temporis initium jam exstitissent.

VI. Etsi vero de ipso die creationis eorum nimis anxie disputandum non sit, illorum tamen sententiam veritati magis convenientem judicamus, qui primo die cum ipso supremo coelo eos creatos statuunt. Quemadmodum enim homo mundo huic jam perfecto statim fuit impositus, ita et ipsorum domicilio constructo, illos tamquam incolas statim fuisse ei adjunctos, omnino consentaneum est; adde quod a simplicissimis essentiis in toto hoc Dei opere ad magis composita progressus est factus, et Deus ipse, Hiob. 38, 7. et deinceps testatur, hosce Dei filios creatori suo laudes cecinisse, quam fundaret terram, quum disponeret mensuras ejus, quum bases ejus firmaret, etc.

VII. Creatos ergo initio temporis ex nihilo, et quidem bonos omnes et ad imaginem Dei, adversus Manichaeos et Priscillianistas asserimus. Nam Deus inspexit quidquid fecerat, et ecce erat valde bonum, Gen. 1, 31. ac propterea filii Dei, servi Dei, Angeli Dei, Potestates ac Principatus, imo et Dii in S. Scriptura appellantur. Et ipsi quoque qui ex illis defecerunt, dicuntur in veritate non perstitisse, Joh. 8, 44. et originem suam non servasse, Jud. vers. 6. unde et in veritate fuisse, et originem sanctam habuisse, necessario consequitur.

VIII. Ex hac peculiari ipsorum creatione evincimus contra Saducaeos antiquos, Act. 23, 8. et nostri aevi Libertinos, Angelos veras esse hypostases, seu substantias separatim et per se subsistentes. Deus enim nulla accidentia separatim creasse legitur. Evincunt hoc quoque eorum actiones et opera quae ipsis passim tribuuntur. Evincunt apparitiones eorundem etiam in corporibus assumtis. Evincunt praemia quae assignantur

bonis, et poenae quae reservantur malis; et alia plurima de quibus postea agemus.

IX. Etsi vero non pauci ex antiquis et recentibus scriptoribus, sua quoque corpora, vel coelestia, vel ignea, vel aërea Angelis attribuant, nos tamen esse meros spiritus et omni omnino corpore proprie dicto carere, constanter asserimus. Tum quia Scriptura eos diserte Spiritus vocat, Mat. 8, 16. Hebr. 1, 14. qui carnem et ossa non habent, nec sensibus externis comprehendi possunt, Luc. 24, 39. Tum quia corporalia, iisdem immotis aut illaesis penetrant, quemadmodum ex ἐνεργουμένοις apparet, item ex Angelorum per coelos descensu atque ascensu, et ex eorum comparitione in aedibus aut carceribus occlusis, Mat. 2, 13. Act. 12, 7. etc. Tum denique quia multa daemonia unum hominem saepe ingrediuntur, Mat. 12, 45. imo et integra legio, Luc, 8, 30.

X. Nec vero huic sententiae contrarium est, quod nonnunquam in corporibus humanis apparuerunt. Nam et Filius Dei ante incarnationem suam, et Spiritus Sanctus corporea specie quandoque apparuit, nec tamen inde essentiam ejus corpoream esse evincitur, et Moses, Mat. 17. externa specie discipulis visus fuit, nec ideo tamen animas corporeas esse concedendum. Quia vel corpora illa in speciem talia esse potuerunt, sicuti in somniis aut visionibus ecstaticis contigit, vel si vera corpora fuerunt, quod de nonnullis apparitionibus omnino statuendum est, ea ad tempus divina virtute iis adjuncta sunt, ac postea denuo in sua principia resoluta, quemadmodum et vestimenta, quae in hac sua oeconomica cum hominibus conversatione gesserunt.

XI. Ex hac eorum spirituali natura sequitur etiam eorundem immortalitas. Nam etsi eadem potentia, qua ex nihilo producti sunt, in nihilum quoque redigi possint, cum tamen eorum essentia ex diversis principiis internis composita non sit, per sese ipsi in alia principia resolvi non possunt, nec ex Dei voluntate unquam resolventur, propterea Christus, Luc. 20, 36. eos qui digni habiti fuerint futuro seculo, mori amplius non posse asserit, quia ἰσάγγελοι, id est, angelis pares sunt futuri; mali vero Angeli, etsi spirituali morte puniantur, aeternis tamen vinculis sub caligine custodiuntur in diem judicii, Jud. vers. 6. et post extremum judicium iisdem aeternus quoque ignis paratus est, ut Christus loquitur, Mat. 25, 41.

XII. Haec de Angelorum substantia ex Sacra Scriptura dicta sunto; jam de eorum attributis et adjunctis nonnullis quaedam breviter sunt annotanda.

XIII. Angelos intellectu, voluntate et potentia eximia esse praeditos, omnes ipsorum actiones satis demonstrant, et expresse sapientia illis tribuitur, 2 Sam. 14, 20. Dominus meus Rex sapiens est, tamquam sapientia Angeli Dei. Voluntatis interni et proprii actus illis tribuuntur, Dan, 4, 17. Ex decreto Vigilum verbum hoc, et 1 Pet. 1, 12. In quae cupiunt Angeli introspicere. Robur vero et potentia singularis, Ps. 103, 20. Benedicite Jehovae Angeli ejus valentissimi robore, et passim alibi.

XIV. De intellectu Angelico multa valde curiose a Scholasticis disputantur; nos μὴ ἐμβατεύοντες ἃ μὴ ἑωράκαμεν, quantum vel ex Scriptura, vel ratione firma possumus colligere, paucis indicabimus.

XV. Omnem intellectum per aliquam conjunctionem rei cognitae cum facultate cognoscente fieri, inter Philosophos fere constat; conjunctio autem haec fit, vel per essentiam ipsam rerum, vel per earum ideas seu species, quae species vel nascuntur cum intellectu, vel per sensus et ratiocinationem a rebus abstrahuntur, vel per revelationem divinam animis inseruntur.

XVI. Quod primum cognitionis modum attinet, ipsum Deum ab Angelis per ipsam ejus essentiam cognosci, statuendum est, quemadmodum lux ab oculo conspicitur. Nam Sacra Scriptura testatur eos semper videre faciem Patris, Mat. 18, 10. et hoc illis cum beatis omnibus commune est, quod eum videant sicuti est, 1 Joh. 3, 2. eumque cognoscant sicuti cogniti sunt, 1 Cor. 13, 12. Se ipsos quoque hoc pacto norunt; nam si Spiritus hominis qui est in ipso, novit quae sunt in homine, 1 Cor. 2, 11. multo magis de Angelico intellectu hoc est sentiendum.

XVII. Per species vero ipsis naturaliter a prima creatione insitas, plurima quoque nosse, non est dubium; nam si prima principia in animis hominum a primo ortu nascantur, ut saniores Philosophi agnoscunt; et si primi hominis intellectui tanta fuerit congenita vis, ut omnium animantium naturas perspicere potuerit, fatendum nobis multo magis, omnium crea-

tarum rerum saltem universales ideas a Deo ipsorum intellectui a primo ortu fuisse insertas, ex quarum ad res singulares applicatione, individuorum quoque notitia, quanta ad muneris cui adhibentur, exsecutionem est necessaria, in iis exsistit.

XVIII. De cognitione quae per sensus aut ratiocinationem fit, difficilior est quaestio. Etsi vero nec sensus externi nec ratiocinatio proprie dicta illis conveniat, cum organis externis et internis careant, non est tamen negandum, quin species rerum multarum extrinsecus ab illis recipiantur, qua scientiam experimentalem acquirant, et ex signis et effectis causas, aut ex causis et signis eventa, quae antea ipsis fuerant ignota, eminentiori licet modo, colligant; quemadmodum Paulus Eph. 3, 10. testatur, nunc innotescere Principatibus ac Potestatibus in coelo per Ecclesiam πολυποίκιλον illam Dei sapientiam; quod idem ex Angelorum colloquiis et actionibus aliis, quae nobis in Sacra Scriptura repraesentantur, abunde quoque liquet.

XIX. De modo illo ultimo, qui per extraordinariam revelationem fit, res clara est in prophetiis sacris. Nam nemo nec in coelo, nec in terra, nec subter terram, librum illum divinae providentiae septem sigillis ad illud usque tempus obsignatum, aperire aut inspicere potuit, nisi Leo ille ex tribu Judae; a quo deinde Angelus illa accepit et Dei servis revelavit, Apoc. 1, 1. et 5, 5.

XX. An autem omnia quae norunt, semper actu illis sint praesentia, an vero eorum intellectus in nonnullis quoque sit in potentia, curiosa potius est quam utilis quaestio. Nos soli Deo hoc privilegium ascribimus, quod purus sit actus; Angelorum intellectui tamen semper ea actu praesentia credimus, in quibus ipsorum beatitudo per se consistit, aut quae muneris a Deo ipsis impositi rationem spectant.

XXI. Ex quibus omnibus liquet, magnam quidem esse Angelorum sapientiam, non tamen infinitam, quia finita natura infiniti capax non est; nec quoque omnium rerum et actionum quae in mundo contingunt, quum hoc de Deo tamquam illi proprium praedicet Scriptura, quod nulla res creata sit occulta in conspectu ejus, sed omnia nuda sint et aperta coram oculis ejus, Hebr. 4, 13.

XXII. Multo minus illis tribuimus notitiam cogitationum

humanarum, nisi quando per signa se produnt, nam Deus novit solus corda omnium filiorum hominis, 1 Reg. 8, 39. aut cognitionem certam rerum futurarum contingentium, et ex arbitrio hominum vel Dei singulari providentia pendentium, nisi quando ab eo ipsis revelantur; quemadmodum de die judicii ipsis ignoto Christus loquitur, Marc. 13, 32. et in genere Deus apud Prophetam Esaiam, 44, 7. testatur: Quis ut ego praedicit et indicat istud? aut ordinat istud mihi ex quo disposui populum aeternum, ut quae futura sint aut eventura, indicentur.

XXIII. Ex quo evidenter consequitur, Angelos non esse a nobis invocandos, quia solus ille invocandus est, qui gemitus cordis et cogitationes nostras novit, Rom. 8, 27. et in quo tamquam omnium rerum sciente et potente plene possumus confidere, Rom. 10, 14., ut jam taceamus Angelorum cultum et adorationem expresse condemnari ab Apostolo Paulo, Coloss. 2, 18. et ab ipso Angelo, Apoc. 19, 10. et 22, 9.

XXIV. Interim tamen ad fidelium consolationem et praemunitionem discimus, Angelos in genere omnium omnino hominum singularium habere notitiam. Mali enim Angeli operantur in filiis contumaciae, Eph. 2, 2., et pios instar leonum rugentium circumeunt, 1 Pet. 5, 8. Boni vero Angeli praeterquam quod omnium piorum custodia illis sit commissa, Hebr. 1. vers. ult. in poenis a Deo infligendis impios a piis secernunt, Ezech. 9, 4. et Apoc. 7, 3. Et ultimo die a Christo mittentur, ut congregent electos ex quatuor ventis coeli, ab extremo terrae ad extremum coeli, Marc, 13, 27. et omnia scandala et facientes iniquitatem colligant ex regno ejus, et abjiciant in caminum ignis, Mat. 13, 41.

XXV. Secunda facultas, omni naturae intelligenti, ac proinde et Angelis competens, est voluntas, de qua non minus quoque curiose disputant, quam temerarie extra Scripturas multa definiunt Scholastici.

XXVI. Nos vero, ut intra eosdem, quos antea nobis praefiximus limites, maneamus, agnoscimus, Angelos a prima sui creatione non minus libera voluntate fuisse praeditos, quam homines, imo vero eo quoque liberiore, quo intellectus et sanctitatis praestantia eisdem antecellunt.

XXVII. Hanc libertatem fatemur etiam hac in re sitam fuisse,

quod potestatem habuerint perseverandi in illo naturae bono, in quo a Deo per creationem fuerant constituti; quemadmodum ex eo demonstratur, quod Deus eis non pepercisse dicatur, qui peccaverunt, sed ad judicium in Tartaro servandos tradiderit, 2 Pet. 2, 4. et Joh. 8, 44., quod Diabolus pater sit mendacii, et cum mendacium loquitur, ἐκ τῶν ἰδίων, ex propriis loquatur. Non ergo ex aliquo naturae defectu aut impotentia, sed ex mera contumacia peccarunt, qui defecerunt.

XXVIII. Quodnam autem fuerit hoc primum eorum peccatum, in quod ex libero voluntatis abusu inciderunt, tam clare in Scripturis non exprimitur. Valde tamen probabile est, id in divinitatis aliqua affectatione, atque in Dei Filium peculiari contumacia constitisse. Quod ex tentatione qua Satan primos nostros parentes seduxit, colligitur, et ex perpetuo conatu quo Dei gloriam in se transferre studet. Speciatim vero ex odio quo Christum et ejus ecclesiam persequitur, cujus viva imago nobis Apoc. 12. describitur.

XXIX. Quaenam vero causa fuerit, quod illis libero suo arbitrio abutentibus, reliqui in veritate perstiterint, et originem suam servarint, quaestio est, non minus utilis, quam ardua.

XXX. Scholasticorum plerique inde perseverantiam ipsorum ortam volunt, quod actus beatificus in voluntate creaturae omnem actum contrarium excludat, beatificum vero hunc in voluntatem influxum eos meruisse primo liberi sui arbitrii actu.

XXXI. Haec assertio praeterquam quod temeraria est et extra Scripturam, etiam Sacrae Scripturae locis refutatur. Quis enim prior dedit ei, quod illi retribuatur? nam ex ipso, per ipsum et in ipsum sunt omnia, Rom. 11, 35. Et quaenam, obsecro, analogia est inter actum aliquem obedientiae, eumque ex jure creationis debitum, et inter aeternum hoc atque indebitum praemium?

XXXII. Nos ergo contra asserimus, etiam beatis Angelis non nisi in Domino gloriandum, cum Sacra Scriptura manifesto ex Dei peculiari gratia eorum beatitudinem arcessat; quando passim filii Dei, et Angeli electi, ab ea vocantur, 1 Tim. 5, 21. Filiorum vero haereditas sub meritum non cadit, nec electio ulla ad hanc filiationem nisi ex gratia est. Unde et Paulus, propositum Dei quod est secundum electio-

nem, manere, ait, non ex operibus sed ex vocante, Rom. 9, 11.

XXXIII. An vero ad conservationem originis suae opus habuerint Mediatore, disputatur inter scriptores orthodoxos tam veteres quam recentes. Nos affirmativae sententiae, quae gravissimos auctores habet, libentius accedimus; tum quia Christus solus in Scriptura vocatur Filius ille in quo Patri, nempe per se, complacuit; tum quia Christus peculiariter Angelorum princeps et caput appellatur; tum denique, quia etsi nullum peccatum in iis fuerit a quo redimendi fuerunt, tamen etiam in iis divina justitia inveniret quod requireret in assignando illis aeterno praemio, si secum eos compararet, atque ex se et in se solis eos respiceret, sicuti ex Hiob. 4, 18. et c. 15, 15. apparet; ut jam de locis illis Eph. 1, 10. et Col. 1, 20. nihil dicamus, qui quidem ab aliis de solis animabus tempore mortis Christi in coelo degentibus, sed tamen sine similis phraseos exemplo, exponuntur.

XXXIV. Ex quibus omnibus firmiter concludimus, Angelos jam beatos, atque electionis et perseverantiae suae omnino esse certos. Quae vero praeterea de libertate exercitii et specificationis in voluntate Angelica, respectu reliquorum obedientiae actuum, qui ipsorum essentialem beatitudinem non spectant, a Scholasticis dicuntur, nos ut temere disputata et sine ratione definita, praeterimus, hoc unum ex Scripturis certi, quod perpetuo et in omnibus, Dei et Christi ejus voluntati obediant, idque maximo cum studio, et summa cum alacritate, sicuti eorum exemplum nobis propterea in Scripturis saepe proponitur.

XXXV. Intellectum et voluntatem creaturae rationalis necessario sequitur potentia, qua extra sese efficax est, et actiones naturae suae convenientes producit. Eam vero valde insignem esse in Angelis, ex ipsorum admirandis operibus liquet, unde et Ps. 103, 20. valentissimi robore, et 2 Thess. 1, 7. Angeli potentiae Dei dicuntur; Satan vero Mat. 12, 29. ὁ ἰσχυρός, et 2 Cor. 4, 4. Deus hujus seculi appellatur.

XXXVI. Potentia autem haec eorum ex objectis, circa quae in hoc mundo versatur, optime explicabitur. Quae sunt vel animae vel corpora, illa rursum vel viva vel vitae expertia, et haec denique vel elementaria vel aetherea.

XXXVII. Quod aetherea corpora attinet, etsi plurimi inter

philosophos Intelligentias coelestibus orbibus praeficiant, qui eis assistant, eosque perpetuo in orbem agant, aut quae stellas etiam sigillatim circumferant; nos tamen id tamquam figmentum nulla solida ratione nixum rejicimus, quia Sacra Scriptura, quae nobis Angelorum officia amplissime passim describit, nullam ejus rei mentionem facit, sed contra eorum domicilium in supremo coelo seu Paradiso collocat, atque omnes propter salutem fidelium mitti asserit, Heb. 1, 14. Et virtutem illam qua coeli ac stellae in orbem feruntur, a prima creatione eis divinitus fuisse insitam, ac per Dei singularem providentiam in iisdem conservari, non obscure indicat, sicuti videre est Job. 38, 31. Ps. 19, 5. et 104, 22. Eccl. 1, 5. etc.

XXXVIII. Falsum etiam est, et illusionibus daemonum omnino ascribendum, quod incantatores carminibus suis, solis ac lunae cursum se sistere, aut sidera vertere retro, olim gloriati sunt, cum Sacra Scriptura hoc inter Dei extraordinaria et ei maxime propria miracula recenseat, Jos. 10, 13. Es. 38, 7.

XXXIX. In elementaria vero corpora majorem vim eos obtinere, Sacra Scriptura docet, nempe ad ea agitanda, alteranda, sistenda, dissipanda, etc. Nam Angelorum sanctorum ministerio Sodoma et Gomorra eversa sunt, Gen. 19. Vis ignis ab iis inhibita, Dan. 3. Venti ne flarent, cohibiti, Apoc. 7. Carceres et catenae ferreae sine strepitu effractae, Act. 5. et 12. atque a Satana ignis de coelo, ac venti tempestuosi in greges ac domum filiorum Hiobi praecipitati sunt, Hiob. 1, 16. 19. item in terram, Apoc. 13, 13. unde et potestas aëris illi peculiariter tribuitur, Eph. 2, 2.

XL. In hominum atque animantium reliquorum corpora non minori efficacia pollent. Transferunt ea per aërem celerrime, ut ex Christi ipsius, Matth. 4. et Philippi exemplo, Act. 10. liquet; motus ipsorum animales impediunt; mutos, surdos et caecos, organis tamen integris, reddunt, et eorum nervis ac linguis pro libitu suo utuntur, ut ex obsessorum et a Christo in Evangelio curatorum exemplis constat. Boni etiam non minus quam mali, morborum infligendorum potestatem habent, ut 2 Sam. 24, 16. Hiob. 2, 7. Act. 12, 23. et alibi videre est; et una nocte multas hominum myriadas unus ex iis conficit, Exod. 12, 23. 2 Reg. 19. etc.

XLI. An vero morbos eadem potentia curare valeant, diffici-

lior quaestio. Nos multorum morborum genera, ab iis sanari posse, non diffitemur, sed per causas secundas, aut per occulta remedia ab iis occulte et solerter adhibita, aut per exemptionem aut translationem materiae morbificae. Morbos vero plane lethales, aut in quibus alicujus partis forma plane periit, ab iis curari posse, omnino negamus; quia hoc divinae plane virtutis est, et divinae vocationis aut missionis extraordinarium signum.

XLII. Multo minus iis tribuimus potestatem homines mortuos in vitam reducendi, aut eorum animas ex inferis excitandi, sicuti Gentilitas olim credidit, et inter Pontificios non pauci. Exemplum vero Samuelis excitati per incantationem Sagae, cujus mentio 1 Sam. 28. fit, imposturam fuisse Satanae, se ipsum pro Samuele venditantis, omnino statuimus.

XLIII. Unde quoque evidenter concludimus, vera miracula ab iis fieri non posse. Nam et boni Angeli haec nunquam sibi vendicarunt, cum Scriptura illa inter opera Deo propria recenseat, Ps. 72, 18. et 136, 4. cujus gloriam ad se nunquam rapiunt. Malorum vero Angelorum prodigia, quae ab iis venditantur, vel praestigiis et illusionibus constant, vel operibus quidem humanum captum excedentibus, ita tamen ut causae aliquae a sapientioribus ex ipsa natura dari possint, unde et signa ac prodigia mendacii a Spiritu Sancto vocantur, 2 Thess. 2, 9.

XLIV. Difficillima vero, et tamen explicatu necessaria quaestio est, quam vim in animas humanas obtineant. Fatemur, tam bonos quam malos Angelos, sensus externos et internos hominum miris modis afficere posse, sicuti scotomate ab iis percussi sunt Sodomitarum oculi, Gen. 19, 11. Sui ipsorum et aliarum personarum ac rerum species repraesentare solent, coram animis hominum vigilantium aut dormientium, citra externorum sensuum opem, quod ex propheticis somniis et visionibus liquet. Sic Angelus Satanae Spiritus mendax fuit in prophetis Achabi, 1 Reg. ult. et homines obsessi varias illorum illusiones patiuntur, ut experientia testatur.

XLV. Sicuti autem boni Angeli potestatem habent, cogitationes bonas et sanctas suggerendi, sic contra mali potestatem habent suggerendi cogitationes malas, 1 Chron. 21, 1. item affectus hominum perturbandi atque irritandi, ut exemplo Saulis 1 Sam. 16, 15. demonstratur.

XLVI. Negamus tamen, eos immediatam habere potestatem

in judicia hominum practica, aut in ipsorum voluntatem, quia Scriptura id Prov. 21, 1. et alibi soli Deo ascribit. Imperium ergo, quod Sacra Scriptura in homines impios malis Angelis ascribit, morale tantum est, et tamen ex justo Dei judicio ita efficax, ut eos tamquam mancipia quocunque volunt, agant. Nam cum a Deo deseruntur, aut efficacia erroris ab eodem immittitur, ad ingratitudinem aut contumaciam antecedentem puniendam, instar pecudum affectibus abripi, et instar caecorum etiam in manifestis errare solent, sicuti videre licet Rom. 1, 28. Eph. 1, 2. 2 Cor. 4, 4. 2 Thess. 2, 11. etc.

XLVII. Idcirco piis diligenter vigilandum est et orandum ne unquam in tentationem ducantur, sed a malo illo liberentur; semper quoque certi esse debent, nec Angelos bonos pro iis quicquam, nisi ex Dei imperio; nec Angelos malos, nisi ex Dei judicio et concessione, adversus eos posse. Imo vero et sanctorum Angelorum praesentia per eos quoque a Deo postulari potest; quorum potentia et auxilio Satanae vis et efficacia impediri, et Satanas ipse ligari in Scripturis asseritur, Apoc. 12, 8. item 20. etc.

XLVIII. Consideratis Angelorum essentialibus facultatibus, restant explicanda nonnulla adjuncta, quae breviter annotabimus, nempe numerus, motus, locus, ordo et officia ipsorum.

XLIX. Angelorum numerum esse maximum, ex Scripturae multis locis patet; nam millies centena millia, et decies centena millia Dei solium circumstant, Apoc. 5, 11., et integra daemonum legio unum hominem occupavit, Luc. 8, 30. Motus eorum celerrimus est et instar fulguris, Luc. 10, 18. unde et cum ventis et igni comparantur, Ps. 104. Locus vero eorum non est quidem instar corporum circumscriptivus, sed definitivus, qui non est tantum operationis sed et essentiae ipsorum ad certum ubi applicatio.

L. Ordinem aliquem esse inter Angelos, non diffitemur. De Angelis malis res clara est ex Mat. 25, 41. et Apoc. 12, 7. De bonis vero Angelis ex nonnullis circumstantiis idem colligi potest, etsi quis ille sit, a Dionysio Pseud. Areopagita, atque ex illo a Scholasticis temere sit definitum.

LI. Officia ipsorum passim nobis in sacris literis explicantur. Dei enim solio semper assistunt, eum et Christum ejus celebrant, atque ab eodem mandata accipiunt, tum ad eos qui heredes salutis erunt, docendos, consolandos, defendendos, tum ad ejus

judicia adversus impios exercenda. Malorum vero opera Deus quoque utitur ad suos exercendos, et ad infideles et impoenitentes agitandos et puniendos.

LII. An vero singulis hominibus unus aliquis Angelus sit attributus non ita perspicue ex Scripturis colligi potest. Hoc nobis sufficit, quod saepe integer eorum exercitus uni sancto tuendo sit praefectus, ut ex Jacobi Patriarchae et Elisaei exemplo liquet, saepe multi certo fidelium generi, ut Mat. 18, 10. et saepe unus integrae provinciae, aut populo, ut ex Es. 37, 36. et Dan. Prophetia apparet.

DISPUTATIO XIII.

de

Homine ad imaginem Dei creato.

Praeside D. ANTONIO THYSIO.

Respondente JOHANNE OLIVARIO.

Thesis I.

Actum est universim de opere Creationis, et in specie ex creaturis rationalibus, de Angelis tum persistentibus in prima origine et veritate, tum ex ea prolapsis; consequens est, ut porro de homine ad imaginem Dei creato agamus.

II. Et sane homo est inferioris naturae consummatio et finis, superioris congener, totius compendium et vinculum, quo coelestia terrenis conjunguntur.

III. Intelligimus autem eo non corpus aut animam seorsim, sed ex utroque, anima videlicet rationali et corpore, vinculo quodam amicissimo et arctissimo inter se colligatis, in unam naturam compositum, atque hypostasi unitum.

IV. Hujus creationem duplicem consideramus: primam et immediatam, Gen. 1, 27., secundam et mediatam, Gen. 6, 7. Ps. 102, 19; illa, primorum parentum, haec, reliquorum hominum ex iis progenitorum.

V. Primi homines immediate a Deo sunt conditi, tum respectu efficientiae, tum materiae. Efficientiae quidem, quod a Deo conditi sine ulla Angelorum cooperatione. Materiae vero, quod vel nulla, ut animae; vel non habilis, apta et idonea, ut

corpori, si proximam ejus materiam spectes, iis efficiendis subfuit materia.

VI. Condidit vero Deus hominem postremum post reliqua omnia, ut a minus perfectis ad perfectius fieret progressio; quodque, cum omnia propter hominem sint, omnia praeexsistere necesse fuerit, quae ad eum ut finem diriguntur et ad ejus bonum et felicem statum faciunt; quod sane singularis divinae providentiae est actus, et humanae dignitatis demonstratio.

VII. Ad cujus insuper amplitudinem et magnitudinem dignitatis facit, quod illum creaturus, non ad modum reliquarum creaturarum solo verbo produxit, sed de eo creando consultavit, decrevit, vel potius accinxit sese operi, ut singulare et eximium opus operose moliturus. Quinimo neque Deus sub communi appellatione hic venit, sed tres Personae Divinae simul id agere inducuntur, dum ait Deus, Faciamus hominem in imagine nostra, secundum similitudinem nostram. Quo Personarum Divinarum hic pluralitas evidenter indicatur, Prov. 8, 22. usque ad vers. 30. Joh. 1, 3. Job. 33, 4. Ps. 104, 30.

VIII. Quin summa ejus dignitas eo aperitur, quod ad imaginem suam eum creare instituit. Reliqua enim vestigium, umbram et similitudinem aliquam Dei gerunt, solus homo ad imaginem Dei factus est, qua pressior ejus expressio declaratur.

IX. Duabus autem partibus constantem creavit, corpore et anima, Gen. 2, 7., quamvis alibi Scriptura in tres deducat, corpus, animam et spiritum, 1 Thess. 5, 23. voce animae strictius accepta. Haec principalis est, illa administra.

X. Corpus quidem primi hominis essentia omnibusque suis partibus Deus primo creavit, et instar figuli ex pulvere terrae, seu pulverem e terra plasmavit. An vero ex aliis quoque elementis, Scriptura non dicit, attamen id si ita est, praesertim ex terra aqua macerata, a praedominante parte, reliqua intelligenda fuerint. In materia vero nulla fuit potentia et aptitudo ad corpus, et quidem tale efformandum, sed totum illud a potentia Dei accepit.

XI. Per plasmationem hanc quae et manibus Dei tribuitur, Joh. 10, 8. Ps. 119, 73. intelligimus non proprie corpoream et manuariam, assumto a Deo corpore, ut quidam volunt, Dei

actionem; sed diligentem, singularem, et respectu materiae non idoneae immediatam ejus creationem. Reliqua animantia aqua et terra, simul, et tota produxit; at hominis corpus primum et singulariter quasi manu sua effinxit. Unde et ipse Adam Heb. ab Adama, ut homo ab humo, omnesque ab eo homines denominationem accipiunt, Gen. 3, 19. et 5, 2.

XII. Ut autem in materia terrea est admonitio nostrae infirmitatis et humilioris naturae argumentum, Gen. 3, 19. ita in immediata hac excellenti plasmatione, dignitatis est commendatio.

XIII. Corpus vero ita a Deo efformatum δεκτικὸν fuit animae humanae, atque ita comparatum, ut idoneum instrumentum foret talis animae actionumque ejus, ac nullius praeterea spiritualis naturae per se.

XIV. Corpori hujusmodi addidit deinde et indidit Deus animam seu spiraculum vitae, quae generali voce Heb. dicitur רוח, ruach, spiritus, specialiore נפש, nephesch, anima, quae animantis tantum est, ac specialissima נשמה, neschema, id est, spiraculum seu halitus, quae homini fere accommodatur. Qualis distinctio Latinis inter Spiritum, Animam et Animum, non quod ipsa flatus quidam seu ventus, aut halitus ac evanidus spiritus sit, sed quod similitudine rerum illarum, naturae hujus subtilitas et potentia significetur, spiritualis scilicet natura, corporeae opposita.

XV. Est itaque non accidens aut qualitas, sed substantia; et quidem non corporalis, tactui visuique subjecta, sed omnino spiritualis. Quamvis inter veteres Graecos patres quidam, etiam inter Latinos Arnobius et Tertullianus etc. subtile corpus statuere videantur. Nos vero illam a natura corporis plane sejungimus.

XVI. Imo vero talis spiritus est, qui separatim a corpore subsistere potest, quod comprobant haec S. Scripturae testimonia, Gen. 2, 7. Eccl. 12, 7. Mat. 10, 28. Luc. 23, 43. 46. Act. 7, 59. etc.

XVII. Differt ab Angelica natura, (qui et ipsi spiritus sunt) quod Angeli ita separatae sint a corpore essentiae, ut nullam ad corpus affectionem naturalem habeant, anima vero contra.

XVIII. Est autem ex Deo, non ut ex materia et ex traduce Dei, ceu ejus quaedam particula; sed ut e causa efficiente, et accessu quodam naturae propiore ad essentiam Dei divinarumque proprietatum assimilatione, Act. 17, 28. 29.

XIX. Neque ex ulla omnino essentia, sive coelesti sive elementari,

creata factaque; verum ex nihilo primo homini in faciem, os et singulariter nares insufflata, et insufflando creata, ut ait Augustinus.

XX. Afflatum seu inhalationem quidam proprie, ut plasmationem intelligunt, pro corporea oris actione assumpto corpore facta; symbolumque externum fuisse volunt ipsius animae creatae, hominem animantis; alii improprie pro singulari et simpliciter immediata Dei vi et actione in condenda hominis anima. Huic sententiae et nos accedimus. Et sane duo hic consideranda, quod anima exterius advenerit, et analogice divinae essentiae respondeat.

XXI. De sede ejus et speciatim mentis, varie disputatum est. Sunt qui inexplicabilem hanc quaestionem fecerunt. Alii per totum corpus aequaliter diffusam volunt, totam in toto et in qualibet parte totam, sed in certa quadam parte magis videri inesse, quod ibi sit ejus facultatis praecipuum instrumentum, ut post Ambrosium et Augustinum Scholastici. Alii specialem illi sedem attribuunt, et Academici quidem caput seu cerebrum, Peripatetici ac Stoici pectus seu cor.

XXII. Nos postremam sententiam, Scripturam Sacram et Veteres fere Patres secuti, amplectimur, ac in corde ut in centro ac recessu animam esse secundum essentiam (unde et cor pro omnibus animae facultatibus, nempe sapientia, voluntate et affectu ponitur) statuimus; exercere autem suas potentias in corpore, et quidem per propria ejus instrumenta, utpote per cerebrum intelligere. Ita ut essentialiter in certa hac parte sit, virtualiter in toto corpore, Deut. 29, 4. Rom. 1, 21. Mat. 15, 19. et 22, 37.

XXIII. Quod vero alibi anima omnis carnis, adeoque et hominis, in sanguine dicatur, imo ipse sanguis anima, Gen. 9. et Lev. 17., quod et Empedocles aliique affirmarunt, intelligendum est non de anima ratiocinante, sed vitali ejus facultate et vita ipsa.

XXIV. Habet ea naturalem et immotam affectionem et sympathiam ad corpus, ut ad alteram compositi partem, organumque ejus accommodatum et proprium; ipsaque corpori sensum, vitam ac motum tribuit, et in eo principatum exercet, illud regit ac moderatur. Non tamen ab eo simpliciter dependet, aut organica est, ut quae ab eo separari, per se subsistere, privata munia obire sine ejus adminiculo possit, corporique superstes maneat. Nihilominus sine eo plene beata non est, sed tum

demum plene felix, cum corpori conjuncta est. Unde corporis necessaria ad beatitatem hominis resurrectio evincitur.

XXV. Non tantum autem separabilis a corpore, et superstes corpori, sed et natura immortalis est, quod Scripturae testimoniis, et evidentibus argumentis probatur. Testimoniis quidem e Vet. Testam., Ps. 49, 16. Eccl. 12, 7. 1 Sam. 28, 11. 1 Reg. 17, 21., e Nov. Test., Mat. 10, 28. Phil. 1, 22. 23. 1 Pet. 3, 19. Apoc. 6, 9. et 7, 9. et passim.

XXVI. Argumentis: primo ex creationis forma, inspiratione enim Dei creata est, sine ulla omnino materia praejacente, imo ex Deo ipso, assimilatione essentiae, adeoque ad Dei imaginem. Nihil autem mortale immortalis Dei imago est.

XXVII. Deinde ex ipsius natura, quod essentia simplex sit, nihil admixtum, concretum, copulatum aut coagmentatum habens, unde neque secerni, dividi atque discerpi potest, ac proinde interitus expers. Est enim interitus, quasi discessus, secretio et diremptio earum partium, quae ante interitum junctione aliqua tenebantur.

XXVIII. Quin ex praeclaris animi dotibus, effectis, divinisque functionibus. Miranda enim solertia ingenii, cogitationis celeritas, facilitas perceptionis, judicii acrimonia, discursus et ratiocinatio de rebus omnibus, memoria rerum praeteritarum, praesentium contemplatio, futurarum praevisio, et maxime in se ipsam conversio et reflexio, suique contemplatio, quae omnia a nulla elementorum compositione, sed diviniore natura sunt, atque immortalem eam arguunt.

XXIX. Imprimis ex ipsa animae indita Dei cognitione religioneque, veri et falsi, aequi et iniqui, juris et injustitiae, pulchri et turpis, honesti et inhonesti differentia et perceptione, artium innumerabilium excogitatione et scientia. Evanidus enim vigor non posset ad Deum immortalem et fontem vitae assurgere, atque coelestia et divina, admiranda ingenii vi perscrutari.

XXX. Ex conscientiae testimonio, quae ex reatu peccatorum horribiles terrores concipit. Nisi sane hominum animae post mortem superstites essent, nihil causae haberent impii cur de futuris poenis tantillum formidarent.

XXXI. Sed et cibus animae humanae est immortalis, ut est Deus ejusque fruitio. Et ni anima esset immortalis, vana

esset fides et spes nostra, omnisque religio, 1 Cor. 15, 14. Accedit denique communis omnium fere gentium etiam barbarissimarum consensus.

XXXII. Ad facultates animae quod attinet, nos Philosophorum subtilioribus disputationibus posthabitis, eas distinguimus in intellectum seu mentem, et voluntatem; seu cum Apostolo in spiritum et animam; restrictiore significatione nomine spiritus superiorem facultatem, mentem scilicet; animae vero, inferiorem, sensitivam et vegetativam intelligentes. Quod Latini per animum et animam efferunt.

XXXIII. Intellectu objecta vel approbanda vel improbanda apprehendimus et discernimus; estque duplex: theotreticus, quo verum a falso; practicus, quo bonum a malo, aequum ab iniquo. In quo consideramus συντήρησιν et συνείδησιν, scientiam et conscientiam, quae simul juncta practicum syllogismum constituunt.

XXXIV. Voluntate autem, cujus natura est non cogi, et secundum naturae primae facultatem nulla necessitate ad extrema restringi, objecta eligimus et repudiamus, prout ea bona vel mala esse intellectus judicat. Saepe etiam est electio inter aequalia et inaequalia, quin voluntas quoque actionem suam suspendit.

XXXV. Atque ita homo factus est in animam viventem, corpore et animo hypostatice inter se unitus, quo homo integer constituitur.

XXXVI. Totus autem homo et anima et corpore in imagine Dei et secundum similitudinem ejus creatus est, quorum hoc ad exegesin illius facit. Imo vero et epitheti rationem ad illius amplificationem habet, quasi dicat imaginem simillimam, Gen. 1, 27. et 5, 1. Secus quam Patres quidem arbitrantur, qui imaginem ad naturam, similitudinem ad actiones Deo conformes referunt.

XXXVII. Ea intelligimus bonitatem, rectitudinem et perfectionem seu statum ejus optimum, supra reliqua animantia excellentiam et excessum, et propiorem ad Deum accessum.

XXXVIII. Integritas interna est in anima, corpore, affectibus et actionibus, totiusque hominis immortalitate. Ratione mentis homo scientia fuit insigni, Gen. 2, 19. etc. Voluntatis vero ea libertate, ut non modo a coactione, sed et peccati necessitate esset liber, menti et rectae rationi ac divinae voluntati consen-

tiens. Affectuum seu inclinationum et appetituum ea εὐταξίᾳ, ut menti voluntatique obsecundarent. Corporis ac membrorum sancta compositio, ex quibus omnibus rectae sanctaeque actiones oriebantur.

XXXIX. Quibus accessit non animae modo, sed et corporis seu totius hominis immortalitas, Rom. 5, 12. et 6, 23. Utraque naturalis: illa, quod mori anima ut simplex neutiquam possit; haec, quod moriturum corpus non fuisset, tum propter εὐκρασίαν, tum conservationem animae, quae perpetuo et vitaliter illud fovisset et conservasset.

XL. Hanc partium omnium in homine creato harmoniam et consensum, justitiae originali ut matri et magistrae acceptam referimus: quae naturalis dici potest, quod ea collata fuerit et eam acceperit homo, non ratione individui, sed totius speciei, quodque ejus contrarium peccatum originale, naturae corruptae sit. Non tamen propterea omnem ulterius Dei gratiam excludit, sed infert, ut ita natura gratia foveretur.

XLI. Excessum illum hominis super omnia animantia, imo terram ipsam (cui et reliqua subserviunt) Scriptura explicat Dominio, dum ait: Qui dominentur in pisces maris, etc. Et, Dominamini, etc. quo et posteri comprehenduntur. Eo autem dominio majestateque, imago Dei a Mose describi videtur, ut ab ejus proprietate effectuque. Equidem ut dominium quis exerceat, anima ratiocinante praeditum esse oportet; ut vero aequum ac placidum, certe sapientem, sanctum et justum; ut quoque actu exerceat, corpus bene comparatum ad animae integrae consentaneas actiones; ut denique sit perpetuum, immortalem hominem esse necesse est.

XLII. Atque Apostolus consentienter Dei imaginem ab anteriori collocat in sapientia, sanctitate et justitia; ut etiam ex ejus contrario, amissa Dei imagine, et restauratione intelligi potest, 2 Cor. 3, 18. Eph. 4, 22. 23. 24. Col. 3, 9. 10.

XLIII. Atque hinc consequitur et accessus ad Deum propior, dum homo Deo conformis, Deo unitur et adhaeret, quem actum etiam imago Dei infert et comprehendit.

XLIV. Status ergo hominis fuit beatissimus; ad quem accessit externa dignitas, collocatio ejus in horto seu Paradiso a Deo consito, qui graphice a Mose loco situque, aliisque circumstantiis describitur. Nos omissis quae de ejus

fluminibus, latifundo, et duratione disceptantur, eum in, vel juxta Mesopotamiam, versus Tigridem et Euphratem collocandum censemus.

XLV. Illum porro exornavit omni genere pulcherrimarum herbarum et arborum, quae ad esum et voluptatis usum facerent. Inter quas Arbor vitae et scientiae boni et mali. Illa quidem ita dicta, non quod vitam insitam haberet, aut corpori aut animo per se, ut panacea quaedam, praestaret, ut Scholastici post Patres quosdam arbitrantur, sed potius Sacramentali ratione: quod obsignaret utramque, quin imo spiritualem subsecuturam adumbraret, Apoc. 2, 7.

XLVI. Haec autem, scientiae scilicet boni et mali, nuncupata, non quod ei inesset scientia (quod absurdum) vel occultam vim insitam haberet efficiendi eam, seu acuendi ingenii, ut Josephus voluit; sed quod esset arbor, ex divino instituto, Sacramentalis, qua jubebatur homo non ultra velle sapere quam vellet Deus, aut bonum malumque suo ingenio metiri; quaque explorans Deus ejus obedientiam fructus comestione, sensurus esset atque experturus bonum quo privandus, et malum in quod casurus.

XLVII. Horto huic Deus hominem imposuit, tamquam Dominum in Basilica sua ad eum colendum et custodiendum, Gen. 2, 15. Colendum quidem jucundo et sancto opere, sine fatigatione et taedio; custodiendum autem in eo statu quo erat, et ab animalium incursu et eversione. Atque haec in personis protoplastorum in Paradiso collocatio, suo modo quoque ad progenitos spectat.

XLVIII. Ceterum Deus hominem (hominis voce communiter accepta) duplici sexu condidit, secundum illud, Masculum et feminam creavit eos, natura et dignitate tamen inaequales, hanc infirmiorem et inferiorem, unde singulariter mulier, imago et gloria viri dicitur, ut vir Dei, 1 Cor. 11, 7. ad propagandum videlicet in mundo humanum genus, Gen. 1, 27.

XLIX. Nec simul et eodem modo utrumque. Prius enim virum exstruxit, deinde feminam, ut viri dignitas supra feminam esset commendata, 1 Cor. 11, 8. Atque sicut Deus unum est principium creationis rerum, sic primus homo unum esset principium generationis omnium hominum, ut dum cognoscerent se ab uno esse omnes, se quasi unum amarent et

communi quodam sanguinis nexu inter se devincirentur, Act. 17, 26.

L. Tum etiam virum e pulvere, feminam vero ex viri soporati costa, eaque carne investita, et e lateribus ejus exempta, non autem de capite, nec de pedibus, efformavit: nempe quod viro nec domina, nec ancilla parabatur, sed socia, ut juxta se ponendam cognosceret, quam de latere suo sumptam didicisset. Factique sunt in carnem unam, et origine, et conjugali consortio, eorumque communi fructu, ad mutuam necessitudinem inter conjugatos firmandam, Eph. 5, 28. etc.

LI. Tantum de prima hominis creatione, sequitur secunda et mediata, quae est naturae humanae constitutae, et vasis ad generationem aptis instructae, qua Deus benedictione sua, et vim prolificam addidit, eamque fecundavit, ut ita homo ex homine, mare scilicet et femina, generaretur, ad terram hominibus implendam, secundum illud: Benedixit eis, ac dixit, Crescite et multiplicamini, et replete terram.

LII. Agitatum hic fuit inter Patres olim problema, utrum animae reliquorum hominum per traducem parentum deriventur, an vero creentur et infundantur a Deo. Nonnulli, Tertullianus aliique senserunt, totum hominem ex toto homine propagari, nempe corpus ex corpore, animam ex anima, ut lumen de lumine accenditur, vel ut alii, totum ex vi genitalis seminis.

LIII. Communis autem opinio huic contraria est, nempe non esse ex traduce, sed a Deo, non quidem quasi ante ab initio mundi praeexsistentes, ut Origenes voluit, verum immediate creari, corporibusque ubi jam in utero matris corpus ad talem animam suscipiendam comparatum et dispositum fuerit, coelitus infundi, aut potius, ut alii volunt, increari. Augustinus in medio quaestionem relinquit. Nos vulgatam sententiam veritati magis consentaneam arbitramur.

LIV. Finis et usus creationis et creati hominis est, ut ipse ex tam admirando sui opificio, excellentia et statu, eximiam Dei sapientiam, potentiam et benignitatem, quam in ortu nostro declarat, cognoscat, agnitam tum interne, tum externe colat, ad omnimodam ejus beatitatem, Deique gloriam.

DISPUTATIO XIV.

DE

Lapsu Adami.

Praeside D. JOHANNE POLYANDRO.

Respondente D. JOHANNE ZELIO.

Thesis I.

Peccatum est ἀνομία, seu vitium legi Dei repugnans, 1 Joh. 3, 4.

II. Subjectum illius est creatura rationalis ad imaginem Dei creata a bono declinans, quod lege Dei praescribitur, et ad malum inclinans quod illa prohibetur.

III. Illud, aut in malis Angelis, aut in primis nostris parentibus, Adamo et Eva, aut in horum posteris consideratur.

IV. Nos de primorum nostrorum parentum peccato disserere constituimus, quod in genere inobedientia, transgressio, ac lapsus ab Apostolo appellatur, Rom. 5, 12. et seqq.

V. Quamvis hoc peccatum ab Adamo et Eva commissum fuerit, ad solum tamen Adamum ab Apostolo refertur, Rom. 5, 12. tamquam ad caput ac principium universale totius generis humani, ex quo ipsa quoque Eva fuerit condita, 1 Cor. 11, 8. et in quo Deus omnes homines, tamquam in primario parente, pro ratione pacti cum ipso initi, censuerit.

VI. Edictum divinum quod Adamus sua inobedientia directe violavit, ab ipso Deo fuit immediate promulgatum in Paradiso: Ex omni arbore horti comedendo comedes, at ex arbore scientiae boni et mali non comedes, Gen. 2, 27. Quo posthabito edicto, experiri voluit an arbori illi vis inesset majorem ipsi scientiam conferendi.

VII. Eadem inobedientia legem moralem, expressam legis naturalis ipsi a Deo inditae ὑποτύπωσιν, consequenter transgressus est.

VIII. Nam primam ejus tabulam sua incredulitate ac numinis divini profanatione; secundam, sua ingratitudine in Patrem suum coelestem, sui ac posterorum suorum homicidio, intemperantia, furto ac contrectatione rei alienae, assensu falsi testimonii, pravaque altioris scientiae ac status cupiditate violavit.

IX. De specie illius peccati discrepantes sunt Doctorum sententiae.

X. Pontificiorum alii statuunt, fuisse superbiam, alii gulam, qua parentes nostri esum pomi, tamquam non in perpetuum vetiti; alii intemperantiam, qua usum conjugii anticipaverint.

XI. Brentius existimat, fuisse defectionem a Christo Dei Filio, qua imperium ipsius detrectaverint.

XII. Nostrorum plerique infidelitatem fuisse asserunt, qua fidem huic comminationi divinae abrogarunt: In qua die comedes ex arbore scientiae boni et mali, morte morieris, Gen, 2, 17.

XIII. Quae sententia admitti potest, si potius quid parentes nostri primum fecerint, quam quo primum respexerint atque animum suum intenderint, recte perpendamus.

XIV. Initium enim, seu primus motus gradusque illius peccati, fuit dubitatio de veritate interminationis, qua Deus suum interdictum sancire voluit; ut ex ordine tentationis qua Diabolus Evam seduxit, evidenter demonstrari potest.

XV. Hanc enim primum ad dubitationem de verbo Dei, dubia sua interrogatione sollicitavit: Etiamne dixit Deus, Non comedetis ex omni arbore horti? Gen. 3, 1.

XVI. Deinde ex nutantis feminae ad Dei interdictum aliquid adjicientis responso audacior factus, sanctionem Dei hac manifesta contradictione elevavit: Non moriemini; sed novit Deus, quod in die qua comedetis ex ea, aperientur oculi vestri, et eritis sicut Dii, scientes bonum et malum.

XVII. Cui mendacio diabolico Eva potius credens, quam divinae veritati, similitudinem illam ac scientiam divinam per esum fructus illius vetiti affectavit.

XVIII. Plures iterum motus affectusque inordinati, cum primo illo infidelitatis actu concurrerunt. Nam sicuti parentum nostrorum infidelitas ambitioni januam aperuit, sic huic annexae fuerunt ingratitudo, impietas in Deum, et contumacia mater defectionis, qua, Deo spreto ac derelicto, se in castra Diaboli contulerunt.

XIX. Causa hujus peccati, aut externa est, aut interna.

XX. Causa illius externa non fuit Dei praescientia, nec ejus permissio, nec impulsio, sed Diaboli instigatio.

XXI. Non Dei praescientia, sive illa seorsim absque actu voluntatis determinantis, sive conjunctim cum illo consideretur.

XXII. Nulla enim Dei praescientia theoretica, seu indeterminata, rerum praescitarum causa esse potest, cum illa non in alio, sed in se tantum agat, nec propterea res sint futurae, quod Deus eas nuda cognitione praesciverit, sed ideo futuras praesciverit, quod eas fieri, vel, ut ab aliis fierent, permittere decreverit.

XXIII. Praescientia autem practica, quae adjunctam sibi habet Dei voluntatem, non ex se sola, sed ex suo cum actu voluntatis consortio, foris agit: nec res futuras tantummodo sub ratione entitatis ac veritatis, sed etiam sub ratione boni et tamquam justissimae suae voluntatis objecta intuetur.

XXIV. Quocirca, cum peccatum non sit bonum, sed deflexio a bono, tum naturali, quod Deus in omnibus suis creaturis efficit, tum morali, quod lege sua praecipit, tum finali, quod in sapientissima rerum omnium gubernatione ac directione sibi proponit, nequaquam causa peccati ab Adamo et Eva commissi, ipsi absque manifesta blasphemia attribui potest.

XXV. Nec Dei permissio causa istius peccati statui potest, cum illius interventu Deus peccatum istud non effecerit, sed a nostris parentibus, quorum illicitum appetitum cohibere non tenebatur, committi siverit, ut summum ex eo bonum eliceret.

XXVI. Nec Dei impulsio, cum nec malo ullo Deus possit tentari, nec ad malum, quod expressa sua lege se odisse, mortisque supplicio ulturum pronunciat, alios tentare.

XXVII. Diaboli vero instigatio est peccati nostrorum parentum causa externa principalis. Nam sicuti Evam serpentis adminiculo, sic Adamum Evae suggestione seduxit.

XXVIII. In qua seductione quadruplex Diaboli actus est observandus:

1. Quod ad suam fallaciam aptius occultandam, Evae sub forma serpentis apparuerit.

2. Quod animalis, reliqua calliditate atque in hortum irrependi facilitate superantis, corpus assumpserit.

3. Quod mulierem imbecillioris consilii, priusquam virum adortus fuerit.

4. Quod virum per mulierem vitae ipsius sociam in ejusdem peccati societatem pellexerit.

XXIX. Quo respiciens Apostolus, ait, virum non prius seductum fuisse, sed mulierem, hancque transgressionis ipsius causam fuisse, nimirum, administram atque instrumentalem, 1 Tim. 2, 13. 14.

XXX. Causa lapsus interna, est libera utriusque nostri parentis voluntas, vel potius deflexio voluntatis, Satanae potius quam Deo auscultantis.

XXXI. Uterque cum sic a Deo conditus fuerit ut posset non peccare, si nollet peccare, et posset, si vellet.

XXXII. Et quamvis Deus utrumque mutabiliter bonum creaverit, ista tamen mutabilitas in statu ipsorum integro, nec defectus fuit naturae ad imaginem Dei conditae, nec peccatum, nec causa peccati, sed conditio creaturae conveniens; a qua creator hac perfectionis nota incommunicabili distinguitur, quod per se ac natura sit immutabiliter bonus.

XXXIII. Nec ideo parentes nostri sunt excusabiles, quod Diaboli instinctu mandatum Dei transiliverint, cum Diabolus externa suasione nullam voluntati ipsorum necessitatem cogentem afferre potuerit.

XXXIV. Peccato illi forma proprie assignari non potest, cum sit privatio formae vel deformitas et defectio a perfectione ac lege quam Deus homini dederat; nec finis, cum sit aberratio a fine, et ab ordine ad finem, ad quem homo fuit creatus.

XXXV. Effecta peccatum illud consequentia sunt poenae, aut utrique parenti communes, aut alteri propriae.

XXXVI. Poenae communes sunt, 1. amissio justitiae originalis. 2. sensus nuditatis. 3. terror conscientiae. 4. ejectio ex Paradiso. 5. omnis generis laborum ac cruciatuum congeries. 6. moriendi necessitas.

XXXVII. Errant ergo, qui peccatum utriusque parentis, atque imprimis Adami, exiguum ac veniale fuisse arbitrantur. Quo enim Dei mandatum fuit levius atque observatu facilius, eo magis uterque ob illius transgressionem coram Deo fuit inexcusabilis, ac reus mortis temporariae et aeternae.

XXXVIII. Propria viri poena fuit, singularis quaedam rerum toto vitae suae curriculo gerendarum cura ac sollicitudo.

XXXIX. Propria mulieris poena, fuit summa partus atque educationis liberorum difficultas.

XL. Quemadmodum omnes homines in utroque parente ori-

ginaliter peccarunt, ac per ejusdem naturae vitiatae propagationem communi lue sunt contaminati, sic ejusdem criminis ac mortis rei sunt constituti, Rom. 5, 12.

XLI. Utrumque interim parentem per fidem in Jesum semen mulieris promissum, Deo fuisse reconciliatum, ac participem factum salutis aeternae, asseverare non dubitamus.

DISPUTATIO XV.

DE

Peccato Originali.

Praeside D. ANDREA RIVETO.

Respondente ABRAHAMO ab ELDERE.

THESIS I.

HOMINI in creatione duplex vita a Deo data fuit, animalis et spiritualis: illa, in animae et corporis unione sita fuit; haec, in conjunctione animae cum Deo opifice suo. Ut prima amittitur per separationem unionis illius naturalis, sic per alienationem hominis a Deo, secutus est spiritualis interitus. Qua defectione si reliquas etiam creaturas ita pessum dedit Adam, ut propterea maledictioni factae fuerint obnoxiae, nihil a ratione alienum est, si ad totam ejus sobolem sit propagata, quae peccati hujus per quod mors intravit in mundum, particeps facta, sub illius deformitate et reatu oppressa manet, donec ab alio liberetur.

II. Postquam igitur actum est de primo illo peccato πρωτοπλάσ.ων, postulat methodi ratio, ut de eo quod a primo illo immediate originem ducit, et ad posteros propagatum est, instituatur disputatio. Quod ut ordine fiat, an sit tale peccatum, nobis erit primo disquirendum. 2. Quid sit? ubi de causis ejus, subjectis et effectis, sigillatim erit agendum.

III. Id eo accuratius nobis faciendum, quod in causa duorum hominum, Adae videlicet et Christi, quorum per alterum venundati sumus sub peccato, per al-

terum a peccatis redimimur, proprie fidem Christianam consistere, cum August. censemus, Lib. de Pecc. orig. c. 14. Ideo enim Filius Dei carnem assumpsit humanam, et in ea pati voluit, ut humanum genus a servitute peccati, in qua ex praevaricatione primi parentis detinebatur, liberaret; unde jam olim, et hoc tempore, Ecclesia eosdem gratiae Christi hostes passa est, et patitur, quos originalis peccati experta est oppugnatores.

IV. De naturae obliquitate et depravatione aliquando conquesti sunt, qui nihil alias supra naturam sapuerunt. Homines natura sua esse malos, et induci non posse ut justitiam colant, notavit Plato, Lib. 2. de Repub. Et Cicero lamentatus est, Hominem a natura noverca in lucem edi, corpore nudo, fragili atque infirmo, animo ad molestias anxio, ad timores humili, ad labores debili, ad libidines proclivi, in quo divinus ignis sit obrutus, ingenium et mores. Citatur ab Aug. Lib. 4. contra Jul. ex. Lib. de Repub. Sed neque malum satis agnoverunt, neque ad mali causam et fontem, spirituali luce destituti, pervenire potuerunt.

V. Ab Adamo in posteros, peccatum vere sic dictum derivari, ex Scriptura Veteris et Novi Testamenti evidentissimum est; in qua ipse Deus asserit, omne figmentum et cogitationes cordis humani, tantummodo malum esse omni tempore, Gen. 6, 5. idque a pueritia ipsius, Gen. 8, 21. Et Job negat, posse mundum nasci ex immundo conceptum semine, Job. 14. Et David agnoscit se in iniquitatibus conceptum, Ps. 51, 7. Et Christus asserit, carnem esse quicquid ex carne natum est, Joh. 3, 6. Et Paulus, per unum hominem peccatum in mundum intrasse, per peccatum mortem, et ita in omnes homines mortem pertransiisse, in quo omnes peccaverunt, etiam ii qui non peccaverunt ad similitudinem Adami, Rom. 5, 12. 13. 14. et nos omnes natura esse filios irae, Eph. 2, 3. Quae pauca e multis selecta, morbum satis detegunt, quem Satan tegendo incurabilem reddere tentat.

VI. Idem evincitur rationibus firmissimis ex analogia fidei petitis. 1. A circumcisione olim, et baptismo hoc tempore, in-

fantibus administrato: utroque sigillo justitiae fidei et remissionis peccatorum, non certe actualium in illis, cum actualiter peccare non potuerint, ergo originalis. 2. A communi omnibus morte, a qua non excipiuntur infantes. Est autem mors stipendium peccati, Rom. 6, 23. quod juste non potest nisi peccatoribus irrogari, cum omnis poena, si justa sit, poena peccati sit, nec morte pungi debeat, qui ejus aculeum non sensit. 3. A redemptione per Christum facta, et generatione per Spiritum. Qui enim nascuntur sine peccato, redemptore non egent; nec spirituali regeneratione, quos carnalis non infecit generatio. At Christus pro omnibus mortuus est, ergo etiam pro infantibus. Et nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu, non intrabit in regnum coelorum, 2 Cor. 5, 14. Joh. 3, 3. 4. Adde, omne genitum gignenti esse simile, Adam genuit filium ad similitudinem suam, Gen. 5, 3. Imago Adami opponitur imagini Dei per peccatum obliteratae; genuit ergo corruptus corruptum, ut leprosus leprosum.

VII. His accinit Orthodoxus antiquitatis consensus, docens, firmissime credendum et nullatenus dubitandum, omnem hominem qui per concubitum viri et mulieris concipitur, cum peccato originali nasci, impietati subditum, mortique subjectum, et ob hoc irae filium. Quae Fulgentii verba, de fide ad Petr. exprimunt Ecclesiae fidem etiam ante exortam haeresim Pelagianam, ut prolatis Irenaei, Cypriani, Hilarii, Gregor. Nazianzeni, Basilii, Ambrosii, Hieronymi etc. sententiis contra Julianum probavit Augustinus. Tempore autem Augustini et insecutis seculis, praeter infinitos scriptores, eandem dilucide expresserunt Concilia contra Pelagium et Semipelagianos congregata, Palaestinum, Milevitanum, Carthaginense, Toletanum 6. et Arausicanum.

VIII. Cum esse tale peccatum auctoritate constet et ratione, videndum est deinceps quid sit. Et quidem de nomine primum, quod ipsi varium tam in Scripturis, quam in aliorum scriptorum monumentis, inditum est. Appellatur enim a Paulo, peccatum peccans, et malum inhabitans, Rom. 5, 12. et 7, 13. malum adjacens, εὐπερίστατος ἁμαρτία, Hebr. 12, 1. et concupiscentia, lex membrorum, corpus peccati, etc. Rom. 7, 7. 23. A patribus nonnullis, antiqua ser-

pentis plaga, venenum, pondus antiqui criminis, etc. Sed post exortum Pelagium, Augustinus, ut adversariorum strophas et aequivocationes, aliorum nominum occasione arrepta excogitatas, etiam ipso vocabulo praeverteret; peccatum hoc originale, vel originis, passim nominavit, unde hoc nomen deinceps in Ecclesia frequentatum, a nobis etiam retinetur, ut rei explicandae satis commodum et conveniens.

IX. Dicitur autem Originale, non ad restrictionem, quasi aequivoce peccatum appellaretur; sed ad distinctionem actualis peccati. Nec etiam Originale appellatur, quod sit aliorum omnium peccatorum fons et origo, significatione transitiva, et ratione effecti, etiamsi id ipsi competat; sed vel quia inest unicuique ab ortu suo, id est, ab ipso conceptionis momento, aut quia contrahitur a prima origine, id est, a primo parente, aut quia omnes jam inde ab initio in Adam peccaverunt; quae tres rationes olim a diversis allatae, in hanc unam contrahi possunt, Originale vocari, quia propagatione haereditaria nativitatem nostram maculavit, atque in nobis statim, ut primum homines sumus, insedit, et naturae et originis lege in nos derivatum est; ut ipso nominis etymo opponatur Pelagianorum dogmati, negantium peccatum ullum cum homine nasci, sed in eo solum cum nascitur quod Deus condidit, inveniri. Quam appellationem etiam confirmant loci Scripturae supra memorati, ex Gen. 8. Job 14. Ps. 51. et Eph. 2.

X. Ad rem quod attinet, peccatum originale definimus, ἀνομίαν seu vitiositatem haereditariam, ex defectione omnium hominum naturali modo ab Adamo propagatorum, in ipsius primi parentis lumbis factam; qua toti quanti sunt, corrupti, eoque ab omni bono aversi, et ad omne malum tantum propensi et inclinati, rei sunt irae Dei et morti aeternae obnoxii.

XI. Efficiens hujus peccati causa est primorum parentum lapsus, quo justo Dei judicio reatus et pravitas naturae attracta est, et in totam posteritatem transfusa. Quia enim in paradiso duplicem Adam gerebat personam, cum suam ipsius, tum totius posteritatis cujus sustinebat massam; etiam peccatum ejus geminum habuit respectum, tum ad ipsum, et sic erat personalis et actualis ipsius transgressio, non proprie originalis sed originans, seu originem praebens omnibus aliis et peccatorum effectibus, tum ad totum posteritatis genus, quod in lumbis

ejus latens una peccabat, ut Levi decimatus fuit, dum esset in lumbis Abrahami patris sui, Hebr. 7, 8. et 9., et ita fuit universalis culpa seu peccatum universale et naturae totius vel speciei, in omnes homines generatione derivandum, ad quos in Adamo sententia illa directa fuerat, Quacunque die comederis de fructu, etc. morte morieris, Gen. 2, 17.

XII. Qua ratione etiam peccatum illud est quodammodo voluntarium. Etsi enim infantes propriae voluntatis usum nullum habeant, voluntarium tamen etiam in illis dicitur peccatum originale, voluntate primi parentis; ex qua tamquam efficiente causa, malum hoc in posteros propagatum est, velut a radice et origine, qua factum est, ut voluntas singulorum, cum primum incipit esse, inficiatur vitio pravae concupiscentiae, a quo mala, perversa, et a Deo aversa dicitur. Quam utramque voluntarii rationem breviter complectitur Augustinus, dum ait, peccatum originale non absurde vocari voluntarium, quia ex prima hominis mala voluntate contractum, factum est quodammodo haereditarium, Lib. 1. Retract. c. 13., sumpta nempe ratione voluntarii communiter, secundum voluntatem primi principii alicujus totius, sive id fuerit individuum, sive specificum.

XIII. Quo sensu, peccatum illud non tantum esse contra legem, sed etiam lege fuisse prohibitum, dicendum est. Etsi enim infantes in se nullius praecepti capaces sint, ut objiciebat Pelagius, tenebantur tamen, etiam priusquam actu essent, aliquo praecepto; non quidem quod voluntate propria exsequi debuerint; sed quod debuerint ac potuerint adimplere voluntate communi generis humani, ut erat in Adam voluntas naturae seu speciei. Datum enim ipsi fuerat praeceptum ut principio generis humani, ut obedientia non solum personali, sed naturae totius, in ipso conservaret perfectionem illam, in cujus amissione, et contrariae corruptionis successione, consistit hoc de quo agimus, peccatum.

XIV. Cujus propagationis ratio hinc patet, quia non aliter potest intelligi nos in Adamo mortuos esse, quam quod ipse peccando, non sibi tantum cladem et ruinam ascivit, sed naturam quoque nostram in simile praecipitavit exitium. Et quia Dominus quas naturae nostrae collatas dotes voluit, apud ipsum deposuerat, ideo cum acceptas illas perdidit, non tantum sibi, sed nobis omnibus amisit, qui ratione communis naturae hu-

manae, omnes veluti unus ille homo eramus, ut scite August. Lib. 3. de Pecc. meritis, cap. 7.

XV. Non est autem necesse ad propagationem illam, animam ab Adamo per traducem derivari, vel a corpore tamquam vase corrupto vitiari, ut videmus pomum vel florem, aut aliud ejusmodi, infici tetro odore ejus corporis quo continetur, quia haec contagio in substantia carnis aut animae causam non habet, sed sufficit, si homo, cujus pars est anima, sit ab Adamo; quod verum est, etsi anima non sit de substantia parentis. Homo enim vere et proprie dicitur hominem generare, quia generatio terminatur ad productionem compositi. Et licet anima rationalis non educatur de potentia in actum, virtute generationis, propagatur tamen corpus illi proportionatum, ex quorum unione resultat humana natura; propter quod dicitur humana natura cum semine propagari, non per effectivam productionem animae sed per convenientem et proportionatam materiae dispositionem, ad quam ita dispositam, infallibiliter anima consequitur. Sufficit enim ut ratione ultimarum dispositionum quas homo generans inducit, censeatur vere hominem generare.

XVI. Ex dictis certum est, hoc peccatum in homines non transiisse per imitationem, sed per propagationem. Quod etiam hac probatur ratione, quod imitatio proprie non sit cujusque rei similis, sed ejus dumtaxat quam quis cognovit et suo facto exprimendam sibi et effingendam proposuit. Quare, cum ex posteritate Adami sint fuerintque plurimi, quibus de primo homine ejusque transgressione nihil auditum nihilque omnino sit cognitum; consequens foret, in eos, etsi gravissimos peccatores, peccatum per primum hominem non transiisse, contra universalem Apostoli sententiam. Si autem imitatio extendatur ad eos qui similia peccata perpetrarunt, etiam incognita, potius dixisset Apostolus, per Diabolum peccatum intrasse in mundum, quam per unum hominem; cum imitationis ratione, filii Diaboli dicantur homines mali, et primus ille peccaverit.

XVII. Hic frustra se torquent qui quaestiones movent et curiose rimantur, quid muliere sola vel viro solo labente futurum fuisset? Cum enim uterque in peccatum lapsus sit, nec de eo quod alias, ex suppositione ejus quod non est, eventurum fuisset, quicquam in Scriptura habeatur, praestat *μὴ ὑπερφρονεῖν παρ' ὃ δεῖ φρονεῖν*, et non definire cum discrimine, quae

sine crimine nesciuntur. In quaestione vero, an ab Adamo tantum, an etiam ab Eva derivetur in posteros peccatum, existimamus vere responderi posse, ab Adamo potissimum tamquam a capite et principio generationis activo, eoque capite generis humani, non tantum naturali et politico modo, sed in iis etiam quae ad supernaturalia gratiae dona felicitatemque spectant, supernaturali, procedere; ut quod fecit, id nos omnes fecisse censeamur. Sed quia generatio non sine muliere perficitur ex ordine naturae, et uterque parens labe illa et tabe maculatus fuit, Evae quoque in ea propagatione mali, suas partes, saltem secundarias, tribuimus.

XVIII. Cum autem Dominus noster Jesus Christus homo factus, licet materiam corporis sui ex beata Virgine ab Adamo descendente susceperit, corpus tamen non assumpserit formatum activa seminis virtute, sed vi Spiritus Sancti, qui materiam illam disposuit et sanctificavit; hinc factum est, ut peccatum originale non contraxerit, ut talis esset, qualis nos decebat Pontifex, sanctus, sine vitio, sine labe, segregatus a peccatoribus, et sublimior coelis factus, Hebr. 7. 26.

XIX. Hic miraculosus conceptionis modus cum sit Christo proprius, et hominum nemini praeter eum contigerit, neminem etiam alium a peccati originalis labe eximimus, ne eximiam quidem ac beatam Virginem Θεοτόκον, quam cum Epiphanio censemus, non genitam esse praeter hominum naturam, sed sicut omnes ex semine viri, et ex utero mulieris, contra Collyrid. Haeres. 79. ac proinde communi legi fuisse obnoxiam, cum opus habuerit Redemptore Christo, quem servatorem suum agnovit, Luc. 1, 47. aerumnis et tandem morti corporis obnoxia fuerit, et inter OMNES illos reperiatur qui in Adamo peccaverunt, et qui mortui sunt omnes, pro quibus omnibus mortuus est Christus, Rom. 5, 12. 2 Cor. 5, 15.

XX. Cum id de B. Virgine, citra ejus contumeliam sentiamus, absit ut cuipiam alteri hoc privilegium communicemus, quod vel concipiatur vel nascatur sine originali peccato. Id tamen calumniosissime nostris affingunt Pontificii et Pseudo-Lutherani, quasi docerent nullos filios fidelium peccatum hoc contrahere, etsi contrarium saepissime asserant quibus id affingitur. Con-

sequentia autem, quam nectunt eo quod filios fidelium in foedere censere docemus, qui propterea sancti dicuntur et sunt, futilis est et captiosa; nec enim sequitur, si reatus peccati ipsis remittatur per gratiam, peccatum eos non contraxisse per naturam. Adde, quod externa illa in foedere recensio et sanctificatio, etsi aliquam societatem cum ecclesia inferat, et in interna sanctificatione bene sperare nos jubeat ex probabili quodam indicio divinae benevolentiae, non tamen certam fidem facit verae justificationis et regenerationis omnium et singulorum qui ex piis parentibus originem ducunt, cum habeat Deus sua particularia judicia ipsi relinquenda.

XXI. Alioqui si naturam spectemus, credimus, hominem etiam regenitum, prolem generare non secundum quod regenitus est, sed secundum carnem, ideo prolem nasci peccatricem; quemadmodum ex parente circumciso, generari potuit filius cum praeputio, et ex grano purgato, granum cum gluma, quia non generatio, sed regeneratio, facit Christianos, et a peccatis nemo nascendo, sed renascendo mundatur. Adde, quod nostra sententia, peccatum illud in regenitis ex parte remaneat, etsi reatus sublatus sit, ut infra dicetur.

XXII. Et haec quidem de materia peccati originalis, quae subjecti κατηγορίας rationem habet communiter sumpta, quae in definitione his verbis comprehendebatur, omnium hominum naturali modo ab Adamo propagatorum. Subjectum autem ὑπάρξεως vel inhaesionis, quando peccatum hoc consideratur non respectu totius speciei de qua praedicatur, sed individui, cui agnascitur et inhaeret; est non solum hominis corpus, neque sola anima, sed corpus et anima simul, adeoque homo totus quantus, secundum omnes corporis et animae facultates, secundum se totum, et totum sui: ita tamen ut anima praecipue subjectum sit, tamquam principium actus, corpus vero qua instrumentum quo agit. Hinc est quod in Scriptura describitur per coecitatem mentis, malitiam cordis, ἀχρηστίαν corporis et omnium membrorum, 1 Cor. 2, 14. Eph. 4, 18. Gen. 6, 5. et 8, 21. Jer. 17, 9. Ps. 14, 2. 3. Rom. 3, 12. et 6, 12. 13. et 19. Joh. 3, 5.

XXIII. Nec tamen propterea sequitur, esse substantiam vel substantialem imaginem diaboli in homine, aut ipsam animam, aut ipsum cor hominis. Non est enim peccatum οὐσιῶδές τι καὶ

αὐτοσύστατον, sed παρακείμενον καὶ ἐνοικοῦν καὶ εὐπερίστατον, Rom. 7, 20. 21. Heb. 12, 1. Quod in homine haeret velut accidens in subjecto; quae etsi in homine corrupto non sint divellenda, distinguenda tamen asserimus. Nam substantiarum omnium Creator Deus est, peccatum autem neque a Deo creatum est, neque omnino creatura aut essentia est. Et Adamus post peccatum eandem naturae suae essentiam retinuit quam ante habuit, idemque homo fuit. Nostra autem essentia neque peccato, neque gratia, in aliam mutatur essentiam, etiamsi vel inficiatur malo, vel perficiatur bono.

XXIV. Forma peccati originalis consistit in ἀνομίᾳ illa et inobedientia, qua cum Adamo peccaverunt omnes qui in eo fuerunt secundum rationem, ut vocant, seminalem; quae inobedientia et culpa cum reatu consequente, juste a Deo judice omnibus Adami filiis imputatur, quatenus omnes fuerunt et sunt unus cum eo. Si vero consideretur id quod in homine post actum remanet et veram peccati rationem habet, unde proprie et formaliter homo dicitur peccator, nihil est aliud quam depravatio illa et deformitas totius humanae naturae, qua, conformitate cum Deo amissa, labes et foedissima omnium hominis partium corruptio, successit.

XXV. Non igitur significanter satis vim hujus peccati expresserunt, qui eam tantum in justitiae originalis carentia constituerunt; quia per illud, natura nostra non tantum boni inops est, sed etiam malorum omnium adeo fertilis et ferax, ut otiosa esse non possit. Itaque corruptionis hujus duas partes cum Scriptura agnoscimus, nempe defectum et privationem boni, et pravam ad malum inclinationem; cum praeter ignorantiam in mente, et aversionem a Deo in corde, haereat in omnibus pronitas ad sapiendum et faciendum ea quae lege Dei prohibentur. Hinc quidam e nostris, fomitem peccati non esse absque actuali peccato, imo peccatum actuale esse dixerunt; quod ἀκύρως quidem dictum, in calumniam tamen non debuit ab adversariis trahi, cum nihil aliud voluerint quam peccatum hoc et esse actu, et actuosum etiam et operosum, ut ne in parvulis quidem quiescat, quin vitiosos motus excitet.

XXVI. Scriptura certe quoties peccatum originale nobis insinuat, non meram privationem, sed aliquid quodammodo positivum, id est, affirmativum, solet inculcare, nimirum tale vitium

quo caro concupiscit adversus spiritum, id est, per quod homo ad malum pronus, et divinae legi contrarius fit, ut Rom. 6, 12. Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus. Quae verba indicant, concupiscentiam quandam habitualem esse in homine, cujus proprii actus sunt concupiscentiae actuales, quod malum habituale Apostolus peccatum appellat: Occasione, inquit, accepta peccatum per mandatum, operatum est in me omnem concupiscentiam, id est, omne genus pravorum desideriorum, tamquam proprios suos actus, Rom. 7, 8.

XXVII. Ex quibus et similibus apparet, quod etsi non sit negandum, peccatum originale esse carentiam justitiae sive rectitudinis, quae unicuique nascenti inesse deberet, plenius tamen ejus rationem exprimi, nomine pravae inclinationis, vel proclivitatis ad omne malum, quam privationis. Nam privationis proprie non sunt actus aliqui, quos tamen Scriptura passim peccato originali tribuit.

XXVIII. Idem ratione confirmari potest. Nemo enim avertit se a bono quopiam, nisi ductus cupiditate ac desiderio apparentis alterius boni, quod cum priori non consistit. Quod ergo in actibus veritatem habet, idem et in vitio habituali in prima nativitate contracto, conformiter intelligendum est. Ideo enim nascimur aversi ab incommutabili bono, quia nascimur curvi et inclinati ad bona commutabilia. Quo utroque malo, tam aversionis, quam conversionis Augustinus definivit peccatum in genere, esse aversionem a bono praestantiori, et conversionem indebitam ad minus bonum; illud autem minus bonum est revera morale malum, quatenus ad id homo convertitur, aversus a Deo, Quaestione 2. ad Simplicium.

XXIX. Hinc est quod ex sanioribus Scholasticis nonnulli agnoscunt, peccatum originale esse quandam inordinatam dispositionem et σύρραξιν, provenientem ex dissolutione illius harmoniae, in qua consistebat ratio originalis justitiae; exemplum afferentes aegritudinis et morborum, in quibus est aliquid privativum, quatenus tollitur aequalitas sanitatis, et aliquid positivum, nempe humores inordinate dispositi. Sic sentiunt originale peccatum habere privationem originalis justitiae, et cum hac inordinatam dispositionem partium animae, ac proinde non esse privationem puram, sed quendam habitum corruptum. Ita

Thomas 1, 2. q. 82. art. 1. Et Cajetanus ibidem affirmat, privationem puram dare solam negationem in subjecto apto nato; corruptionem vero, addere aliquod positivum contrarium, in quo privatio fundatur.

XXX. Hunc corruptum habitum qui concupiscentiam dixerunt, late sumpto vocabulo in generali significatione, cum Scriptura locuti sunt; quae carnis et concupiscentiae nomine, quam ut malam et vitiosam insectatur, non intelligit appetitum in genere, ut rationem simul et sensitivum complectitur, neque sensitivum in specie, neque eum qui peculiariter concupiscibilis appellatur, neque omnino naturalem aliquam facultatem, aut conditionem humanae naturae per se. Haec enim in Adam fuerunt initio creationis, et a Christo una cum naturae humanae veritate assumpta sunt. Sed vitium naturae, quod per peccatum in eam subintravit, et culpabiliter (ut ita loquar) infecit.

XXXI. Versatur autem circa ea omnia quae male et inordinate ab homine expeti possunt. Unde cum dixisset Apostolus, Gal. 5, 17. Carnem concupiscere adversus spiritum, ut ostenderet quam late pateat talis concupiscentia, subjecit catalogum aliquot operum carnis, inter quae non tantum fornicationem, immunditiam etc. enumerat, quae per appetitum sensitivum committuntur, et peculiariter carnalia peccata dicuntur; verum etiam veneficia, inimicitias, contentiones, homicidia, sectas seu haereses et ejusmodi, quae solent spiritualia peccata appellari. Carnis ergo et concupiscentiae nomine Apostolus significavit vitium incitans ad omne peccatum, unde etiam Corinthios carnales esse probat, ex eo quod contentiones et aemulationes essent inter ipsos, 1 Cor. 3, 3. Et omne genus peccati a concupiscentia procedere, satis idem significat, cum de ea ipsa loquens, ait: Peccatum operatum esse in se per mandatum omnem concupiscentiam, Rom. 7, 8. ut intelligamus quam late mandatum patet in prohibendo, tam late patere concupiscentiam in appetendo.

XXXII. Hunc generalem vocabuli concupiscentiae sensum, agnovit multis in locis Augustinus praesertim de Civ. Dei, Lib. 14. cap. 3. cum videret vitia quae in Diabolo tenent principatum, Apostolum carni tribuere quam certum est Diabolum non habere; superbiam tamen quae omnium horum

vitiorum est origo, in Diabolo regnare. Nec ausus est ipse Bellarminus, De amiss. grat. et stat. peccati, Lib 5. cap. 15. negare, etiam in animae parte superiore simile vitium inveniri; imo concupiscentiae vim etiam in mente sedem habere. Qua concupiscentiae acceptione probata, ut quicquid in homine est, ab intellectu ad voluntatem, ab anima ad carnem usque, ea inquinatum refertumque esse intelligatur, peccatum originale concupiscentiam dici posse et esse, affirmamus; cujus etiam concupiscentiae genus, non regere ratione, sed omnino exstirpare oportet, qua uti recte non possumus, sed cui semper resistere debemus, quae non poena modo est, inflicta per peccatum, sed verae culpae propriam semper habet rationem. Nihil boni agitur de ipsa, nihil boni agit ipsa, nihil boni concupiscitur ex ea, sed et malum est quicquid concupiscitur per ipsam, Augustinus contra Jul. L. 4. c. 1. et 2.

XXXIII. Nec audiendi sunt, qui in eo Pelagium damnantes quod talem concupiscentiam a Deo esse insitam dicebat, tamquam bonum aliquod naturale, fatentur quidem eam ad peccatum sollicitare, non tantum suggerendo quod malum est, quomodo sollicitat Diabolus, nec per accidens aut occasionaliter, quomodo vinum et forma mulieris ad intemperiem vel gulae vel Veneris, sed per se, et suapte natura, et proprio suo actu; proinde non esse amandam, sed odio habendam tamquam vitium, nos abducens et avertens ab eo, quod summe amandum est. Non esse tamen peccatum proprie dictum, audent asserere; ne in non renatis quidem, nisi ratione vel actus primi peccati imputati, vel effectus sui, cum in actuale peccatum prorumpit.

XXXIV. Quo semel posito fundamento, non mirum est, si non solum concupiscentiam in renatis, quatenus pro habitu sumitur, veri nominis peccatum esse negent, sed etiam id de ipsius actu affirment, et primis ejus moribus, quos involuntarios vocant; quia reatus in ipsis ablatus est et dominium concupiscentiae sublatum. Quare nec reprehensionem nec poenam mereri, qui concupiscentiam et pravas illas motiones sentiunt; cum in ipsis non sint voluntariae, ac proinde nec peccata sint.

XXXV. Nos vero cum Scriptura, non solum in non renatis depravationem illam naturae et concupiscentiam, veri nominis peccatum esse asserimus, sed etiam in renatis et sanctis quam-

diu in corpore mortis hujus habitant, inhabitans peccatum, etsi non regnet, etsi reatus ejus ita sublatum sit ut a Deo ipsis non imputetur, etsi extenuatum sit et imminutum, accedente regenerationis gratia, esse tamen in se proprie dictum peccatum, idque non remanere tantum in appetitu sensitivo et parte animae inferiori, sed etiam in mente et voluntate ex parte sedem habere; cum adhuc ignorantiae, dubitationibus et erroribus mens sit obnoxia, et voluntas φιλαυτίᾳ laboret, ut opus sit, etiam renatis, reformatione per regenerationem mentis suae, renovatione spiritus mentis suae et interioris hominis de die in diem, Rom. 12, 2. 2 Cor. 4, 16. Eph. 4, 23.

XXXVI. Certe Apostolus non semel cap. 7. Epist. ad Rom. malum illud deserte peccatum vocat, non tantum quia ex peccato est, et ad peccatum inclinat, sed etiam quia repugnat legi mentis, et adversus spiritum concupiscit, qua in re consistit vera peccati ratio. Nam quicquid repugnat formaliter spiritui et legi divinae, est peccatum proprie dictum, cum vera peccati ratio in ἀνομίᾳ consistat. Nec adversarii negant, remanere in baptisatis carentiam originalis justitiae, quae si vere peccatum sit, naturam non mutavit ubicunque reperitur; neque enim dimissio reatus facit de peccato non peccatum, quia homo a reatu solvitur proprie, non peccatum in se consideratum, nec amittit rationem peccati, eo quod minuatur, quia magis et minus non mutant speciem, etsi graduum inferant discrimen. Denique si poena tantum esset, nec peccati rationem haberet, non diceret Johannes, concupiscentiam non esse ex Patre, 1 Joh. 2, 16. a quo poenam esse constat. Et Christus qui omnes naturae nostrae infirmitates, excepto peccato, suscepit, Hebr. 4, 15. concupiscentiam assumpsisset, praesertim cum eam esse materiam exercendarum virtutum, et pertinere ad humanae naturae primam constitutionem, cum Pelagio sentiant adversarii. Vide Dom. Sot. Lib. 1. de Nat. et grat. cap. 3. Tapper. art. 2. et Bellar. Lib. 2. de Amiss. grat. cap. 2.

XXXVII. Hactenus de forma peccati originalis. Jam de fine dicendum esset; sed quia secundum se respectu hominis in quo est, finem non habet, effecta et consequentia, loco finis, solent considerari. Primum est Reatus, quo nomine intelligitur obligatio ad poenam, sive vinculum illud inter peccatum et oenamp

quasi medium interjectum, quo peccator ad subeundam poenam, et quamdiu durat reatus, ad poenae quam subit, durationem, arctissime obligatur.

XXXVIII. Hinc sequitur poena, quae alia temporalis est, alia aeterna. Ad temporalem pertinent mors corporis, aliaeque hujus mortalitatis aerumnae atque miseriae, quibus homo factus ὀλιγόβιος, et satur commotione, ut flos simul ac egressus est, succiditur, Job. 14, 2. juxta illud Apostoli, per peccatum mors. In Adam omnes moriuntur, Corpus mortuum propter peccatum, Rom. 5, 12. 1 Cor. 15, 21. Rom. 8, 10. Mors enim, morbi et omnes res adversae ex peccato fluunt, a quibus non liberantur renati in hac vita, ne infantes quidem recens baptisati, qui ad ostensionem debitae miseriae, etiam mortem primam subeunt, quod indicium certum est, in iis adhuc remanere peccatum, etsi reatus aeternae mortis foederatis sit remissus.

XXXIX. Meretur autem per se, non tantum mortem illam temporalem, aut corporis, sed praeterea poenam aeternam, cujus rei sunt omnes qui sine remissione, cum hoc peccato de hac vita decedunt; quae novissima et secunda mors appellari solet, quae non tantum est poena damni, ut loquuntur, et ἀηδονίας, sed sensus etiam et λύπης, ut cum gaudii vacuitate, dolorem et ignominiam importet. Neque enim possunt qui aeterna felicitate privantur, non sentire gravissimum illud damnum, quod secum affert perpetuum a regno coelorum exilium; et cum salvandi, non solum adulti, sed etiam qui in infantia mortui sunt, fruituri sint visione Dei cum pleno sensu gaudii et felicitatis, contrarius status esse non potest sine dolore corporis et animi. Qua in re tamen, ut peccatorum inaequalitatem, sic etiam poenarum et suppliciorum intensiores vel remissiores gradus agnoscimus, quod justi judicis arbitrio relinquimus.

XL. Usus hujus doctrinae est, ut agnoscentes miseriam nostram, qua ab ipso ortu peccato infecti et immunditie polluti, a Deo abalienati sumus, omni arrogantia et praesumptione abjecta, cum vera humilitate ad Christum propitiatorem confugiamus, et cum ipsa generatio nostra vitio sit contaminata, regenerationis nostrae auctorem secundum Adamum, cum gratitudine agnoscamus; ex quo justitia fidei in nos per imputationem derivatur, et nova obedientia per sanctificationem et

renovationem inchoatur; ut quod in primo amisimus, in secundo hoc, cum usura, tandem plene recuperemus et interea e manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus ipsi cum sanctitate et justitia in ejus conspectu, cunctis vitae nostrae diebus, Luc. 1, 74. et 75. Ipsi honor et gloria.

August. de Pecc. orig. cap. 29.

Quisquis contendit, humanam in qualibet aetate naturam, non indigere medico secundo Adam, quia non est vitiata primo Adam; non in aliqua quaestione in qua dubitari vel errari salva fide potest, sed ipsa regula fidei qua Christiani sumus, gratiae Dei convincitur inimicus.

Bernard. serm. 1. super Dom. 1. post. 8. Epiphan.

Aliena est culpa, quia in Adam omnes nescientes peccavimus; nostra, quia etsi in alio, nos tamen peccavimus, et nobis justo Dei judicio imputabatur, licet occulto.

DISPUTATIO XVI.

DE

Peccato Actuali.

Praeside D. ANTONIO WALAEO.

Respondente LAEVINO COOLMAN.

THESIS I.

QUANDOQUIDEM de primo primorum Parentum lapsu, atque inde exorto peccato originali, praecedentibus disputationibus actum fuit; reliquum jam est, ut de actuali peccato agamus. Cujus primo naturam, deinde vero causas et genera breviter examinabimus.

II. Peccare, sicut et Graecis ἁμαρτάνειν et Hebraeis חטה, proprie a via vel scopo aberrare; in hac vero materia, a divinae legis praescripto declinare significat.

III. Peccatum actuale ex Augustino, Lib. 22. contra Faustum, cap. 27. definiri solet, factum, dictum aut concupitum aliquid contra legem aeternam. Quae definitio tolerari potest, si ad plenam enumerationem vox cogitati addatur, et vox concupiti tam de concupiscentia voluntatis, quam affectuum intelligatur.

IV. Plenior tamen definitio a nostris traditur, quod sit actio contra legem Dei, Deum offendens, et peccatorem reum faciens irae Dei et mortis, nisi remissio fiat propter Christum mediatorem.

V. Definitio haec elicitur ex 1 Joh. 3, 4. ἡ ἁμαρτία ἐστὶν ἡ ἀνομία, peccatum est legis transgressio, et ex dicto Pauli, Gal. 3, 10. Maledictus omnis, qui non manserit in omnibus, quae scripta sunt in libro legis ut faciat ea, et vers. 13. Christus nos redemit a maledictione legis, factus pro nobis maledictio.

VI. Ex qua definitione manifestum est, propriam naturam et formam hujus peccati consistere, in absentia seu forma rectitudinis et sanctitatis, quae secundum Dei legem actionibus nostris tam internis quam externis inesse debet; unde et non male August. Lib. 11. de Civit. Dei, cap. 9. mali nulla natura est, sed amissio boni mali nomen accepit.

VII. Quando ergo a nonnullis Reformatae Ecclesiae scriptoribus asseritur, malum non esse meram privationem, id non sic intelligendum est, quasi malum per se aliquam vere positivam naturam habeat seu metaphysicam; cum omne ens tale, bonum sit, et a solo Deo omnis boni auctore, nam in eo vivimus, movemur et sumus, Act. 17, 28. sed hoc ab illis intelligitur, de privatione inefficaci atque otiosa; quales sunt privationes quae potentiam absolute auferunt, ut caecitas visum.

VIII. Peccatum vero actuosa privatio est, qua principium agens, atque ipsa actio ex eo profecta, privatur sola rectitudine, cum principii ipsius corruptione, non ablatione; qualis est luxatio cruris, a quo motus non aufertur, sed motus ordinatio et rectitudo. Unde fit ut peccatum non tantum negative, sed et affirmative enuncietur a Scriptura, et efficacia illi tribuatur,

sanctitati ac justitiae contraria atque inimica, Rom. 8, 7. Gal. 5, 17. quia motus ille atque actio, cui privatio illa inhaeret, ex vi privationis inhaerentis, adversatur motui atque actioni sanctae et justae, ac proinde et Dei legi.

IX. Subjectum autem proximum hujus de quo agimus, peccati quod Scholastici materiale vocant, est res seu actio physice bona, cui privatio illa, tamquam moralis forma, vel potius deformitas, cohaeret; unde fit ut non tantum ipsa vitiositas, sed et actio tota cum vitiositate conjuncta, denominative, ut loquuntur in Scholis, peccatum et malum appelletur.

X. Ad actuale peccatum hic a nobis refertur non tantum commissio acti pravi, sed etiam omissio actus boni; quia ejusmodi omissio circa actus ipsos versatur, et quia raro, nisi ex actione mala, actus boni omittuntur; sive voluntas intra se omissionem illam intendat, sive interim occupetur actionibus aliis vitiosis, quae cum actibus illis praeceptis consistere non possunt, nemo enim potest duobus Dominis servire, etc. neque Deo simul et Mammonae, Matth. 6, 24.

XI. Differentia tamen aliqua est, inter privationem illam, quae est in peccato omissionis et commissionis; quia in peccato omissionis est totius actus debiti omissio, sicuti Christus, Matth. 25, 42. dicturus est, esurivi et non cibastis me, sitivi et non potastis me; sed in peccatis commissionis est privatio ordinis seu rectitudinis, in ejusmodi actu secundum Dei legem requisitae.

XII. Haec autem rectitudinis atque ordinis privatio, vel est respectu substantiae et materiae actus, vel respectu modi, quo is actus a lege praecipitur.

XIII. Respectu substantiae seu materiae, quando committitur id, quod Dei lege expresse vetatur, ut, si homo colat Deos alienos, contra praeceptum primum; si adulteretur, contra praeceptum septimum, etc. Respectu modi, quando res quidem fit quae Dei lege praecipitur aut permittitur, sed non eo modo quo praecipitur aut permittitur; quorum illa peccata per se, haec vero peccata per accidens, etsi non satis proprie, a nonnullis vocantur, quia modus ille non minus in legis sententia (quae spiritualis est, Rom. 7, 14.) continetur, quam res et actio ipsa praecepta.

XIV. Modi autem hi ad haec tria genera revocari possunt;

ad principium actus, ad finem, et ad circumstantias alias medias.

XV. Ad principium, ut si res a Deo praecepta, quidem fiat, sed non ex fide vera, aut corde puro, sicut Paulus loquitur, 1 Tim. 1, 5. Finis legis est caritas, ex corde puro, conscientia bona et fide non ficta. Hac conditione destituta fuerunt opera illa de quibus idem Apostolus, Rom. 2, 14. dicit, quod gentes legem non habentes, tamen quae legis sunt, fecerint.

XVI. Ex fine non recto actio alioquin praecepta, fit vitiosa, cum Pharisaei jejunarunt, orarunt, eleemosynas dederunt, ut gloriam ab hominibus aucuparentur, Matth. 6, 1. unde Apostolus Paulus, 1 Cor. 10, 31. monet, ut sive edamus, sive bibamus, sive quippiam aliud faciamus, omnia ad Dei gloriam faciamus.

XVII. Ex vitiosis quoque circumstantiis actio per se licita et bona, mali naturam induit, ut cum filii Aharon ignem alienum intulerunt in altare Domini, Levit. 10, 1. Cum Chusa manus contrectatione arcam a lapsu conservare voluit, 2 Sam. 6, 6. Quum Israëlitae Deo vero sacrificarunt in excelsis, 2 Reg. 12. 3. Quando fideles libertate Christiana utuntur cum infirmorum scandalo, Rom. 14, 20. Et ceteris similibus, quarum diligens ratio in observatione divinorum praeceptorum est habenda.

XVIII. Quemadmodum ergo actio bona non nisi ex omnium illarum conditionum conjunctione nascitur, sic contra actio vitiosa ex defectu vel unius istarum oriri potest, sicuti exempla thesi antecedenti proposita demonstrant.

XIX. Ad peccati naturam plenius cognoscendam, cognitio propriorum ejus effectuum plurimum facit.

XX. Effectus peccati (seu, ut alii malunt, proprium consequens) duplex est, proximus et remotus; proximus appellatur reatus, remotus vero peccati poena.

XXI. Reatus (quem Scholastici quidam, sed perperam, formale peccati vocant, cum unius rei tantum una sit forma) est relativum quid, inter peccatum et poenam medium, nempe respectus ille quo peccator per peccatum suum a Deo avertitur et ad poenam obligatur atque ordinatur; quem S. Scriptura peccati stipendium, Rom. 6, 23. aculeum mortis, 1 Cor. 15, 56. item maledictionem, Gal. 3, 10. appellat.

XXII. Reatus ille non male a quibusdam, in omni peccato ac proinde et actuali, duplex constituitur, nempe culpae et poenae. Reatus culpae est ipsa interna peccati indignitas seu damnabilitas, qua peccator ex se Dei amore et favore fit indignus, quemadmodum ex Ps. 5, 5. Es. 59, 2. et aliis locis Scripturae videre est. Reatus poenae est ipsa ad hunc aut illum poenae gradum actualis ordinatio atque obligatio.

XXIII. Posterior per remissionem peccatorum et imputationem justitiae Christi in regenitis et fidelibus plane tollitur. Prior vero, qui in reliquiis carnis ipsorum adhuc haeret, per justitiam et sanctitatem Christi quidem tegitur, et impeditur quo minus ulteriores suos effectus producat, ab ipso tamen peccato non nisi cum ipso peccato tolli potest, non magis quam calor ab igne, aut risibile ab homine.

XXIV. Quamobrem et Apostolus Paulus, Rom. 8, 1. asserit quidem, nullam nunc esse condemnationem iis qui sunt in Christo Jesu, qui non ambulant secundum carnem, sed secundum Spiritum; non tamen ait nihil in iis esse condemnabile, contra vero testatur S. Scriptura, fideles si in se solis respiciantur prout actu sunt, non posse coram Deo aut ejus judicio justos esse aut consistere, Hiob 9, 2. Ps. 130, 3. item 143, 2. Dan. 9, 7. 9. 10. et ad Rom. 4, 1. et sequentibus.

XXV. Poena peccatis debita est duplex, vel damni vel sensus. Poenam damni hic vocamus (etsi quidam hanc vocem paulo aliter sumant) noxam illam, quam anima peccatrix ex peccati actu intrinsecus contrahit, nempe ablationem majorem aut minorem divinae gratiae, prout peccati indignitas vel major vel minor est; item maculam, ut vocant, et labem, quae ex illa aversione in anima haeret; quemadmodum eo referri potest quod Christus Mat. 15, 11. ait: non quod intrat in os, sed quod exit ex ore, illud κοινοῖ, profanum vel impurum reddit hominem; item quod Apostolus Rom. 1, 24. testatur, quod Deus illos, qui mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, tradiderit concupiscentiis cordium suorum ad impuritatem.

XXVI. Poena sensus partim in conscientiae angoribus consistit, partim in aliis cruciatibus animi, aut corporis; quos vel

in hac vita vel in futura homines impoenitentes sunt experturi. Ira enim et excandescentia, afflictio et angustia adversus omnem animam hominis, qui malum operatur, Rom. 2, 8. 9.

XXVII. Nec vero tantum temporarias, sed et aeternas poenas peccatum meretur, quemadmodum Christus Mat. 25, 41. denunciabit: Ite maledicti in ignem aeternum. Et sane justum est, ut peccata quae adversus Dei summam majestatem committuntur, summis etiam poenis luantur, quas intensive simul et semel Mediator noster in cruce ut nos ab iis liberaret, nostro loco exhausit; cum vero ceterae nudae creaturae intensive infinitas sufferre non possint, aequum est ut extensive summas, id est, duratione infinitas, eorum loco perferant.

XXVIII. Adde quod peccata, quae per supernaturalem gratiam, ac poenitentiam veram nunquam abrumpuntur, etiam nunquam finiantur, unde et eorum poena nunquam finiri potest; et quum Deus obedientibus legi aeterna praemia sit pollicitus, justitiae divinae ratio etiam postulat, ut poena quae praemio aeterno opponitur, quoque sit aeterna.

XXIX. Natura peccati hoc modo satis explicata, restat ut de peccati actualis causis et generibus nonnulla subjungamus.

XXX. Causa peccati efficiens nec in Deo, nec in divina providentia proprie est quaerenda, nam omne quod Deus fecit, erat valde bonum, Gen. 1, 31. atque opus ejus perfectum est, et omnes viae ejus sunt jus, Deut. 32, 4. Imo nec ipse ad malum tentari potest, nec quenquam tentat, Jac. 1. 12.

XXXI. Fatemur quidem, omnia quae in mundo fiunt, etiam quae maximorum scelerum rationem habent, secundum Dei arcanam voluntatem et providentiam fieri, Act. 2, 23. et 3, 18. Sed tamen inde non sequitur, Deum ullo modo eorum culpae esse affinem, sicut Libertini blasphemant; quia Dei opus bonum a malo opere creaturae in eadem actione sedulo distinguendum est.

XXXII. Nam sicut Deus bonorum omnium causa effectrix est et ordinatrix, ita omnium malorum quae ex ejus permissione fiunt, proprie non effectrix, sed ordinatrix tantum causa est et moderatrix, sicut Josephus loquitur Gen. 50, 20. Vos quidem cogitaveratis contra me malum, sed Deus

cogitavit illud in bonum, ut faceret sicut est die hoc. Cui similis locus est Es. 10, 5. 6. 7., ac propter hanc moderationem atque directionem, hae quoque actiones pravae Deo in Scripturis ascribuntur, non ut causae effectrici, sed ordinatrici et moderatrici; scivit enim ad suam omnipotentissimam bonitatem potius pertinere, de malis bene facere, quam mala esse non sinere, ut scite et vere Augustinus dixit.

XXXIII. Peccati ergo hujus causa efficiens, seu potius deficiens, est prava hominum mens et voluntas. Sicut enim Christus Joh. 8, 44. testatur, Diabolum quando mendacium loquitur, ex propriis loqui, quia mendax est et pater mendacii, sic Apostolus asserit, Jac. 1, 14. Unumquemque tentari, cum a propria concupiscentia abstrahitur atque inescatur, et 1 Joh. 2. 16. Concupiscentiam carnis, libidinem oculorum et fastum vitae non esse ex Patre, sed ex mundo.

XXXIV. Causae vero adjuvantes προκαταρκτικαὶ et προηγούμεναι variae colligi possunt, tum extra nos, tum intra nos. Nam et unum peccatum saepe alterius est causa, Rom. 1, 14. etc. et Diaboli suggestiones, 1 Par. 21, 1. et mundi scandala, Mat. 18, 17. item caligo mentis, 1 Tim. 1. 13. infirmitas carnis, Mat. 26, 69. consuetudo peccandi, Rom. 2, 5. Atque aliae occasiones plurimae, quas Satan et mundus assiduo suggerunt; adversus quae omnia fidelibus sedulo semper orandum est et vigilandum.

XXXV. Genera peccatorum actualium ex variis circumstantiis varia constitui possunt et solent; nos iis recensendis contenti erimus quae difficultatem aliquam habent, et quorum discrimen ex iis quae a nobis hactenus dicta sunt, ita perspicue colligi non potest.

XXXVI. Peccatum actuale primo dividimus in internum et externum.

XXXVII. Internum, quod in mente, voluntate atque affectibus inordinatis subsistit, quales sunt errores et dubitationes mentis de Deo, ejus proprietatibus, aut Evangelii revelati doctrina. In voluntate et affectibus, primi concupiscentiae motus, licet spiritus adversus eos pugnet, eosque superet. Illos enim praecepto decimo directe repugnare asserimus, cum Apostolo

Rom. 7, 7. Eos vero quibus voluntas plenum consensum adjungit, etsi opere ipso non compleantur, reliquis praeceptis vetari demonstrat locus, Mat. 5, 22. et 28. item 1 Joh. 3, 15. Quicunque odit fratrem suum, homicida est, etc.

XXXVIII. Externum est, quod dictis et factis se foris ostendit, quod tamen sine internis antecedaneis non est; quemadmodum Apostolus Jacobus 1, 15. testatur, concupiscentia postquam concepit, parit peccatum, et peccatum per actum gignit mortem.

XXXIX. Utrumque rursum est vel regnans, vel non regnans; quae divisio sumitur ex Rom. 6, 14. et 17. Regnans definiri solet, cui homo non resistit per gratiam Spiritus, sed plena voluntate indulget et servit; non regnans contra, cui homo per gratiam Spiritus resistit et non indulget. Prius proprie in irregenitis, posterius vero in regenitis locum habet; quemadmodum ex continua disputatione Pauli ad Rom. 6. 7. et 8. capite hoc discrimen est perspicuum.

XL. Quaestio satis ardua, et tamen explicatu necessaria, hic movetur, quomodo peccatum regnans et non regnans per hanc resistentiam aut indulgentiam distinguatur; cum in homine naturali, et sub lege tantum constituto, pugna quoque sit rationis et affectuum, sicut omnes Philosophi testantur, et ipse Apostolus, Rom. 2, 15.

XLI. Sed respondemus, magnam esse differentiam inter pugnam et resistentiam illam spiritus et carnis, quae in solis regenitis locum habet; et inter resistentiam seu pugnam rationis et affectuum, quae in homine quoque animali reperitur. Discrimen vero hisce quatuor capitibus breviter comprehendimus.

XLII. Primum discrimen petitur ex 1 Cor. 2, 14. et aliis locis parallelis. Nam cum homo animalis non capiat ea quae sunt Spiritus Dei, sed ea ei sint stultitia, ut et Christus ipse crucifixus; in peccatis quae adversus ea ab ejusmodi homine committuntur, nulla est reluctatio rationis adversus affectus, sed ipsa ratio cum voluntate et affectibus pleno impetu illa reprobat, contemnit et saepe persequitur, ut Evangelica historia passim et ipsa experientia testatur.

XLIII. Secundum discrimen sumitur a modo, quo ipsa praecepta caritatis Dei et proximi, ut thesi 15. 16. et 17. explicatum est, exiguntur. Etsi enim opus legis etiam gentilium

cordibus inscriptum sit, et cogitationes eorum hic se mutuo accusent aut excusent, Rom. 2, 15. tamen cum verum principium et verus finis praeceptorum Dei eis ignotus fuerit, hinc necessario fit, ut ratio ipsorum cum affectibus in iis non modo non pugnet, sed potius conspiret.

XLIV. Tertium discrimen statuimus in effectu et fructu pugnae utriusque. Etsi enim homo irregenitus in quibusdam ductu rationis adversus affectus pravos pugnet; tamen quia et ipsa ejus ratio, in plurimis caeca, in omnibus infirma est, affectus vero, nisi speciali Dei auxilio refrenentur, vehementes et indomiti, hinc fit ut licet nonnunquam meliora videant, tamen fere deteriora sequantur, et ipsi affectus rationem ipsorum ut plurimum transversam agant; quemadmodum Apostolus testatur, Rom. 1, 32. et Eph. 2, 2. Quum contra in regenitis Spiritus carne sit fortior, et ejus plerumque victor, Rom. 6, 22. ac proinde non ambulant secundum carnem, sed secundum Spiritum, Rom. 8, 14.

XLV. Deinde etsi fideles in hoc certamine, vel ex sua negligentia, vel Dei singulari exploratione nonnunquam in singularibus quibusdam actibus superentur; tamen peccati suavitas et victoria per Spiritus, quem contristant, efficaciam, in ipso peccati actu multum labefactatur, et post peccatum perpetratum victi non manent, sed per veram poenitentiam ac dolorem secundum Deum denuo resurgunt, ac mundo, carni et Satanae deinceps gravius ac constantius bellum indicunt; ut ex Sanctorum, quorum lapsus Scriptura nobis describit, exemplis liquet. Quum contra homines infideles per peccata sua magis ac magis ei se mancipent, Joh. 8, 34. atque animam suam in desiderio ipsius dilaudent, Ps. 10, 3. aut si forte ex conscientiae angoribus ac poenae metu, ad tempus se humilient, metu eo evicto ad ingenium redeant, ut in exemplo Pharaonis, Saulis, Achabi et aliorum videre est.

XLVI. Et haec discrimina, vera sunt τεκμήρια, ex quibus vere fideles apud animum suum certi esse possunt, quod peccatum in ipsis non regnet, ac proinde quod Spiritu regenerationis agantur, et sint non sub lege, sed sub gratia.

XLVII. Tertia peccati divisio est in remissibile et irremissibile. Remissibile est quod veniam consequi potest, qualia omnia sunt, excepto peccato in Spiritum Sanctum, Mat. 12, 31.

Irremissibile est quod veniam consequi non potest, quia remedia omnia per quae venia obtinetur, pertinaciter repellit.

XLVIII. Remissibile a Pontificiis distinguitur in mortale et veniale. Veniale vocant quod mortem non meretur, sed propter parvitatem suam venia dignum est. Mortale, quod mortem meretur, et cum gratia Dei consistere non potest.

XLIX. Nos quidem fatemur peccata non esse aequalia, ac proinde per unum peccatum Dei justitiam gravius offendi quam per aliud, unde graviores poenas et conscientiae angores meretur; sed tamen negamus ullum peccatum ex sese esse venia dignum, aut non esse mortale, si propter Christum non condonetur.

L. Id demonstratur, 1. quia Sacra Scriptura de omni peccato pronunciat, quod ejus stipendium sit mors, Rom. 6, 23. quod mortis aculeus sit peccatum, 1 Cor. 15, 56. quod eorum finis seu fructus sit mors, Rom. 6, 16. 2. quia omne peccatum est contra legem, cujus violatio omnis maledictionem meretur, Gal. 3, 10. Peccatum autem omne esse contra legem, hinc evincitur, quia lex exigit caritatem ex toto corde, tota anima, et tota cogitatione, Mat. 22, 37., item quia omne peccatum est contra Deum, 1 Reg. 8, 46. et contra legem mentis, Rom. 7, 23.

LI. Demonstratur id quoque invicte ex typica remissione peccatorum V. Test. Nam non tantum pro gravioribus, sed et pro levioribus peccatis, nempe infirmitatis et ignorantiae, (quae Pontificii venialia esse volunt) sacrificia offerre cogebantur, ut ex Levit. 4, 5. etc. videre est. Sacrificia autem respiciebant unicum Christi sacrificium, per quod omnia peccata nostra expiata sunt, dum pro nobis factus est maledictio, ut nos a maledictione liberaret, Gal. 3, 13.

LII. Peccatum irremissibile est peccatum in Spiritum Sanctum. Etsi enim et impoenitentia finalis non remittatur, id fit ex accidenti, non quia reliqua peccata, de quibus poenitentia non agitur, in se sint irremissibilia, sed quia eorum cursus per fidem et poenitentiam non interrumpitur.

LIII. Definimus autem peccatum in Spiritum Sanctum, contemptum et oppugnationem malitiosam Christi, et gratiae Evangelicae per externum verbi auditum cognitae, et per Spiritum Sanctum intus persuasae; sive is sit in iis qui doctrinam Christi nondum sunt professi, quales fuerunt Pharisaei,

Mat. 12. sive professi sint et ab ea defecerint, de quibus Heb. 6. et 10.

LIV. Et hic est supremus peccati gradus, a quo Christus singulari misericordia vere fideles et regenitos servat, 1 Joh. 5, 18. Scimus enim quod omnis qui ex Deo genitus est, non peccat (nempe peccato ad mortem, pro cujus remissione rogari non debet, ut versibus antecedentibus pronunciavit) sed qui genitus est ex Deo, conservat seipsum, et malus ille non tangit eum.

DISPUTATIO XVII.

DE

Libero Arbitrio.

Praeside D. ANTONIO THYSIO.

Respondente JACOBO ADR. TETHRODIO.

THESIS I.

QUAMVIS secundum ordinem et seriem disputationum, agendum foret de Libero hominis Arbitrio, ejusque vi, quatenus consideratur a lapsu, attamen ut hoc ipsum tanto plenius percipiatur, communiter et cum respectu ad omnes status hominis de eo agemus.

II. Sejungimus ab hac disputatione cohaerentes quaestiones de infallibili divina Praescientia, moderatrice Providentia, efficaci Praedestinatione; itemque quae inde dependent, de rerum contingentia et necessitate, atque causa peccati. Sunt enim illae divinae actiones, et humano arbitrio extraneae; cum de viribus hic proprie agatur, homini divinitus concessis tributisque, et quid quantumque voluntas humana in se possit, non autem ut relate se habet ad Dei definitionem rectionemque.

III. Vox itaque liberi arbitrii Sacrae Scripturae *ἄγραφος*, a Patribus Latinis usurpata est, ad exprimendum illud, quod Philosophi, et eos secuti Theologi Graeci, *αὐτεξούσιον*, id est, eam quae a se ipso, seu propriam potestatem, *ἐλευθέραν προαίρεσιν*, liberam electionem, et *τὸ ἐφ' ἡμῖν*, quod in nobis seu

nostra potestate situm, vocant; quorum illud ab Academia, istud a Peripato, hoc a Stoa est.

IV. Ex his illa αὐτεξουσίου vox, quae ἀδέσποτον, quod nullius juri, imperio ac directioni subest, a nullo scil. pendens, in humana natura et fragilitate, quae voluntatis libertate ab obligatione et directione Dei nunquam est libera, sed ejus providentiae et gubernationi subjicitur, arrogantius quiddam notat; ac soli Deo haec juris libertas convenit. Quamvis Origenes in Dialogo cum Magetio inter αὐτεξούσιον et παντεξούσιον distinguat, ut illud etiam creaturae, hoc tantum Deo conveniat. At vero illud ipsum non nisi tropice et respectu quodam, nempe secundum participationem, creaturae tribui potest.

V. Potior et accommodatior hic vox est ἑκουσίου, id est, spontanei et voluntarii, quae quidem ἀκουσίῳ, coacto et invito, non simpliciter ἀναγκαίῳ, necessario, quod sese habet ad τὸ βίαιον, coactionem, ut genus ad speciem, opponitur. Gemina enim necessitas, immutabilitatis et coactionis; illa cum voluntario consistere potest, haec non potest. Ita Deus necessario et immutabiliter bonus est, ut qui ad contrarium se habere non potest, non tamen coacte, sed libere. Aliquando vero necessitas lubentiae et libentiae opponitur. Simile hic discrimen inter liberum et contingens; nam hoc illud comprehendit, ac genus est liberi ac fortuiti. Adeoque optime voluntati et libero arbitrio creaturae convenit cum praescientia et providentia Dei.

VI. Ut autem res Sacris Scripturis est tradita, ita etiam sua hic habet vocabula, dicitur enim θέλημα, voluntas, et ἐλευθερία, libertas, et voluntatis ἐξουσία, potestas, 1 Cor. 7, 36. 37. 39. Quin τὸ ἑκούσιον hic usurpatur 1 Cor. 9, 17. ad Philem. v. 14. Hebr. 10, 26. 1 Pet. 5, 2.

VII. Dum porro Liberum arbitrium dicitur, ibi libertas adjectum et affectio proprietasque est arbitrii, quod proprie juris et potestatis vocabulum est, unde sane non proprie denotat mentis judicium et libertatis voluntatem, ut volunt Scholastici, ita ut duae potentiae simul denotentur, neque potestatem liberam quidvis vel bonum vel malum faciendi, sed potius volendi et nolendi, seu eligendi et repudiandi; liberam, sine coactione, suo ac proprio motu facultatem.

VIII. Subjectum ergo liberi arbitrii proprie est voluntas, quamvis mentis consilium et judicium, ut necessario antecedens

praeferat (judicium enim rationis consequitur voluntas) et facultatem prosequendi et faciendi bonum vel malum, ut consequens inferat. Adeo ut si omnia haec complecti velimus, disputatio potius inscribenda fuerit de Viribus humanis.

IX. Objectum seu materia ejus sunt omnia quae in deliberationem et electionem, actionemque humanam cadunt, seu bona et mala, scilicet non physica quae appetuntur et fugiuntur naturali appetitu, sed quae mores actionesque spectant; aut ut pressius loquamur, idque in Ecclesia, lex et voluntas Dei, in verbo ejus expressa et postulata, ejus objectum est.

X. Unde distinctio oritur inter objecta. Alia enim spectant naturalem hanc vitam, seu quae vitae praesentis sunt, quae Apostolus τὰ βιωτικὰ vocat, ut edere, bibere, loco moveri, quiescere, etc. Alia vitam honestam et civilem, seu opera politica et domestica, ut familiam et rempublicam curare, et quae eo spectant, a qua justitia civilis et philosophica dicitur. Alia denique vitam spiritualem et religiosam, Deum, legem ejus, cujus rursus vel externa, vel interna opera sunt. Ab illis disciplina et justitia externa, seu carnis; ab his spiritualis justitia, ut motus et actiones spirituales, cultusque Dei internus, denominatur.

XI. Haec distinctio objectorum hic necessaria est, ut non confuse, sed distincte agatur; quam etiam adhibet auctor de Vocatione gentium, et alter qui sub nomine Augustini Hypognostici nomine venit.

XII. Quaeritur ergo, cum agitur de libero arbitrio in Ecclesia, qnomodo se habeat hominis voluntas, ipsiusque voluntatis facultas et actio ad haec objecta? Certe hic communiter respondemus, hominem omnia, quae vult et eligit agitque, non naturae necessitate, neque extrinseca vi coactum, invitum et involuntarium velle et agere, (natura enim, et violentia, et coactionis necessitas voluntati adversa est) sed praevio consilio, spontaneum, voluntarium et liberum (ita ut possit et idoneus sit, intrinseco principio voluntatem suspendere et electionem differre in alterutrum objectorum vel oppositum vel diversum) eligendo vel repudiando ferri, id est, hoc vel illud, et hoc prae illo eligere et velle, idque vel potentia proxima, vel saltem remota. Atque haec natura proprietasque voluntatis humanae, eaque perpetua est.

XIII. Quamvis autem ita arbitrium semper sit et maneat liberum; attamen cum qualitas potentiae inhaerens, sive bona, sive mala, proximum principium et causa sit voluntatis et actionum, sive bonarum, sive malarum, hinc fit ut illius principii respectu vere liberum vel non liberum sit et censeatur arbitrium.

XIV. Atque hoc respectu pro ratione variantis conditionis et status hominis, varie liberum arbitrium considerandum est, nempe vel in statu creationis et integritatis, vel lapsus et corruptionis, vel gratiae et reparationis, vel denique gloriae et perfectionis.

XV. In statu igitur integritatis, in quo Deus hominem ad imaginem suam et similitudinem creavit, Gen. 1. qua bonitas omnibus creaturis communis, Gen. 1, 31., singulariter et peculiariter ad hominem restringitur, quem, ut Salomon inquit, rectum creavit Deus, Eccl. 7., et ut Paulus, in sapientia, justitia et sanctitate, Eph. 4, 24. Col. 3, 10. in eo, inquam, statu integritas fuit omnium virium et interiorum et exteriorum, atque ut bonitas et rectitudo illuxit in mente, ita etiam vera libertas, non tantum naturalis illa homini, qua in utramque partem se habere potuit, sed et libertas seu vacuitas a peccato fuit; seu in arbitrio fuit habitus boni, facultas, propensio et facilitas ad bonum, qua velle et agere bona, malum fugere, et bonum persequi posset, seu praestare Deo integram obedientiam potuit. Ita ut arbitrium hic fuerit vere liberum, et natura, et naturae bonitate, ad ejus sanctum exercitium.

XVI. Veruntamen talis hic boni in natura insitus fuit habitus, ut tamen homo, quemadmodum natura compositus finitusque creatus erat, ita et mutabilis etiam voluntate foret; neque ita voluntate singulariter confirmata, quin libero arbitrio abutens a bono se avertere, et ad malum convertere, illud velle atque eligere, agereque, id est, objecta bonitatis specie inclinari ad deficiendum, et deficere sponte et proprio motu posset; ut et Deo ita permittente factum est. Cujus voluntarium lapsum, et lex Dei, et comminatio legi addita, et historia lapsus, Gen. 2. et 3. Eccl. 5, 29. evincit.

XVII. Ergo hic arbitrium se habuit libere εἰς τὸ ὁπότερον utrimque, etiam secundum rationem principii et potentiae proximae. Liberum quidem fuit a peccato, sed non a mutabilitate boni, et possibilitate peccati, ac in utrumvis flexile. Unde

et a bono deflectendo, et in malum inflectendo, se et libertatem suam amisit, ut ait Augustinus.

XVIII. In statu porro corruptionis, seu in homine naturaliter tantum genito, et originali peccato obstricto, quamvis is (licet totus corruptus) non amiserit, ut in intelligentia intellectionem, ita neque in voluntate naturalem libertatem electionis, sed retinuerit cum animae substantia naturales ejus facultates, quae actionum sunt principia, et potentiam remotam et passivam suscipiendi contrarii; attamen amisit, ut ab intelligentia, ita et a voluntate rectitudinem et bonitatem, imo contrarium habitum vitiosum accepit.

XIX. Adeoque liberum arbitrium potentia proxima et activa, Diabolo instigante, sub cujus potestate et dominio est, non amplius in bonum, quod vere bonum, sed tantum in malum, quamvis specie bonum, attamen in generibus et gradibus mali electione remanente, necessario respectu principii proximi, sponte, voluntate et libenter tamen fertur. Eligit enim malum, et bonum repudiat.

XX. Verum ut distincte agamus, non eodem modo hic in rebus omnibus pariter se habet voluntas seu arbitrium hominis depravati. In rebus enim quae vitam naturalem et civilem respiciunt, quaeque sensui et rationi subjecta sunt, et ad disciplinam externam et carnalem justitiam, quae non modo externis actionibus, sed et interno motu definitur, spectant, in iis reliquiae et igniculi hic supersunt; adeo ut ea non mente modo intelligere, sed voluntate deligere, affectu expetere, et viribus prosequi et agere quadamtenus possit, Rom. 1, 19. 32. et 2, 14. 15. et 9, 31. et 10, 2. Phil. 3, 6. 7. Gal. 1, 13.

XXI. Verum ut sit in homine hic quaedam libertas et agendi facultas, magna tamen ob concupiscentiae vim est infirmitas; et voluntas saepe non dictamen rationis, sed sequiorem partem affectuum et cupiditatum motum et ductum sequitur. Diabolus etiam, qui est efficax in infidelibus, non desinit hanc imbecillam naturam incitare, et praecipitare in varia delicta, unde et civilis hujus justitiae ubique grandis conturbatio apparet, eoque inter homines etiam ea rarissima est.

XXII. Ista porro quantulacunque facultas et in apparentia licet eximia interdum sit justitia, ultra politicam et honestam philosophicamque non exsurgit, neque ad verum bonum, Deo-

que placens assurgere valet. Nam quoad causam efficientem, personae hujusmodi Deo neutiquam placent; neque actiones ex puro fonte, vera Dei agnitione et fide, ejusque timore oriuntur, neque debito fine ad Dei gloriam suscipiuntur, aguntur et diriguntur, ex quibus tamen bonum opus censeri debet.

XXIII. Ac proinde omnis talis hic actio, etiamsi feratur in bonum, et, si actum ipsum spectes, in et per se sit bona, attamen, quia non fit bene, peccatum redditur, et peccatis accensetur, Rom. 14, 23. Hebr. 11, 6. Adeoque arbitrium et ab eo fluens actio et opus revera peccatum est. Magis tamen peccat, qui in se, et per se mala vult, cupit et facit, quam qui moraliter et in se bona male facit. Unde Deus etiam illis corporalem mercedem retribuit, 1 Reg. 21, 29. Mat. 6, 2. 5. 26.

XXIV. At in spiritualibus et internis naturalis et irregeniti hominis arbitrium, tantum ad mala liberum est. Ut enim intellectus, ea, quae divinae legis sunt, magna parte ignorat, verum scilicet Deum, et quae cum voluntate ejus congruunt, Eph. 2, 12. Rom. 7, 7. maxime vero quae Evangelii, quae plane supranaturalia sunt, adeoque supra intellectum et voluntatem, et sine supranaturali luce et oculo, fidei videlicet, ut oportet, cognosci et firmo assensu apprehendi non possunt: ita etiam voluntas, pravitate devincta, contraria hisce vult, eligit, affectat et efficit, 1 Cor. 2, 14. Rom. 8, 6. 7. etc.

XXV. Unde sane homo naturalis, insitis viribus, ac libero voluntatis arbitrio, non potest e peccato emergere, ignorantiam pravasque inclinationes abjicere, se ad Deum convertere, ac novos et spirituales motus, initia verae poenitentiae, fidei, timoris, et dilectionis Dei et proximi, atque invocationis, ex se recipere et inchoare, eaque efficere. Ad haec enim ἀδυναμία homini naturaliter genito in Scriptura tribuitur, Joh. 3, 3. 5. et 6, 44. et 8, 43. Rom. 8, 3. 7. 2 Cor. 3, 5., immo adversitas et odium.

XXVI. Est ergo arbitrium hic liberum, qua ad partem alteram, malum scilicet, redactum est; et non coacta necessitate sed lubentia ad peccatum vergit. Veruntamen quia hominis est sub peccato venundati, eidem servientis et in eo mortui; non tam liberum quam servum dici debet, liberum, inquam, a justitia, et servum peccati, Joh. 8, 34. Rom. 6, 16. Qualiter eleganter August. in Enchiridio, Servi, inquit, addicti, quae

potest esse libertas? nisi quando eum peccare delectat, libere enim servit qui sui domini voluntatem libenter facit. Ac per hoc ad peccandum liber est, qui peccati servus est.

XXVII. In statu autem gratiae et reparationis, in quo homo naturalis et carnalis, divina gratia, virtute et efficacia Spiritus Sancti ab illo statu vindicatur, et habitu novo infuso renovatur, ac spiritualis efficitur, in vita spirituali promovetur, atque in ea conservatur, liberum ejus arbitrium revera servum liberatur, et liberum vere redditur, Joh. 8, 36. Sed illud pro ratione initii ad bonum, provectionis ac progressus, perdurationis et perseverantiae in bono, aliter atque aliter se habet.

XXVIII. Respectu quidem initii ad bonum, seu primi reparationis actus, liberum naturalis hominis arbitrium, pro natura sua, quoad spirituales facultates, revera corrupta, imo et mortua, verum a Deo emendanda et excitanda, non συνεργεῖ, cooperatur, Deo, sed habet se respectu Dei agentis, ad modum quadamtenus naturae et subjecti, παθητικῶς, passive.

XXIX. Non tamen se habet hic homo libero suo arbitrio instar trunci: agit enim Deus in subjecto homine intelligendi volendique facultate praedito, et quidem per verbum, Rom. 10, 17. Joh. 17, 20. 1 Cor. 1, 21. Neque etiam ita quasi patiatur ipse homo naturalis Deum agere, qui bonae voluntatis actus est; quum natura Deo exterius verbo suo, promissione et comminatione, aliisque persuasoriis utenti, resistat ac refractarius sit, Mat. 23, 37. Act. 7, 51. Sed ut is, qui totus mala qualitate et habitu affectus devinctusque est, Eph. 2, 1. 23. Tit. 3, 3.

XXX. Agit autem hic Deus divino modo, et quidem gratia, potentia et efficacia tali ac tanta, ut cum effectu pravitatem a voluntate amoveat, et rectitudinem inserat, ut ita ex nolente volens, ex reluctante Deo obediens reddatur; quae sane solius Dei Omnipotentis est actio, ut quae in Scripturae vocibus recreationis, regenerationis, resuscitationis e mortuis et similibus exprimitur, Eph. 2, 10. Joh. 3, 3. Tit. 3, 5. Eph. 1, 19. 20. et 2, 5. Col. 2, 12. 13.

XXXI. Proinde ad hanc gratiam nemo quicquam confert, imo ne vel bono gratiae universalis, lucisque naturalis, vel gratiae specialioris, legis scilicet, (quae gratiae nomine

improprie et catachrestice censetur) sese ad eam, praeparare, disponere et applicare valet, non magis quam ad generationem et vivificationem suam quisquam quidquam confert.

XXXII. Non tamen diffitemur, Deum Antecedaneis quibusdam, utpote tum natura, tum lege, hic uti, quibus peccator ad sui desperationem adductus, ad consolationem Evangelii et spem in Deo manuducatur; at vero vi Spiritus, per Evangelii praedicationem, opus hoc in nobis efficitur, ne quis arbitretur, nos violentos raptus, et Enthusiasticos et momentaneos motus statuere.

XXXIII. Ceterum haec regeneratio, a qua est potentia et principium bene volendi agendique divinitus tributa, ut sit totalis reformatio et renovatio, et secundum subjectum, totum sc. hominem, et omnes ejus vires, et objectum, universam nempe Dei legem; non tamen est totalis, secundum intensionem graduum, seu excellentissimum gradum qualitatis bonae, sed partialis juxta gradum remissiorem, in quo esse potest et est contrarium: hoc est, in mente, voluntate, affectibus, potentia, viribusque actionis remanent reliquiae peccantis naturae, quae agnitionem faciunt obscuriorem, voluntatem affectusque remissiores, potentiamque infirmiorem, adeo ut non omnia quae volumus, opere compleamus, 1 Cor. 13, 12. Rom. 7, 8. 24. Marc. 9, 24.

XXXIV. Proinde in uno eodemque homine renato, respectu diversi principii, non autem subjecti, duae quasi partes oppositae statuuntur, caro et spiritus, Matth. 26, 41. Gal. 5, 17. Imo duo quasi homines, vetus et novus, Eph. 4, 22. Col. 3, 9. externus et internus, apertus et occultus, Rom. 7, 22. 1 Pet. 3, 4. ac denique naturalis seu animalis et spiritualis, 1 Cor. 2, 15. Unde in homine regenito carnis spiritusque lucta exsurgit, Rom. 7. Gal. 5. A praedominante tamen qualitate spiritus, et secundum insignem profectum, simpliciter spiritualis dicitur, 1 Cor. 2, 15. Gal. 6, 1. at secundum defectum et infirmitatem, seu comparative etiam carnalis, 1 Cor. 3, 1.

XXXV. Atque hinc fit, ut homine, Dei Spiritu, et quidem ex parte, renovato, liberum arbitrium se habeat partim ad bonum, partim ad malum. Ad bonum quidem, quod secundum novas vires, novasque inclinationes et motus, a Spiritu Dei in mente et voluntate effectas inditasque, homo hac spirituali potentia, eodem Spiritu praevio et comitante, intelligat, velit,

agat spiritualia, id est, Deo vocanti consentiat et obediat, poenitentia, fide, et sanctitate vera; ita ut inchoet, conetur et operetur interiorem et exteriorem obedientiam, seu bona opera Deo placentia; idque tum in spiritualibus et ad Regnum Dei pertinentibus, 1 Cor. 2, 14. tum civilibus, et ad disciplinam externam spectantibus, quas religiosus ex fide et ad Dei gloriam vult et agit, Rom. 14, 7. 8. 1 Cor. 10, 31. Jac. 4, 15. Quin in illis ipsis eodem Spiritu proficit et perseverat.

XXXVI. Hae tamen actiones et opera, utut secundum rationem principii sui boni, regenerationis scil. et Spiritus Sancti assistentiam, ad normam divinae legis edita, sint bona; attamen cum respectu reliquiarum carnis, multis defectibus contaminentur, absolute bona non sunt. Es. 64, 6. censentur vero ut hujusmodi, divina acceptatione in Christo Salvatore, obtegente infirmitates nostras, et propter Spiritus Sancti operationem, et spiritualis partis praedominium.

XXXVII. Hic ergo homo Dei gratia et Spiritu renatus non tantum παθητικῶς, passive, sed et ἐνεργητικῶς, active, se habet, ac incipit Deo συνεργεῖν, id est, ut loquitur passim Augustinus, gratia Dei praeveniente, praeparante et operante, homo regenitus, ab eadem gratia ducente et comitante, cooperante et adjuvante, actus, vult et agit, et eadem subsequente proficit et perseverat. Non secus quam puellus nutricis manu ductus et suffultus ambulat; et puer, manu a praeceptore ducta, pingere discit et pingit, quia ita agitur ut simul agat.

XXXVIII. Non otiosa itaque hic voluntas, sed liberatae voluntatis aliqua est libertas et actio, ut Scriptura confirmat, Phil. 2, 13. 2 Cor. 3, 17. Rom. 6, 18. etc. Atque in eandem sententiam praeclare Augustinus, Lib. de Corruptione et gratia, Intelligant, inquit, si filii sunt Dei, Spiritu Dei se agi, ut quod agendum est, agant, et cum egerunt, illi a quo aguntur, gratias agant. Aguntur enim ut agant, non ut ipsi nihil agant.

XXXIX. Ad malum idem, et proh dolor! identidem, se habet liberum arbitrium. Quim enim in renatis, ob inchoatam, non perfectam regenerationem, seu renovationem naturae, id est, mentis, voluntatis, affectuum et potentiae, semper maneant reliquiae carnis seu peccati, magnaque infirmitas, quae objectis (quae

caro et mundus suggerit) ac Diaboli variis tentationibus excitantur, neque a Spiritu Sancto semper, aut eadem mensura, ac speciali gratia regantur, atque in bono confirmentur, sed interdum ad tempus aliquatenus, idque certo Dei consilio, deserantur, sibique permittantur, puta ut eos castiget, humilientur, et discant ab eo pendere; pii voluntate et libero suo arbitrio, atque opere, ad peccata, etiam gravia, feruntur et in ea prolabuntur, ut piorum exempla, Davidis, 2 Sam. 11, 2. Ps. 51, 13. 2 Sam. 24, 1. et 1 Par. 21. et Petri, Luc. 22, 31. 55. etc. ostendunt.

XL. Atque ex his apparet, hominem regeneratum, in hac vita perfectam gradibus et numeris omnibus obedientiam ob imperfectionem causae proximae, praestare non valere; neque semper, ob adversantem carnem, inoffensum et constantem pietatis cursum tenere, sed cespitare, cadere et peccare, contra Catharos et Perfectionarios.

XLI. Veruntamen non eo usque a Deo Patre miseratore, a Christo ipsorum liberatore et capite, a Spiritu Sancto sanctificatore, in regenerationis gratia deseruntur, aut ipsi eam deserunt, ut libero suo arbitrio et opere in malo fatiscant, peccatum in illis regnet, incidant in indolentiam et impoenitentiam, et peccatum ad mortem, seu totaliter et finaliter deficiant; sed divina gratia, Christi cura, et Spiritus efficacia, et seminis illius spiritualis vi, ad et per veram resipiscentiam revocantur, ne peccent finaliter, et pereant, Mat. 24, 24. Luc. 22, 31. 32. 61. Joh. 17, 11. 12. 20. et c. 10, 29. 30. 1. Joh. 2, 27. et 3, 9. et 5, 4. 1 Pet. 1, 4. 5.

XLII. Est ergo hic liberum arbitrium in gratiae et reparationis statu liberandum et liberatum: scilicet non simpliciter liberum a peccato, sed a servitute seu mancipio peccati, et servum justitiae, et divina gratia praeservatum a periculo excidii.

XLIII. In statu denique gloriae et perfectionis, seu post hanc vitam in altero seculo, ac vita aeterna, hominis beati ac glorificati (quoniam ibi, tum, ac in illo, perfecta erit restitutio ac regeneratio, et quidem secundum gradum excellentissimum, in quo nihil contrarii cadit aut cadere poterit, id est, lucebit in mente perfectissima Dei et voluntatis ejus cognitio, judicii sine ignorantia et dubitationibus integritas, in voluntate et corde affectibusque et omnibus viribus, omnibus modis per-

fecta vigebit sine ulla repugnantia inclinatio, propensio, alacritas et studium, ad Deo obediendum; tumque ille a Deo perpetuo et efficaciter regetur et confirmabitur) erit arbitrium ejus vere quidem liberum, imo liberrimum, ut quod non natura quidem simpliciter, sed gratia erit immutabiliter bonum. Libertatis autem hujus qualitatis et quantitatis considerationem, referimus ad coelestem illam scholam, Rom. 8, 21. 1 Cor. 13, 10. 12. et 15, 28.

XLIV. Ergo homo libero suo arbitrio, in primo quidem statu, potuit non peccare, sed in bono consistere; in secundo vero, liberi arbitrii abusu factus malus non potuit non peccare, nedum viribus arbitrii ad bonum resurgere; in tertio autem divina gratia et efficacia recreatus, et eadem in bono confirmatus, non potest libero arbitrio totaliter et finaliter peccare, sed in bono provehitur et perseverat; in quarto denique statu a Deo glorificatus, non poterit amplius peccare, ut ait Augustinus, sed sine ulla mutatione liberum arbitrium a peccato et miseria liberum perpetuo remanebit.

XLV. Rejicimus Orthodoxae doctrinae contrarias has Antitheses: Pelagianorum unam, qui liberum arbitrium in rebus omnibus illaesum statuebant, ac sibi sufficere ut Deo obediat, si velit, adeoque totum sibi tribuentes, in Deum sacrilegi erant; Semipelagianorum alteram, qui liberum arbitrium in rebus spiritualibus laesum, attenuatum et inclinatum quidem, non autem corruptum asserebant, ac conversionem, partim gratiae, partim libero arbitrio tribuebant, inter Deum et homines partientes. Haec enim ipsorum erant axiomata: Est ubi voluntas hominis voluntatem Dei antevertit, est ubi illa ab hac antevertitur, ut Cassianus voluit; item, Gratia Dei est quae nos salvat, liberum vero arbitrium est, quo, vel in quo, ut Faustus speciose dicit, salvamur. Cui Orthodoxi opposuerunt, uniformem esse salutis rationem, et liberum arbitrium esse quod salvatur.

XLVI. Quos errores renovarunt varie Scholastici, et Concilii Tridentini Patres; nec non ex Evangelicis quidam pigmento *συνεργίας* interpolarunt, maxime illi, quorum errores in Dordracena Synodo a Reformatis Ecclesiis rejecti sunt.

DISPUTATIO XVIII.

DE

Lege Dei.

Praeside D. JOHANNE POLYANDRO.

Respondente ARNOLDO SCHOMANTIO.

Thesis I.

Quanta homo in peccatum prolapsus, virium liberi arbitrii laboret defectione, quantaque ejus sit miseria, ex lege Dei cognosci potest.

II. Lex Latinis sic dicta, quod publice legi soleat, a Graecis νόμος appellatur, quod suum cuique tribuat, ab Hebraeis תורה, id est, doctrina, quod nos de voluntate Dei nostroque erga ipsum ac proximum nostrum officio doceat.

III. In Sacra Scriptura lex diversis significationibus accipitur, primum pro qualibet Dei institutione, Ps. 1, 2. et 19, 8.

IV. Hinc nomen legis, tam Novi, quam Veteris Testamenti doctrinae attribuitur, Es. 2, 3. Jer. 31, 33. Rom. 3, 27.

V. Secundo speciatim sumitur, aut pro lege morali, ut Luc. 10, 26., aut pro ceremoniali, ut Luc. 2, 22., aut pro forensi, ut Joh. 19, 7.

VI. Tertio per metonymiam subjecti accipitur pro libris Mosis doctrinam legis complectentibus, ut Luc. 24, 44.

VII. Quarto sumitur synecdochice, pro omnibus libris Veteris Testamenti, ut Joh. 10, 34.

VIII. Quinto per metonymiam adjuncti, vel pro Ministerio Levitico, ut Heb. 7, 12., vel pro legis rigore et maledictione, ut Rom. 6, 14.

IX. Sexto, metaphorice pro naturali rationis humanae praeceptione, Rom. 2, 14.

X. Ex quibus apparet, legem in sacris literis non accipi pro aeterna lege, vel rationis forma, quae in conceptu divino, tamquam in ἀρχετύπῳ exsistit, sed pro legitima ordinatione a Deo, tamquam a perfectissimo exemplari, ad genus humanum in tempore derivata, huicque variis modis communicata ac declarata.

XI. Nos ergo intra limites Sacrorum Bibliorum consistentes, legem sumimus pro informatione ac praeceptione temporaria,

qua Deus res juri suo consentaneas, hominibus ad imaginem suam conditis praecipit, dissentaneas prohibet, cum promissione praemii, ac comminatione supplicii, ut eos ad voluntatis suae obsequium flectat.

XII. Haec pro principiorum suorum proximorum diversitate, distribuitur in legem naturalem, humanas ac divinas.

XIII. Lex naturalis est lumen et dictamen rectae rationis in intellectu, hominem κοιναῖς ἐννοίαις, seu communibus notionibus, ad justi et injusti, honesti ac turpis discretionem informans, ut quid faciendum sit vel fugiendum, intelligat.

XIV. Istarum notionum aliae sunt primariae, quas principia practica, aliae secundariae, quas conclusiones ex principiis illis ratiocinationis adminiculo exstructas vocamus.

XV. Utraeque notiones ante hominis lapsum fuerunt incorruptae, ac suavi harmonia conjunctae, cum vi juxta ipsarum consilium decernendi in voluntate, jussaque voluntatis recte exsequendi in affectibus.

XVI. Post hominis lapsum, priores quidem notiones in ipsius intellectu immotae permanent, ac perspicue relucent; posteriores vero cum a generalibus ad particularia acceditur, miserandum in modum vacillant, et a sincera aequitatis regula deflectunt, ut docent iniquissimarum legum, ac corruptissimorum morum exempla, quae in Ethnicorum historiis inveniuntur.

XVII. Quamvis communes istae notiones post transgressionem Adami, partim naturae vitio, partim consuetudinis atque educationis pravitate, valde sint obscuratae, ac pene exstinctae, quae tamen earum supersunt scintillae, peccato, etiam in maxime obtenebratis, redarguendo ac condemnando sufficiunt.

XVIII. Idcirco Paulus ait, jus Dei ab Ethnicis olim impietati atque injustitiae deditis, fuisse agnitum, Rom. 1, 32. atque opus legis cordibus ipsorum inscriptum, Rom. 2, 14. hocque duplici probat testimonio, externo et interno.

XIX. Externum testimonium est legum ab ipsis conditarum, quibus eos sibimetipsis legem fuisse asserit; ea scilicet jubendo, aut vetando, quae Deus in lege sua scripta jubet aut vetat, Rom. 2, 14.

XX. Internum est conscientiae, suis cogitationibus injustas ipsorum actiones accusantis, justas ex juris animo concepti auctoritate defendentis, Rom, 2, 15.

XXI. Duplicia juris istius vestigia in hominis natura apparent, quorum alia videntur ipsi cum brutis animalibus aliquo modo esse communia, alia vero ipsi sunt propria.

XXII. Ea homini cum ceteris animalibus videntur esse communia, ad quae omnes creaturae, vita ac sensu animali praeditae, στοργῇ, atque affectione naturali ad sui suorumque conservationem proclives, spontali instinctu feruntur; qualia sunt vitae suae defensio, prolis suae propagatio, educatio ac dilectio.

XXIII. Hinc Jurisconsulti jus naturale καταχρηστικῶς ac latiore significatione nuncupant, quod natura omnia animalia docuit.

XXIV. Homini propria sunt, ad quae affectiones ipsius, dictamine ac ductu rationis (cujus reliquae animantes sunt expertes) secundum normam boni et aequi sibi divinitus attributam, diriguntur; qualia sunt, Deum esse colendum, magistratus, parentes et bene meritos esse honorandos, pacta esse servanda et similia.

XXV. Cum autem homo non seorsim in sacro Codice consideretur, ut animal, sed conjunctim, ut animal rationale, vel potius ut creatura ad imaginem Dei condita, ideo nostri Theologi jus illud naturale ad hominem tamquam ad verum et proprium illius subjectum cum Apostolo restringunt, Rom. 1. et 2.

XXVI. Etsi hoc jus hominum animis insitum, communi omnium gentium judicio atque assensu comprobetur, ipsi tamen gentiles sapientiores illud externarum legum auxilio indigere agnoverunt, ut et melius intelligatur et rectius observetur.

XXVII. Unde effectum est, ut tam inter Ethnicos, quam inter Christianos, quam plurimae leges civiles quorundam prudentum arte, ac Magistratuum auctoritate in Respublicas sint introductae.

XXVIII. Leges illae sunt definitae juris sententiae, solenni ac peculiari legitimi Magistratus mandato stabilitae, quae ex notionibus communibus tamquam ex principiis ac fontibus, conclusiones aliquas ac determinationes particulares, seu rivulos pro opportunitatibus personarum, rerum, temporum et locorum, ad commune et privatum civium bonum producunt; hasque promissione praemii, ac comminatione poenae stabiliunt.

XXIX. Hae leges subditorum conscientias, vel ad observationem, vel ad poenam obligant, si in omnibus suis edictis legis

divinae exemplari sint prorsus conformes; non obligant, si huic adversentur.

XXX. Legis divinae exemplar est, quod Deus ipse per Angelos suos coelestes, ac per servum suum Mosem ab ipso immediate inspiratum digito suo conscriptum populo Israëlitico in monte Sinai tradidit, Exod. 19, 20. et 20, 1. et seqq. Act. 7, 53. Gal. 3, 19.

XXXI. Hoc legis divinae exemplar modum bene beateque coram Deo et proximo nostro vivendi summatim decem praeceptorum cancellis circumscribit, quamobrem a Mose, Deut. 4, 13. עשרת הדברים, id est, decem verba, a nobis Decalogus appellatur.

XXXII. Tametsi finis legis divinae maxime proprius et proximus sit unicus, nimirum caritas secundum praecepta Dei ordinata, in qua conscientia tuto acquiescat; media tamen huic inservientia sunt triplicia, quorum primum consistit in statutis moralibus, secundum in ceremonialibus, tertium in politicis.

XXXIII. Inde est quod lex Dei, in moralem, ceremonialem et politicam distinguitur.

XXXIV. Lex moralis est quae praeceptis generalibus, perpetuo et reciproce veris, cum jure divino et naturali consentientibus, cuilibet homini absolute necessariis et utilibus, justam et accuratam secundum Dei voluntatem vivendi formam praescribit; adhibitis promissis vitae praesentis et futurae, si quis ejus praecepta servaverit, minisque mortis primae ac secundae, si quis illa violaverit.

XXXV. Tres ergo illius sunt partes:

1. Mandata quibus aliquid vel praecipitur, vel vetatur.

2. Promissiones de benedictione temporaria et aeterna.

3. Comminationes de maledictione, Exod. 19, 5. Deut. 27, 26. Luc. 10. Rom. 10, 5. Gal. 3, 10.

XXXVI. Duae illius sunt tabulae, quarum prioris quatuor praecepta definiunt officia pietatis Deo ex summa atque integra illius dilectione primario loco praestanda; posterioris sex, officia justitiae indicant erga proximum, ex sincera erga eum caritate secundario exercenda, Mat. 22, 38.

XXXVII. Summa prioris tabulae a Christo nominatur primum et magnum mandatum; posterioris, secundum, ac superiori simile, ut doceat, ad exactam utriusque observationem requiri:

1. Ut cultus pietatis Deo debitus, et voluntati et majestati ipsius supremae sit consentaneus.

2. Ut Deum primo, et per se immediate, cetera vero omnia propter Deum amemus, atque imprimis pios homines propter spiritualem ipsorum atque arctiorem cognationem cum Deo.

3. Ut officia caritatis erga proximum cedant officiis pietatis erga Deum, ac propter ipsius cultum, injusta proximi odia, omnesque acerbitates et injurias fortiter ac constanter perferamus.

XXXVIII. Legem hanc non minus ad Christianos pertinere sub Novo, quam ad Judaeos sub Vetere Testamento, probamus his argumentis:

1. Quod externa sit effigies internae legis naturae nostris protoplastis ante lapsum impressae per creationem eorum ad Dei imaginem, quae posita est in sanctitate et justitia; quarum virtutum munia Decalogus quibuslibet hominibus repraesentat, atque Evangelium a fidei domesticis ad imaginem Dei per Spiritum Dei renovatis efflagitat.

2. Quod haec lex primis nostris parentibus revelata, per Mosem repetita et restaurata, non tantum a Prophetis, sed etiam a Christo et Apostolis fuerit exposita, ab ipsis observata, aliisque stricte commendata, Mat. 5, 17. et seqq. Luc. 10, 27. Rom. 6, 13. et 7, 25. et 12. et 13.

3. Quoniam filii Dei ab observatione mandatorum hujus legis, tamquam a τεκμηρίῳ, atque infallibili germanae cum Deo conjunctionis testimonio, describuntur, 1 Joh. 1, 6. 7. et 2, 3. 4. 5. 6.

4. Quia caritas ex fide non ficta et bona conscientia (quae est finis Decalogi) Timotheo veluti scopus objicitur, ad quem omnes suas actiones referre debeat, 1 Tim. 1, 5.

XXXIX. Tam perfecta est haec lex, ut nihil ei in praeceptis moralibus, aut a Christo, aut ab Apostolis ipsius additum fuerit, quo ad exactiorem bonorum operum normam sub Novo Testamento sit adducta; sed quae falsarum interpretationum ac malorum corruptelis ante Christi adventum fuerat obliterata et antiquata, genuina Christi, Judaeisque seductis nova atque inaudita interpretatione, iteratisque ad universalem mandatorum ejus observationem commonefactionibus, pristino suo nitori plene fuit restituta.

XL. Legis hujus usus aut est communis quibuslibet homini-

bus in contumacia conclusis, aut electorum saluti peculiariter destinatus.

XLI. Prior usus est triplex:

1. Ut freno externae suae disciplinae effrenatas hominum quorumlibet affectiones cohibeat.

2. Ut in se tamquam in speculo, tum amissionem originalis generis humani in Adamo justitiae, tum carnis seu naturae corruptae ἀδυναμίαν, id est, impotentiam ad mandata sua praestanda, pravasque ad ea violanda inclinationes quibuslibet peccatoribus demonstret. Unde per eam agnitio peccati fieri dicitur, Rom. 3, 19. 20. et 4, 15. et 5, 20. et 7, 7. et seqq.

3. Ut sit nuncia justi judicii divini adversus ejus transgressores. Unde vocatur ministerium mortis, iram operans ac terrorem incutiens, 2 Cor. 3, 7. Rom. 4, 15. Hebr. 12, 29.

XLII. Posterior usus electorum saluti peculiariter destinatus, est quadruplex:

1. Est, ut adhibito subsidio ministerii Evangelici, eos sensu peccati ac reatus sui dejectos, ad Christum Salvatorem nostrum deducat, finem legis ad justitiam omni credenti, Rom. 10, 4.

2. Est, ut ipsis in Christum credentibus sit agendorum et omittendorum regula atque index viae ad vitam ducentis; ob quem usum appellatur lex operum, Rom. 3, 27., via Dei, Ps. 119, 3., via veritatis, Ps. 119, 30, et lucerna pedum nostrorum, Ps. 119, 105.

3. Ut sancta atque honesta ipsorum secundum praescriptionem legis conversatio sit testimonium verae ipsorum cum Deo communionis, 1 Joh. 1, 6. 7. et 2, 2. 3. 4. 5. 6.

4. Ut lex eos suo stimulo ad studium sincerae caritatis erga Deum et proximum indies magis impellat, 1 Tim. 1, 5.

XLIII. Ad reprobos contumaces quod attinet, hi non legis illius, sed perversae suae cupiditatis vitio in vetitum petulanter nitentes, se adversus ejus interdicta obdurant, eoque semetipsos magis reddunt coram Deo damnabiles.

XLIV. Huic legi operum Apostolus legem fidei ex diametro opponit, qua omnis operum gloriatio excluditur, Rom. 3, 27. Ex qua exclusione necessario sequitur, legem illam operum a nemine posse in hac vita, quantumvis regenito, perfecte servari, ac proinde neminem posse suis operibus coram Deo justificari.

XLV. Interim Deus officium perfectae caritatis sibi ac proximo nostro debitum, a nobis jure exigit, cum ejus praestandi facultatem naturae nostrae in primis nostris parentibus dederit.

XLVI. Lex ceremonialis est σκιαγραφία, ac delineatio externa cultus divini, quem Deus in quatuor primae tabulae praeceptis efflagitat, ad formam Reipublicae Israëliticae olim accommodata, variis constans umbris typicis, quarum corpus est in Christo, qui mandata illius per carnem suam abolevit, ut sublato illo intergerivi inter Judaeos et Gentiles parietis septo, utrosque in uno corpore per crucem Deo reconciliaret, Col. 2, 17. Eph. 2, 15. 16.

XLVII. De hac verum est illud axioma: Lex ceremonialis est mortua, et si postliminio revocetur, fit mortifera.

XLVIII. Varius legis illius usus fuit sub Veteri Testamento:

1. Ut populus Israëliticus hujus observatione, tamquam parietis intergerivi septo, ab aliis Gentibus profanis sejungeretur, ne familiari cum his consuetudine in eandem cum ipsis impietatem atque idololatriam prolaberetur.

2. Ut ex externis illius ritibus intelligerent, non tantum internum animae, sed etiam externum corporis cultum Deo esse consecrandum.

3. Ut nervus esset et retinaculum sacri ministerii Levitici in Ecclesia Judaica usque ad Christi adventum conservandi.

4. Ut esset chirographum ipsis occulte contrarium, quo suum reatum atque obligationem ad poenam mortis aeternae, ob legis divinae transgressiones adversus semetipsos obsignarent, Col. 2, 14.

5. Ut esset paedagogia ad Christum, Gal. 3.

6. Ut typica illius sacrificia essent symbola oblationis Christi expiatoriae, nostraeque sanctificationis per aspersionem ipsius sanguinis, Hebr. 9. et 10.

XLIX. Lex politica est, quae officia magistratuum ac subditorum Reipublicae Israëliticae certis constitutionibus civilibus determinat, easque poenis corporalibus in rebelles sancit, juxta normam utriusque tabulae Decalogi, atque imprimis secundae.

L. Hujus praecipuus usus fuit, ut accurata mandatorum legis moralis ac ceremonialis observatione, justitia cum pietate conjuncta inter Judaeos peculiariter vigeret.

LI. Quae in hac lege sunt juris communis, illa omnis generis magistratus et subditos etiamnum obligant; quae vero sunt juris particularis Judaici, illa una cum Mosis politia exspirarunt.

DISPUTATIO XIX.

DE

Idololatria.

Praeside D. ANDREA RIVETO.

Respondente SAMUELE BOCHARTO.

THESIS I.

LEX divina, de qua proxime actum est, unicum illum Legislatorem qui potest servare et perdere, Jac. 4, 12. nobis colendum proponit, eo cultu interno et externo, quem ipse in verbo suo revelavit et praescripsit; qui communiter Ebraeis עבדה Ex. 12, 26. Graecis θρησκεία, Act. 26, 5. Latinis Religio dictus est, quam vocem Augustinus, de vera Religion. post Lactantium, Institut. Lib. 4. cap. 48. a religando deducit, quia per religionem uni Deo religamus animas nostras; ut religio a vinculo pietatis sit dicta, quo homo Deo constringitur; et non male a Cicerone, Lib. 2. de invent. descripta, quae superioris cujusdam naturae, quam divinam vocant, curam ceremoniamque affert.

II. Religioni in excessu opponitur, quam Graeci δεισιδαιμονίαν, Latini superstitionem dixerunt; non quod in religione possit aliquis in excessu peccare secundum absolutam quantitatem, sed secundum eam tantum, quam vocant proportionis; quae in ea re duo requirit, 1. Ut non colatur quod coli non debet. 2. Non exhibeatur ei qui debet coli, cultus praeter ejus voluntatem superinductus.

III. Hinc duae superstitionis species distinguuntur; quarum illam, quae eo modo quo non oportet, cultum Deo instituit, ἐθελοθρησκείαν Scripturae vocant; alteram, qua colitur quod coli non debet, εἰδωλολατρείαν, sub qua aliquando utraque comprehenditur; quamvis non negemus illam praecise sumptam, ab

hac distingui, cum non omnis superstitiosus sit proprie idololatra, etsi omnis idololatra sit superstitiosus. De hac postrema nobis jam ex ordine agendum.

IV. Dicitur Idololatria, nomine ex duobus composito εἴδωλον et λατρεία, quasi Idoli cultus vel servitus; εἴδωλον autem, si vocis etymum spectemus, ab εἴδεσθαι, quod Graecis sonat videri vel assimilari, ortum habet; et in genere apud auctores linguae Graecae probatos simulacrum et imaginem quamlibet significat, sive mente conceptam, sive manu effictam, sive rei exsistentis, sive non exsistentis. Non igitur est diminutivum, ut volunt adversarii, ab εἶδος propter defectum repraesentationis, quasi esset Idolum, rei quae non est, repraesentativum. Quod etiamsi contendat Bellarminus, fatetur tamen Lorinus et ipse Jesuita in cap. 17. Act. vers. 16. vocem hanc inter profanos auctores aeque late patere posse atque τοῦ εἰκόνος, et si latinitate utramque donemus, eandem esse significationem Idoli et Iconis, sive imaginis.

V. Quod autem addit, usu ecclesiastico in malam semper partem accipi, id et nos agnoscimus, et pro Idolo habemus, non solum externam imaginem arte factam, ad repraesentandum et colendum numen, sive verum, sive fictum, sed etiam omne numen falsum, sine imagine, vel ab hominibus excogitatum, cum non sit; vel etiamsi res aliqua sit subsistens, sed creatura cui divina aestimatio, vel cultus divinus tribuitur. Ideo recte Patres Concilii Francofurtensis dicebant, Se imagines Sanctorum non idola nuncupare, sed ne idola nuncuparentur, adorare se eas et colere, iisque servitium impendere nolle, Capitularis cap. M. Lib. 2. c. 18.

VI. Idolum etiam cum Apostolo, 1 Cor. 8, 4. nihil esse in mundo dicimus; non quidem, ut nonnulli male interpretantur, quod res in rerum natura non exsistens idolo repraesentetur, Daemonia enim exsistunt, ipsorum tamen idolum nihil est; sed quia nihil tale est pro quali colitur, ut divinitatis opinionem vel cultum promereatur, aut ad salutem quicquam prodesse possit, quemadmodum idem Apostolus negat, 1 Cor. 10, 19. idolis immolatum, esse aliquid, quasi diceret, consecrationem ejus vanam esse. Haec igitur nihil dicuntur ratione efficaciae, et quia nullius sunt momenti, et nihili facienda, ut nihil esse dicitur qui se putat esse aliquid, Gal. 6, 3.,

quo sensu in Scriptura idola dicuntur vanitates, falsitates, mendacium; ἐστὶ μὲν ἀλλ' οὐκ ἔχει τινὰ ἰσχύν, inquit Chrysostomus, Hom. 20. in 1. ad Corinthos.

VII. Nomen autem λατρεία, etsi cum solum ponitur, saepe ad homines referatur, imo, ut Valla notavit et exemplis probavit, magis ad homines pertinuerit, et vana sit, si voces spectemus, λατρείας et δουλείας, in sensu ab adversariis excogitato, distinctio; tamen in compositione τοῦ εἰδώλου, fatemur accipi pro cultu religioso, et omnibus ad eum pertinentibus, qualia sunt adoratio, invocatio, fiducia, eucharistia, sacrificium, juramentum, vota, Templorum, Altarium et Festorum consecrationes, etc., quae Augustinus his verbis comprehendit: Cultus divinitati, vel si expressius dicendum, Deitati debitus, est cum sacra facimus, sacrificamus, vel aliqua nostra, seu nos ipsos, religiosis ritibus consecramus, De Civ. Dei, Lib. 10. c. 1.

VIII. Est igitur Idololatria, ad rem quod attinet, σεβάζεσθαι καὶ λατρεύειν τῇ κτίσει παρὰ τὸν κτίσαντα, id est, colere ac servire rebus creatis, praeterito creatore, Rom. 1, 25. Superstitio, qua debitus soli Deo cultus, religiosus nempe quivis ei exhibetur, cui non debet exhiberi, sive creatura sit, sive figmentum humanum; qua significatione, salva nominis proprietate, Idololatriae vox hanc habet extensionem, ut sit in genere, religiosa latria creaturae, sive ea animo tantum fiat, sive corporali et externo cultu, sive in imagine, sive sine ea; nam et dracones et serpentes, item ignem, ventum, aërem, solem, lunam et stellas, alioqui religiose coluerunt; nec ab Idololatriae crimine absolvuntur Romani toto illo tempore, nempe centum septuaginta annorum ab urbe condita, quo apud eos Templa sine imaginibus aut simulacris fuisse testatur Plutarchus in vita Numae, quia nondum tunc ingenia Graecorum atque Tuscorum fingendis simulacris urbem inundaverant, ut scite Tertul. Apol. c. 25.

IX. In hac definitione Genus est Superstitio, de qua dictum est. Objectum est, quicquid non est Deus verus. Forma sive differentia, consistit in cultu religioso qualicunque, de quo nihil aut parum refert, quocunque vocabulo aut phrasi exprimatur, nempe verbo λατρεύειν, vel δουλεύειν, vel σέβειν, vel προσκυνεῖν, dummodo ex re ipsa constet, religiosum et divinum

esse cultum, qui soli Deo debeatur, cum Scriptura promiscue et indifferenter haec verba, colere, adorare, servire, invocare, etc. usurpet, ubi de solo Deo rite colendo disserit.

X. Nec opus est addere ad perfectam definitionem, clausulam sicut Deo, qua Idololatriam velare nonnulli ex Jesuitis conantur, quasi Idololatria non committeretur, nisi ab eo qui divinum cultum creaturae exhiberet hoc animo, ut existimatio talis creaturae conciliaretur, qualis in solum Deum vere competit. Hoc enim falsum esse, patet ex eo, quod ipsi Pontificii fatentur, multos inter Ethnicos, non unum Spiritum in idolis coluisse, sed diversos, gradibus quasi inter se distantes, ut iis quidem fuerit unus Deus supremus, sed sub ipso alii minores Dii, substantiae nimirum spirituales a summo Deo creatae; in quarum tamen cultu Idololatriam commiserunt, etsi eos non coluerint cum summa voluntatis inclinatione et prostratione, cum apprehensione Dei ut primi principii et ultimi finis, atque adeo summi boni, quae ad essentiam cultus divini requirit Bell. de Sanct. beat. L. 1. c. 12. quam paucis et melius describit Nazianz. *τὴν μετάθεσιν τῆς προσκυνήσεως ἀπὸ τοῦ πεποιηκότος ἐπὶ τὰ κτίσματα*, translationem cultus creatoris ad creaturam, Orat. 38. Alioqui Dominus non recte respondisset Satanae, eum ad *προσκύνησιν* religiosam invitanti, scriptum esse, Dominum Deum tuum adorabis et ei soli *λατρεύσεις*, Luc. 4, 8. cum Satan non peteret ab eo ut se agnosceret primum principium, sed talem tantum cui potestas et gloria regnorum mundi data erat.

XI. Non ergo excusatur ab Idololatria, qui cultum religiosum tribuit rei quam novit Deum non esse; nam, quicquid contra sentiat, cum adorat, invocat et genu flectit, id dicitur pro Deo habere in Scriptura, quod alioqui secundum suam opinionem pro Deo non habet; quod etiam agnoscunt Scholastici, qui distinguunt inter speculativam et practicam Divinitatis attributionem creaturis. Qui enim illis Divinitatem negant speculative, quantum ad cognitionem pertinet; practice tamen, id est, actu et re ipsa illis independentiam a Creatore suo attribuunt. Sic Idololatra fuit Varro, qui exterius Idola colebat, non ex opinione insitae iis Divinitatis, sed voluntate conformandi se populo, ut testatur August. cujus

etiam judicio, eo damnabilius agebat Seneca, quod illa quae mendaciter agebat, sic agebat ut eum populus veraciter agere existimaret, de Civit. Dei, Lib. 1. cap. 6. et ejus. Lib. cap. 10.

XII. Ad Idololatriam pertinet etiam cultus Divinus, non solum cum creaturae exhibetur relicto Deo, sed etiam cum colitur religiose creatura simul cum Deo, sive sit imago manufacta, sive res alia artificialis vel naturalis extra Dei praescriptum ad adorationem assumpta: non solum quia cum homines novum et fictitium constituunt cultum, novum etiam et fictitium constituunt Deum; quo sensu idem Augustinus dicit, Lib. 1. de Consen. Evang. c. 15. renuisse gentes Ebraeorum Deum colere, quoniam si alio modo Deum colere vellent quam se colendum ipsi dixisset, non utique illum colerent, sed quod ipse finxissent; quae ratio ad secundam superstitionis speciem magis pertinet, nempe ad modum colendi Deum; sed praesertim, quia quod non debet coli, religiose adoratur, etiamsi factum sit ad repraesentandum Deum. Ibi enim dupliciter peccatur, 1. quia contra expressum Dei Verbum, quo prohibet ne quis eum ulla specie exprimat, effingitur Deo figura, infinita ipsius Majestate prorsus indigna. 2. quia in societatem cultus cum Deo admittitur.

XIII. Frustra enim et falso contendunt Pontificii, in V. Test. non reperiri exemplum, in quo ad Idololatriam revocata sit adoratio veri Dei, in imagine, cum imagine, vel per imaginem facta; cum Scriptura diserte testetur, vituli adoratores in deserto publicasse festum Jehovae, Ex. 32, 1. et Micham post effictam fusilem imaginem quae Teraphim vocatur, Jud. 17, 4. ex argento quod diserte scribitur dedicatum fuisse Jehovae, dixisse, nunc novi Jehovam benefacturum esse mihi, ibid. v. 13. et cultum vitulorum Jeroboam, dictum fuisse timorem Jehovae, 2 Reg. 17, 28. adeo ut Jehu qui vitulorum fuit patronus, et non recessit a peccatis Jeroboam, gloriaretur tamen apud Jonadabum de zelo suo pro Jehova, 2 Reg. 10, 16.

XIV. Nec obstat quod Scriptura vitulos illos alienos Deos appellat, quod Judaeos dicit Daemoniis non Deo immolasse, obtulisse sacrificium Idolo, etc., non agitur enim illis locis, de hominum adorantium sensu et existimatione aut inten-

tione, sed de veritate rei ex judicio Dei, verbo et facto testantis, cultum illum contra verbi praescriptum usurpatum, sibi displicuisse, et Daemonem auctorem habuisse; etsi secundus hic Idololatriae modus a primo quo creatura pro Deo directe colitur, gradibus differat, quos gradus etiam Scriptura distinguit in Achabo, cum ait, 1 Reg. 16, 31. leve illi fuisse ambulare in peccatis Jeroboam, abiisse et servivisse Baal, incurvavisseque se ei, quae graduum distinctio locum non haberet, si Jeroboam statuisset directam vitulorum adorationem sine relatione ad Deum Israëlis.

XV. De origine Idololatriae non est quod longum contentionis funem ducamus, si originem referamus ad tempus quo coepit. Si de Idololatria, ut ita dicam, spirituali, quaestio intelligatur, non dubitamus, eam a daemonibus suggestam hominibus illis qui veri Dei ignorantia primum laborarunt, et vanis affectibus sese dediderunt. Si de Idololatria externa, per signa et imagines quaeratur; de tempore etiam nihil potest certi responderi. De occasione, fere omnes ex libro Sapientiae, primos existimant fuisse Idolorum auctores qui hunc honorem detulerunt mortuis, ut eorum memoriam superstitiose colerent, cum acerbo luctu dolens pater, cito rapti filii sibi fecit imaginem, etc., quem locum varii varie exponunt, inter quos ii rem acu tangere videntur, qui non primum Idololatriae principium, sed magis tritum et publicum auctorem indicasse referunt; ubi tamen notandum, auctorem illum, imagines filii a patre factas, Idola appellare, c. 14, 15.

XVI. Sed cum de re ipsa constet, non tam de origine litigandum, quam de abolitione laborandum, et iis liberandis qui hoc errore detinentur, saltem convincendis, qui verbis et exemplo Idololatriam promovent et stabiliunt; quales hoc tempore affirmamus esse Pontificios omnes, illos quidem seductos, hos vero seducentes, idque multis nominibus, et in variis capitibus.

XVII. Primum et praecipuum est in cultu Sacramentalis Panis in Eucharistia, quem illi non negant a se exhiberi plane Divinum, cum signo ad elevationem Hostiae dato, omnes, genibus flexis, aut toto corpore prostrato Sacramentum adorant tamquam Deum suum; quam Idololatriam duplicant in circumgestatione Panis, praesertim in proprio ad id dicato festo, pronunciantes anathema contra omnes, qui Sacramentum hoc

latriae cultu, etiam externo, adorandum aut in Processionibus circumgestandum, aut publice ut adoretur, proponendum esse negant, Concil. Trid. Ses. 3. Can. 6.

XVIII. Falsum enim est quod supponunt, vi Transubstantiationis nullum aliud hic esse suppositum praeter Christum; cum, ipsis etiam fatentibus, accidentia maneant, quae a Christo in personae unitatem non sunt assumpta; et quae etsi merae creaturae sunt, ita adorantur, ut ad ea se referat primum adoratio et cultus omnis, qua ratione etiam agunt de adoratione Sacramenti; Deus autem non est Sacramentum. Accedit, quod certi esse non possunt de consecratione vera Panis, quae pendet a ministri intentione, de qua cum apud illos non possit esse certitudo Fidei, cum Samaritanis adorant quod nesciunt, Joh. 4, 22.

XIX. 2. Idololatriam committunt in cultu Sanctorum, tam Angelorum quam hominum, quos constat ab ipsis adorari, invocari, iis donaria cum religiosis ceremoniis offerri; iisdem, saltem ad praxin quod attinet, Deitatem affingi; cum ubique invocentur quasi essent infiniti; etiam mentis oratione, ac si cordium essent scrutatores, iis vota nuncupentur, quod Deo tantum competit; Templa, altaria et festi dies in eorum honorem consecrentur. Quibus actionibus, aut ipsis opinionem Deitatis conciliare volunt, aut praecipuum Orthodoxorum argumentum pro Filii et Spiritus Sancti Deitate evertunt, imo in utrumque labuntur incommodum.

XX. Quam Idololatriam in cultu B. Virginis Mariae ita conduplicant, ut nihil sive in verbis, sive in factis, Deo proprium relinquant: imo supra Christum Deum in aeternum benedictum, eandem evehant, tamquam quae ipsi etiam in hoc statu gloriae imperet. Sic enim illi: Quid est esse Matrem Dei. Mater est causa Filii, Mater superior est Filio, Matri debetur honor a Filio, Matri tenetur morem gerere Filius. Cost. (in Hymn. Ave Maris Stella.) qui etiam omnipotentiam in coelo et in terra eidem tribuit, et alii, misericordiae regnum ejusdemque dispensationem, Biël in Can. Missae lect. 80. ipsi a Deo mandatam, reservato sibi justitiae regno. Unde factum est, quod post Bonaventuram, in Psalmo in eum finem composito, omnia quae

in Psalmis Deo et Christo tribuuntur, Domini nomine in Dominae mutato, per summum sacrilegium adjudicent.

XXI. 3. Ejusdem criminis rei sunt, cum Sanctorum, praesertim Martyrum corporibus (si tamen Martyrum, ut cum Augustino, de opere Monach. cap. 28. excipiam) corporum particulis aut reliquiis quibusvis, vim quandam supernaturalem affixam statuunt, qua in modum physicarum causarum, et non solum efficacia, ut loquuntur, morali, proprie morbos abigere, daemonia ejicere, et contactu suo benedictiones corporis et animae conferre contendunt; eorundem Sanctorum membra, cineres, vestes, etc. religiose colunt et adorant, eadem ad cultum e sepulcris eruunt, asservant in templis, includunt aureis et argenteis thecis, in processionibus circumgestant. Quibus cum divinam virtutem ascribant, in iisdem fiduciam collocent, in loco religioso easdem ad cultum proponant, iis suffitum offerant, adorabundi coram iis procidant, dies festos ad earum cultum consecrent, ad earum tactum juramentum praestent, ut religionem iis majorem concilient, votivas peregrinationes instituant; apertam ab iis et multiplicem Idololatriam committi, non est quod dubitemus; cujus horrendae profanationis, hoc jam de ipsis sumpsit supplicium Deus, quod excaecati, falsis et suppositis reliquiis delusi sint, et acciderit saepe ut eorum corpora adoraverint in terris, quorum animae torquentur in inferis; praeter socordiam illam qua brutorum etiam animalium ossa, non raro pro humanis deosculati sunt, ut Genevae ante lucis ortum, cervinum membrum pro Antonii brachio, et pumicem aridum pro Petri cerebro.

XXII. 4. Multiplicis item Idololatriae convincuntur in efformatione et cultu variarum imaginum Dei et Sanctorum. Imagines enim S. S. Trinitatis effingere praesumunt, contra expressam Dei prohibitionem, caventis serio, ne ullam ei similitudinem exprimamus, Deut. 4, 15. quod etiam fieri non posse testatur Scriptura, Es. 4, 18. Act. 17, 29. Rom. 1, 13. cui Patres omnes qui de hac re scripserunt, consentiunt usque ad Damascenum alias Iconolatram, qui tamen summae esse insipientiae et impietatis Deum figurare fatetur, eumque sequentes inter Pontificios: Abulensis, Peresius, Hesselius et alii, agnoscente ipso Bellarm. De Imag. Lib. 3. cap. 8. qui etsi sacrilegium illud palliare conetur, adductis quibusdam locis

ex Scriptura, in quibus membra humana Deo tribuuntur, vel apparitiones quaedam describuntur, in quibus effectus, judicia, vel opera Dei metaphorice adumbrantur, quae ab hominibus non possunt aut debent exprimi, eo tandem deducitur ut dicat, in Ecclesia Romana non esse tam certum, an sint faciendae imagines Dei sive Trinitatis, quam Christi et Sanctorum, quia hoc ad fidem pertinet, illud est in opinione. Si in opinione tantum sit, an sint faciendae, certe multo magis an sint colendae. At non potest esse cultus Deo gratus qui fit sine fide; ingratissimus autem est qui fit contra fidem, qualis hic est de quo agimus.

XXIII. In cultu imaginum Sanctornm hominum, quas Synodus Nicaena sub Irene perfecte adorandas decrevit, etsi inter recentiores Papistas varii sint loquendi modi, quibusdam rotunde profitentibus, Imagines Trinitatis et Christi eadem esse adoratione colendas, qua prototypi, nec duas sed unam et eandem esse adorationem, quod docuit Thomas, part. 3. q. 25. art. 3. aliis, et praesertim novis Jesuitis, varias distinctiones excogitantibus; convenit tamen inter omnes, 1. Imagines apud eos ad cultum religiosum consecrari. At Imaginum consecratio est Idololatria, inquit Tertul. Lib. de Idolol. cap. 4. 2. Conjuncte concipi cum exemplari quod adoratur, easque adorari non solum per accidens vel improprie, sed etiam per se et proprie, ita ut terminent venerationem, ut in se considerantur, eoque cultu qui analogice et reductive pertinet ad speciem ejus cultus qui debetur exemplari; neque dicendum eas improprie esse venerandas, quia quod non dicitur nisi improprie, simpliciter negari potest. Quae omnia sunt Bellarmini de imaginibus, cap. 21. et cap. 25. qui propterea cum Baronio, Ecclesiae Gallicanae Episcopos, qui Ludovico Pio regnante, in Synodo Lutetiae congregata decreverunt, imagines non esse adorandas, sed in Ecclesiis conservandas ad ornatum et populi instructionem historicam, erroris arcessit.

XXIV. Cum autem haec adoratio aut veneratio Imaginum, quocunque tandem distinctionum fuco pallietur, religiosa inter cultores habeatur, qui etiam suppliciter se coram iis prosternunt, capita aperiunt, genua flectunt, sertis, corollis, vestibus

pretiosis, eas exornant, iisdem cereos accendunt, suffitus adolent, oscilla et anathemata appendunt, easdem circumgestant ut pluvias e coelo eliciant, et alias Divini cultus species ipsis exhibent; non tam audiendum quid dicant, quam conspiciendum quid agant. Nam quod Cajetano objicit Bellarm. de ipso etiam et sodalibus verum est, cogi eos subtilissimis uti distinctionibus, quas vix ipsimet intelligunt, nedum populus imperitus; ubi supra, c. 20. At, qui non intelligunt distinctiones, facta diligenter imitantur, et eodem Idololatriae crimine involvuntur, praesertim cum etiam audiunt imaginem consecrari ut sit Daemonum sancta expulsio, Angelorum advocatio, fidelium protectio, etc., quae verba habentur in consec. Imag. B. Joh. Evang. Pontif. p. 172. parte 2.

XXV. Huc etiam pertinet multimoda σταυρολατρεία Pontificiorum. Crucem enim quam veram esse existimant, latriae cultu adorari debere definiunt duplici nomine, quatenus repraesentat Christum crucifixum, et propter contactum Christi membrorum. Aliam vero quamlibet etiam λατρείᾳ adorant propter repraesentationem; spem et fiduciam in cruce collocant, et a ligno crucis benedicto exspectant remedium generi humano salutare, fidei soliditatem, bonorum operum profectum, et redemptionem animarum, Pontific. part. 2. tit. de benedict. novae crucis. Et in die Parasceues omnes a summo ad minimum, crucem latria venerantur, tamquam spem unicam, augentem piis justitiam et reis veniam donantem. Suaves etiam odores cruci offerunt, fatente Bellar. de Eccles. triumph. Lib. 1. cap. 13. At, Helena invenit titulum, Regem adoravit, non lignum; utique quia hic gentilis est error et vanitas impiorum, Ambr. in orat. funeb. Theodos.

XXVI. 5. Ad multiplicem illam Ecclesiae Romanae Idolomaniam pertinet efficacia quam rebus a se consecratis tribuunt, aquae, sali, oleo, ramis palmarum, cereis, agnis et similibus, quas consecratione adipisci quandam spiritualem virtutem praetendunt, eamque Divinam, si Bellarmino fides adhibeatur, de Sanct. beat. Lib. 3. c. 7. prop. 3. unde fiduciam suam in illis rebus collocant, et ab iis sperant remedia contra insultus Diaboli, morbos et alia pericula. De agnis Dei

Pontifex petit in eorum consecratione, ut agni immaculati virtutem accipiant eandem quam Agnus innocens immolatus in ara crucis, contra omnes Diaboli versutias, et fraudes maligni Spiritus, ut eos devote ferentibus nulla tempestas praevaleat, nulla adversitas dominetur, nulla aura pestilens, nullus morbus caducus, etc. partus incolumis servetur, Cerem. Eccles. Rom. Lib. 1. cap. 7. Eadem exempla in plerisque aliis proferri possunt ex ritualibus libris; ex quibus constat apertissime, eos creaturis ascribere quae Dei propria sunt, idque ex humana institutione, sine ullo Dei verbo; ut minus mirum sit, si ipse Pontifex, primarius harum rerum consecrator, qui sanctos ipsos apotheosi donat, divinis honoribus apud eos colatur, et in abominandum Idolum degeneret.

XXVII. Quod de imaginibus dictum est, non ita accipiendum, ut in universum existimemus omnem imaginum usum esse illicitum; id enim tantum de imagine Trinitatis absolute intelligimus. Ad creaturas quod attinet, extra Idololatricum cultum contra primam legis tabulam; aut obscoenitatem, turpitudinem, et alium similem abusum contra secundam; artem imagines effingendi non damnamus, quam ad historiam et ornatum in communi vita aliquid conducere non negamus. In locis autem sacris ubi Deus colitur, non solum necessarias non esse, etiamsi ad usum historicum, doctrinalem, aut memoriae subsidium in iis collocentur, censemus; sed etiam periculosas esse, ac proinde illicitas, nec ferri debere in templis Christianorum, sed tolli et aboleri, quantumvis non adorentur: ne errare mereantur qui Christum et Apostolos ejus, non in codicibus scriptis, sed in parietibus pictis quaerunt, August. de Cons. Evang. Lib. 1. c. 9.

XXVIII. Neque etiam omnes cultus aut honoris distinctiones absolute rejicimus, etsi πολυθρύλλητον illam λατρείας et δουλείας sensu Pontificio, approbare non possimus. Nam si nominum non solum significatio spectetur, sed etiam Scripturae usus, utraque tribuitur Deo et hominibus. ἔργον λατρευτὸν appellant LXX. omne opus servile, Lev. 23, 7. 8. 21. quod opponitur operi religioso; cum hic agatur de iis operibus, quae die Sabbati fieri non debebant, et Paulus Gal. 4, 8. δουλείας cultum vindicat soli Deo vero, cum Galatas culpat quod illum reddi-

derint iis qui natura Dii non sunt. De ὑπερδουλείᾳ nihil in Scriptura, neque etiam in ullo vetere scriptore reperitur. Creaturis igitur reddere possumus Latriam et Duliam. Creatori etiam Latriam et Duliam praestare debemus, i. servire debemus creatori et creaturae.

XXIX. Sed ne eodem cultus genere, quod fas non est, id fiat, distinguenda sunt diversa membra cultus religiosi et civilis aut dilectionis et societatis; quam distinctionem probavit maxime Augustinus, qui satis vidit non sufficere simplicem illam λατρείας et δουλείας, quia, ut idem ait, in Exodum qu. 94. δουλείᾳ debetur Deo tamquam Domino, quam non deberi Sanctis defunctis, idem docet, cum ait, de vera relig. cap. 1. eos a nobis honorari caritate, non servitute. Et Martinus Peresius Ajala scriptor Pontificius, De Tradit. part. 3. de cult. Sanct. profitetur, se nescire an hoc officium appellari debuisset δουλείᾳ, cum veneratio illa quae communiter Sanctis debetur, minime in signum servitutis exhibeatur. Omnes enim servi Dei sumus, quanquam meritis et sanctitate dispares. Deum igitur solum religiose colimus, Fideles autem et Sanctos caritate, non servitute, dilectione et societate, quae omnia sanctis Angelis et hominibus reddimus modo conveniente, iis qui nobiscum familiariter non conversantur, saltem (de Angelis dico) visibili modo, et qui infiniti non sunt: nempe memoriam eorum sancte recolentes et eorum excellentiam agnoscentes et praedicantes. Denique civilem servitutem et honorem reddimus iis quibuscum in societate humana vivimus secundum uniuscujusque gradum et ordinem. Hoc modo perspicue distinguuntur, quae Deo et hominibus debentur.

XXX. Cum autem Domino nostro Jesu Christo, aeterno Dei Filio, omnimodum religionis cultum aequaliter cum Patre et Spiritu Sancto tribuamus, hoc ipso profitemur, nos eum agnoscere pro Deo in aeternum benedicto. Ac proinde detestamur Idololatriam novorum Samosatenianorum, qui sibi Idolum Christi fabricarunt; cum, sublata ipsi Divinitate, eoque in ordinem creaturarum redacto, eidem nihilominus Divinos honores tribuunt, abominandae sectae antesignani, etsi gregalium quorundam ingratia, qui necessariam ἀκολούθησιν Nazianzeni agnoscunt, εἰ δὲ προσκυνητὸν, πῶς οὐ σεπτὸν, εἰ δὲ σεπτὸν, πῶς οὐ θεός. Hinc Patres

et Concilia Arium et Nestorium Idololatriae condemnarunt, quod Christum adorarent; quem ille Deum creatum, hic hominem a persona τοῦ λόγου divisum existimavit; imo ipsa Nicaena Synodus secunda, et 7. in Epist. Synod. ad Const. et Iren. Nestorii in homine Idololatriam anathemate ferit, et Arrianos Deum ut creatum adorantes, juste a Basilio Idololatras fuisse appellatos pronunciat. Et recte Nazianz. Qui creaturam adorat, etiamsi in nomine Christi id facit, est Idololatra, Christi nomen Idolo imponens, vid. Athan. contra Arrian. orat. 1. Nyssen. in laud. Basil. Eund. orat. Funeb. de Placilla Nazianz. orat. 40.

XXXI. Gravissimum autem esse peccatum Idololatriae, Scripturae omnes testantur et ipsa rei natura, cum spirituale sit adulterium simulque sacrilegium, quo amor, timor et honor soli Deo debitus, ad Idola, quibus Deus gloriam suam dare non vult, Es. 42, 8. tamquam ad corrivales injuste transfertur, Hos. 1, 2. et seq. Maximum est uxoris crimen, si sacram conjugii fidem violet; subditi, si alteri honorem Regi debitum deferat; ut non immerito Deus praecepto de Idololatria vitanda addiderit, se Zelotem esse, visitantem iniquitatem patrum in filios in tertiam et quartam generationem, eorum qui oderunt se, etc.

XXXII. Merito igitur gravitatem peccati sequitur poenae pondus, tam in hac vita quam in futura. In hac vita, caecitas mentis, spurcities corporis, et punitiones aliae temporales, divinitus immissae, quorum longus texitur catalogus, Deut. 28. a v. 16. usque ad finem. Sed quod maxime metuendum est, foris erunt omnes Idolis servientes, id est, a regno coelorum exclusi, et pars eorum erit in stagno ardenti igne et sulphure, quod est mors secunda, Apoc. 22, 15. 1 Cor. 6, 9. Apoc. 21, 8. Quapropter Filioli custodite vobis a simulacris, Amen. 1 Joh. 5, 21.

COROLLARIA.

Cum nulla sit consensio templi Dei cum Idolis, merito ab Ecclesia Romana secessionem fecerunt Orthodoxi,

obtemperantes Patris mandato: Exite e medio eorum et separamini, dicit Dominus, et impurum ne attingatis; et ego suscipiam vos, 2 Cor. 6, 16. 17.

DISPUTATIO XX.

DE

Juramento.

Praeside D. ANTONIO WALAEO.

Respondente PETRO LAOVICO.

Thesis I.

Juramentum (quod Graeci ὅρκον ab ἕρκος, quia veritatis est firmamentum, vocant) a jure derivari, manifestum est, quoniam id quod juratur, instar legis alicujus ratum esse debet, quemadmodum clarius ex Jurisjurandi voce liquet, quae idem quod Juramentum notat; etsi nonnulli velint illud ab hoc differre, quod Jusjurandum in re controversa interponatur, Juramentum vero generalius etiam in re non controversa usurpetur.

II. Significat autem Juramentum, ut Cic. Lib. 3. Officiorum testatur, religiosam veritatis affirmationem, unde et sacramentum Latinis vocatur, quia Juramenti interventu veritatis confirmatio, sacra et religiosa redditur.

III. De hujus Juramenti usu legitimo, aut abusu, jam nobis agendum. Quod ut ordine et compendiose fiat, primo Juramentum Christianis esse licitum demonstrabimus, deinde quodnam et quale illud sit, ex Scriptura Sacra videbimus, ac denique quaestiones nonnullas, quae circa usum aut abusum Juramenti versantur, examinabimus.

IV. Inter veteres Judaeos primi omnium Esseni Juramentum omne aeque atque perjurium condemnabant, ut Josephus, Lib. 2. de Bello Jud. c. 7. refert. Eos olim secuti sunt quidam Monachi Humiliati dicti, et hodie Anabaptistae. Imo vero et multi Pontificii abstinentiam a Juramento inter consilia referunt, et majorem perfectionem in ea constituunt.

V. Nos vero sicuti plurima Juramenta plane illicita esse asserimus, sic quoque Jusjurandum aliquod esse legitimum, ac proinde non tantum licitum sed et nobis non minus sub Novo quam sub Veteri Testamento in verbo Dei praescriptum, contra omnes illos asserimus.

VI. Prima demonstratio sumitur ex eo, quod Juramentum sit legis naturae, sicuti ex omnium gentium usu liquet, unde et Aristoteles Jusjurandum in Rhetor. ad Alex. cap. 18. definit, φᾶσιν ἀναπόδεικτον μετὰ θείας παραλήψεως, et Cicero affirmationem religiosam Deo teste adhibito. Etsi enim in falsorum numinum attestatione errarint, tamen in rebus seriis, et magni momenti assertionibus, illud quod pro Deo colebant, in testimonium vocandum esse universi agnoverunt.

VII. Quod argumentum tanto est firmius, quia legi morali, divinae et aeternae innititur. Quum enim Deus nomen suum in vanum usurpari vetat, ex contrario sensu nomen suum cum debita religione ac reverentia etiam usurpari in Juramentis concedit. Quemadmodum Moses et Prophetae id ipsum saepius inculcant, ut Deut. 6, 13. et 10, 20. Jehovam Deum tuum timeto, eum colito et ei adhaereto, ac per nomen ejus jurato, ipse enim est laus tua, etc. et Ps. 63, 12. Rex ipse laetabitur in Deo, gloriabitur quisquis jurat per eum, quia obturabitur os loquentium mendacium, atque alibi passim.

VIII. Legis autem naturae ac moralis usum ad Christianos sub Novi Test. statu constitutos spectare, inter omnes Christianos pro confesso habendum, nam Christus Mat. 5. legem in hoc quoque praecepto, a falsis Pharisaeorum interpretationibus vindicaturus testatur, se non venisse, ut legem solveret, sed ut impleret, vers. 17. imo vero, eum qui vel unum ex minimis illis praeceptis solveret et ita homines doceret, minimum futurum esse in regno coelorum, docet v. 19.

IX. Secunda demonstratio sumitur ex praedictionibus Propheticis; quae singulari Dei beneficio inter gentes ad Christum conversas sub Novo Testamento futurum promittunt, ut per solum Deum verum juretur. Tale vaticinium est Es. 45, 2. Respicite ad me et servemini omnes fines terrae, etc. per me juravi, prodiit ex ore meo verbum, quod

non revocabitur, mihi incurvatum iri omne genu, juraturam omnem linguam. Et Es. 65, 16. de tempore Novi Testamenti agens, Qui sibi benedicturus est in terra, benedicat sibi per Deum firmi, et juraturus in terra, juret per Deum firmi. Tale vaticinium etiam exstat Jer. 5, 2. et 12, 16. Ecquis vero ausit asserere, illud interdictum esse fidelibus Novi Testamenti, quod Deus tamquam singulare beneficium iis se praestiturum promittit?

X. Tertio idem invicte probatur ex exemplis, quae non tantum in Veteri Testamento occurrunt, sed etiam in Novo. Exempla Veteris Testamenti a Deo ipso praestita, aut probata, sunt ubique obvia et controversia carent; exempla quae in Novo exstant, non sunt minus illustria. Apostolus Rom. 14, 11. demonstrat, nos omnes comparituros esse coram tribunali Christi, quia scriptum est, Vivo ego, dicit Dominus, mihi se flectat omne genu, et in Epistola ad Heb. cap. 7, 20. colligit Apostolus, Christi sacerdotium esse praestantius, quam Leviticum, quia interposito Dei jurejurando, sacerdos Novi Testamenti est factus, quae verba etsi ex Veteri Testamento citentur, tamen cum vis et effectus eorum sub Novo demum Testamento plene fuerit exhibendus, ipsum illud juramentum ad Novi Testamenti tempus omnino spectat. Quum autem Deus Pater Christum sacerdotem Novi Testamenti per jusjurandum constituerit; Christus vero ipse omnes sibi subjectum iri, in Novo Testamento aperte juraverit, sequitur evidenter, et Deum Patrem et Christum juramenti usum suo exemplo confirmare.

XI. Alia exempla Novi Testamenti idem quoque confirmant. Nam ut solennem illam asseverationem Christi, Amen, Amen, jam praeteream, Apostolus Paulus Rom. 9, 1. plenam juramenti formam exprimit, quum inquit: Veritatem dico in Christo, non mentior, conscientia mea mihi attestante per Spiritum Sanctum., et 2 Cor. 1, 23. Ego Deum testem, invoco in animam meam. Quemadmodum et ad Rom. 1, 9. et Phil. 1, 8. Testis est mihi Deus cui servio. Sic denique Angelus jurat per viventem in secula seculorum Apoc. 10, 6.

XII. Idem denique evincit juramenti legitimi natura ac finis. Quum enim verum juramentum sit quaedam divini nominis in-

vocatio, in qua Deus et cordium cognitor et veritatis vindex agnoscitur ab iis qui jurant, ut exempla et loca supra proposita ostendunt; et cum finis legitimi juramenti ab Apostolo Hebr. 6, 16. laudetur, quod sit πάσης ἀντιλογίας πέρας εἰς βεβαίωσιν, omnis controversiae finis ad confirmationem inter homines: inde necessario colligitur, ejus usum inter homines laudabilem esse et a Deo probatum.

XIII. Primo igitur hoc nostrae disputationis membro monstrato, jam nobis legitimorum juramentorum natura ac conditio diligenter est inquirenda, ut licita ab illicitis, ex Dei verbo possimus distinguere.

XIV. Juramentum ergo legitimum esse asserimus, actionem religiosam, qua Deum in testem eorum quae dicimus aut promittimus, invocamus, ut de eorum veritate ac certitudine alios securos reddamus, quando gloria Dei, Ecclesiae aedificatio, patriae salus, aut proximi caritas id a nobis postulant.

XV. Actionem esse religiosam, ex invocatione divini nominis patet; unde et in solennibus juramentis ritus quidam religiosi observari inter homines semper fuerunt soliti; in quorum tamen observatione superstitio et idololatria diligenter cavenda est.

XVI. Forma hujus invocationis est duplex: vel enim simpliciter Deus in testem veritatis invocatur, quemadmodum ex Rom. 1, 9. et Phil. 1, 8. antea visum est; vel invocationi illi simplici exsecratio adjungitur, qua Dei in nos vindictam si fallamus, vel auxilium aut beneficium si vera juremus, imprecamur: cujusmodi diversae formulae passim in Scripturis occurrunt, vide Ruth 1, 17. 1 Reg. 1, 29. et 2, 23. 24. Item 2 Cor. 1, 23. etc.

XVII. In utroque hoc jurandi modo, sive simplici, sive cum imprecatione conjuncto, solius Dei nomen esse invocandum, asserimus; cum et ille solus sit καρδιογνώστης, et supremus veritatis occultae vindex, et sacrae literae in omnibus qui de vero juramento agunt, locis, solius veri et viventis Dei nomen sonent.

XVIII. Unde perspicuum est, assertiones nonnullas a viris etiam sanctis nonnumquam usurpatas, ut a Joseph. Gen. 42, 15. Ita vivat Pharao; ab Anna, matre Samuëlis, 1 Sam. 1, 26. Ut vivit anima tua, Domine mi, etc. non esse juramenta proprie dicta, quia nulla hic est annexa invocatio; sed tantum collatio cum rebus, quarum incolumitas ac dignitas illis erat cordi, aut de quarum veritate inter ipsos constabat.

XIX. Impie ergo quidam sacrificuli, et alii, gentilium diras imitati, ut veritatem suae religionis aut assertionis coram obstupefacto populo affirment, Satanam vel inferni diras adversus sese invocant; cum solus Deus veritatis occultae judex et vindex in sacris literis nobis proponatur. Impie quoque Pontificii in juramentis suis cum invocatione nominis divini, Sanctorum defunctorum invocationem conjungunt; contra aperta mandata Dei, Deut. 6, 13. et 10, 20. item Es. 45, 22. et 65, 16. quorum Thes. 7. et 9. a nobis expressa est mentio.

XX. Subjectum circa quod juramenta legitima versantur, sunt, ea quae dicimus, aut promittimus. Nam factorum veritas per juramenta asseritur, futurorum vero certitudo per juramenta promittitur, unde et juramenti in assertorium et promissorium divisio est orta.

XXI. Utrumque sine dolo aut fraude, per verba secundum communem hominum consuetudinem intellecta fieri debet, contra Jesuitarum mentales reservationes, et Anabaptistarum fraudulentas aequivocationes. Nam si in omni sermone nostro, nostrum etiam debet esse etiam, et non, non, ut Christus praecipit, Matth. 5, 37. et Apostolus Paulus repetit, 2 Cor. 1, 18. quanto magis hoc in jurejurando est observandum.

XXII. Quod ea speciatim attinet, quorum veritas jurejurando asseritur, ea certo oportet esse cognita ac perspecta. Temerarium enim est, Deum in testem ac vindicem veritatis nobis incertae, tamquam certae vocare, sicut jurisjurandi verus usus quoque ostendit; est enim πάσης ἀντιλογίας πέρας, ut ex Apostolo Heb. 6, 16. audivimus.

XXIII. Quod porro rerum futurarum promissiones attinet, jurandum hic nobis ex praescripto Dei, Jer. 4, 2. in veritate, in judicio et in justitia.

XXIV. In veritate; quia non tantum lingua ac verbis, sed et animo ac sincero proposito est promittendum, contra infidum hoc hominum genus, qui lingua jurant, sed mentem injuratam gerunt. In judicio; quia nihil leviter ac temere, et quod nullo modo est in nostra potestate, promittendum; alioqui enim nomen Domini in vanum assumitur. In justitia denique; quia nihil nisi honestum ac justum est jurejurando promittendum; illicita enim male jurantur, ac pejus observantur.

XXV. Ex quibus patet, juramenta, ex iracundia aut simili

affectu profecta, non esse legitima; quale fuit Davidis, cum internecionem domui Nabalis iratus juravit, 1 Sam. 25, 22. Aut de rebus incertis, quale fuit Herodis, qui puellae saltatrici daturum se juravit, quicquid petiisset, Matth. 14, 7. Aut de rebus impiis, quale fuit Judaeorum illorum, qui se cibum non sumpturos conjurarant, nisi occiso Paulo, Act. 23, 13.

XXVI. Ad promissorium hoc juramenti genus, vota pertinent, ad quorum rectum usum, conditiones in omni legitimo juramento requisitae quoque pertinent.

XXVII. Unde liquet, omnia illa vota esse condemnanda, quae vel creaturis fiunt, vel temere, et de rebus vetitis, aut in nostra potestate non sitis, nuncupantur. Ad quae referimus vota, quae inter Pontificios Sanctis voventur, item tria illa quae Monachatui communia sunt, nempe paupertatis voluntariae, caelibatus et obedientiae, ut vocant, regularis.

XXVIII. Legitima vero vota proprie circa res divinum cultum spectantes versantur, sive per se et directe, sive per accidens et indirecte.

XXIX. Quae per se et directe divinum cultum spectant, sunt vel universalia vel particularia.

XXX. Universalia rursum sunt vel ordinaria et perpetua in Ecclesia Dei, vel extraordinaria et certis tantum casibus renovata.

XXXI. Ordinaria sunt, per quae singuli fideles ad totum cultum divinitus institutum, observandum, a se, aut parentibus suis obligantur; quae obligatio in Novo Testamento per Baptismum inchoatur, per Sacram vero Coenam renovatur ac confirmatur. Unde et illius obligationis signacula, Sacramenta a veteri Ecclesia sunt appellata.

XXXII. Extraordinaria voco, quae certis casibus aut temporibus nonnunquam a tota Ecclesia, aut ab illius optima parte renovantur, adversus aliorum a vero Dei cultu defectionem, aut corruptionis futurae metum, qualia vota publice a Josua, Jos. 24, 25. a Josia, 2 Reg. 23, 3. ab Esdra, Esd. 10, 5. et nonnullis aliis, inter Dei populum fuerunt instituta.

XXXIII. Particularia vota appello, quae a particularibus Ecclesiae membris fiunt, idque vel in rebus necessariis et per se sanctis, vel in rebus mediis et per se adiaphoris.

XXXIV. In rebus sanctis et bonis pii nonnunquam novo voto se obstringunt, ut calcar sibi ad virtutem aliquam a Deo prae-

ceptam addant; vel adversus nonnulla vitia, a quibus maxime infestantur, remedia validiora inveniant. Non quo per ejusmodi vota obedientiam suam Deo magis gratam, et ut volunt Pontificii, meritoriam constituant, aut majoris perfectionis gradum acquirant; sed quo infirmitatis suae sibi conscii, pluribus adminiculis se adversus Satanae ac carnis impetum confirment.

XXXV. Sic Job. 31, 1. testatur, se pepigisse foedus cum oculis suis, ne adverteret ad virginem, et Nehemias cum primoribus populi speciatim juramento se obstrinxerunt, quod porro non essent filias suas vicinis gentibus in matrimonium daturi, nec merces ab iis venales allatas, Sabbatis empturi.

XXXVI. Praecipua vero difficultas consistit in votis illis, quae de rebus mediis atque adiaphoris concipiuntur.

XXXVII. Sunt ea autem duplicia, vel enim res ipsae votis subjectae, quoad operis substantiam, verbo Dei praeceptae sunt, ac solae earum circumstantiae liberae atque arbitrariae; vel tam res quam rerum circumstantiae libero usui humano sunt relictae.

XXXVIII. Prioris generis exempla, sunt vota de jejunio et sui ipsius afflictione, Num. 30, 13. Vota de eleemosynis in pauperes, aut aliis sumptibus in Ecclesiae necessarios usus faciendis, Gen. 28, 20. Vota de seipso, aut suis Ecclesiae ministerio consecrandis, quale fuit votum Annae, 1 Sam. 1, 11.

XXXIX. Posterioris generis exempla, sunt in votis plane arbitrariis Veteris Testamenti; item in Rechabitis de abstinentia a vino, uvis, etc. item de non conserendis agris aut vineis, de non aedificandis domibus, de Tabernaculis habitandis, etc., quorum mentio fit et obedientia a Deo laudatur Jer. 35., etsi haec de obedientia politica a nonnullis explicentur.

XL. Prioris generis libertatem voto constringere, non existimamus illicitum. Tum quia res illae sunt perpetui usus in Ecclesia et per Christi adventum non abolitae; tum quia ejusmodi vota inter Patriarchas quoque usitata ante legem latam fuerunt, unde et inter omnes gentes ex lege naturae usurpata videntur.

XLI. Quod inde quoque suaderi potest; quod rerum illarum modus aliquis, exemplis et praeceptis Apostolicis, in genere saltem fuerit constitutus. Quemadmodum in jejuniis frequens fuit Apostolus, 1 Cor. 7, 5. et 2 Cor. 11, 27. de liberalitate in sanctos, pro divinae erga nos benedictionis modo, praecepta

dat, 1 Cor. 16, 2. et Stephanae familiam testatur se addixisse sanctis, in ministerium, id est, ministerio sanctorum se totos devovisse. Etsi enim hic votorum non fiat mentio, quum tamen certum cordis propositum in iis laudetur, non erit illicitum hoc cordis propositum, etiam voto, ad calcar nostrae negligentiae addendum, confirmare.

XLII. An vero posterioris generis vota sint licita in Novo Testamento, per quae, nimirum, rerum per se indifferentium usus ad unam partem perpetuo restringatur, difficilior est quaestio; nec de iis inter scriptores Orthodoxos convenit, quibusdam non licere, quibusdam licere affirmantibus, modo absit opinio cultus et adsit finis bonus.

XLIII. Nos ergo, salvo aliorum judicio, nemini licere existimamus sibi aut aliis absolute per votum interdicere usu earum rerum, quem Christus liberum esse voluit. Pugnat enim hoc cum praecepto Apostoli ad Gal. 5, 1. Perstate in illa libertate, qua Christus nos liberavit, et ne regredientes implicamini servitutis jugo. Item, ad Col. 2, 20. Si mortui estis cum Christo ab elementis mundi; quid ut viventes in mundo, ritibus oneramini, ne ederis, neque gustaris, neque attigeris, etc. Imo vero ut doctrina Daemoniorum condemnatur, abstinere a cibis quos Deus creavit, 1 Tim. 4. Si vero eorum discrimen aliis obtrudere non possumus, ergo nec nobis ipsis.

XLIV. Secundum quid tamen, et aliquo respectu id licere existimamus; nempe eo modo et in eum finem, quem Sacra Scriptura ipsa nobis praescribit, si, nimirum, eorum usus sit aliis futurus scandalo, aut cessurus nobis in licentiam carnis; has enim duas conditiones proponit Scriptura, Rom. 14, 20. Gal. 5, 13.

XLV. Et in hoc vovendi modo non praejudicatur libertati Christianae, quia Sacra Scriptura libertatem illam sic ipsa restringit. Alio vero modo aut fine hoc audere, superstitio est Christianis fugienda.

XLVI. Atque hinc quoque sequitur, quando metus scandali aut licentiae carnis ex earum rerum mediarum usu cessat, tum vim voti hujus quoque cessare; quia tum finem a Deo praescriptum non habet, ac proinde in ἐθελοθρησκείαν verbo Dei vetitam transit.

XLVII. Et haec quidem sufficiant de juramenti objectis in rebus sacris aut cultum Dei spectantibus; restant nonnulla de materia juramenti in rebus politicis et profanis.

XLVIII. Requiritur ergo, ut illa quae juramento asserenda aut promittenda sunt, non sint res leves aut vulgares; quales in communem hominum vitam quotidie incidunt, in quibus sermo noster esse debet, Etiam et non, ut Christus, Matt. 5, 37. jubet, sed ut sint res graves atque arduae, et in quibus Reipublicae salus aut proximi caritas singulariter versatur, sicut exempla Scripturae omnia ostendunt, et finis juramento propositus, Heb. 6.

XLIX. Sunt autem ea vel publica, vel privata. Publica sunt, confoederationes inter principes aut populos, inter Abrahamum et Abimelecum, ut Gen. 21, 31., et inter Isaacum et Abimelecum, Gen. 26, 28. et inter Nebuchadesnarem et Tsedekiam, 2 Chron. 36, 13. etc. Huc referimus juramentum fidelitatis inter Principes et subditos, item sacramentum militare, cujus utriusque exemplum 2 Reg. 11, 4. Huc quoque referimus juramenta judicialia, Ex. 22, 11., et alibi, item foedera conjugalia, Mal. 2, 14.

L. Privata vocamus quae inter privatos privatim fiunt. Quale exploratores Terrae Canaan Rachabae meretrici de ipsa et cognatione ejus a caede conservanda praestiterunt, Jos. 2, 12. Jacob et Laban de injuria aut noxa invicem non inferenda, Gen. 31, 53. David et Jonathan de mutua amicitia et cura, 1 Sam. 20, 12.

LI. Hoc tamen hic interesse videmus, quod inter personas aequales et sibi mutuo nondum subjectas, jusjurandum non nisi ex mutuo consensu fiat; inter eas vero quarum aliae aliis subjectae sunt, juramentum etiam imperari atque exigi possit, ut exempla supra allata evincunt.

LII. Hisce ad hunc modum breviter explicatis, subjiciemus jam aliquot quaestiones, quae in juramentorum praxi versantur et inter Theologos disputantur, ex quibus reliquarum, quas hic non memoramus, solutiones fere pendent.

LIII. Et primo quaeritur, An juramentum deferri possit iis, qui per falsos Deos, aut per creaturas jurant; cum per ejusmodi delationem peccandi occasiones suggerere videamur.

LIV. Ad hoc respondemus, inter personas quae sibi mutuo subjectae non sunt, quum alia ratione caveri non potest, id posse permitti; sicut exemplum Jacobi, qui per Deum verum,

et Labanis, qui per Deos Nachoris juravit, Gen. 31, 53. ostendit. Nam non ideo probatur vitium jurijurando adhaerens, etsi juramenti fides et veritas probetur.

LV. Secundo quaeritur, an juramenta per falsos Deos aut creaturas facta, servanda sint ab iis, qui postea melius edocti, errorem in juramento admissum agnoscunt. Respondemus, si res jurejurando promissae sint bonae et justae, omnino servanda esse ejusmodi juramenta arbitramur, ex Analogia loci Matt. 23, 16. et seqq.

LVI. Tertio quaeritur, an omnia juramenta et vota servanda sint, quae de rebus futuris concepta aut nuncupata sunt. Respondeo, omnia ea juramenta ac vota esse servanda, quae conditiones supra a nobis allatas habent, licet ea gravia nobis aut damnosa sint, ut David testatur, Ps. 15, 4. et exemplum, quod exstat Jos. 9. de Gibeonitis, et Jud. 21, 1. de Benjamitis, etc.

LVII. Si quae tamen jurejurando promissa sunt, quae cum Dei verbo pugnant, tum valebit illud vulgare, In turpi voto muta decretum, in malis promissis rescinde fidem, quemadmodum exemplum Davidis, 1 Sam. 25, 33. et Christi reprehensio, Marc. 7, 11. demonstrant. Nam nullum juramentum, quamlibet sacrum et vehemens, hominem potest solvere ab obedientia quam Deo debet, nec juramentum potest esse iniquitatis vinculum.

LVIII. Quarto quaeritur, an latroni aut piratae fides data sit servanda. Respondeo, latroni ac piratae servandam esse fidem in promissis quae damnum tantum privatum secum trahunt, ex dicto Davidis Ps. 15. Si quid vero adversus rempublicam, aut boni civis officium juramento promissum sit, id servari non potest, quia id contra legem Dei pugnat.

LIX. Quinto quaeritur, an fides haereticis sit servanda. Negant id Romanenses, quia lex Dei haereticos punire jubet. Sed respondeo, nec omnium haereticorum poenam mandat Deus, et si quorum poenam mandat, non mandat eorum poenam quibus fides publica in contrarium est data. Quemadmodum licet maledicentes principi divina lege puniebantur, noluit tamen David Simei propter hoc crimen, contra fidem datam poena commerita affici.

LX. Sexto quaeritur, an frangenti fidem fides quoque frangenda sit. Respondeo, in juramentis reciprocis aut conditiona-

libus, conditione ab una parte violata, alteram partem non amplius teneri, certum est. Sed si absolute quis quippiam alteri jurarit, et si alter suam fidem non praestet, non ideo perfidia ab altera parte est utendum.

LXI. Denique quaeritur, an a jurejurando praestito quispiam per alium solvi possit. Respondeo: de minoribus, aut sub aliorum potestate constitutis, Deus legem tulit, Num. 30. alios vero juramenta legitima solvendi aut dispensandi modos Sacra Scriptura ignorat.

DISPUTATIO XXI.

DE

Sabbatho et die Dominico.

Praeside D. ANTONIO THYSIO.

Respondente SAMUELE DAMBRINO.

Thesis I.

Posteaquam de Idololatria deque Juramento, ad explicationem prioris Tabulae Decalogi est actum, sequitur, ut de Sabbatho et Die Dominico συζήτησιν similiter instituamus.

II. Ac primo vocem quod attinet, שבת Sabath, idem valet quod cessare, quiescere, desinere. Unde שבת Shabbath, contracte, quasi שבתת ut vult Kimchi, et שבתון Shabbathon omnis cessatio sc. ab opere, et quies, nempe a motu et labore; quae relata ad Deum est speciatim cessatio Dei, et quidem ab opere creationis die septimo; ad hominem, ejusdem similiter cessatio hebdomadatim eodem die repetita, ei fini benedicto sanctificatoque. Unde utrumque, et ipsa cessatio et hic dies, Sabbathi nomine venit. Ac dicitur hic dies, dies Sabbathi, seu dies quietis, et שבת, שבתון Shabbath, Shabbathon, Sabbathum quietis, Ex. 31, 15. et simpliciter, Sabbathum. Quin dies septimus et Sabbathum pro eodum sumuntur.

III. Praeterea Sabbathi et Sabbathorum vox toti septimanae tribuitur, 2 Reg. 11, 7. Luc. 18, 12. scilicet, quod in hebdomade

Sabbathum est, a quo reliqui dies censentur; etiam singuli dies a Sabbatho denominantur, prima, secunda, etc. Sabbathi, id est, a Sabbatho; atque hi Gentilibus quibusdam, planetarum et idolorum, puta Saturni, Solis, Lunae, etc. nominibus indigitantur. At prisca Ecclesia, forte ut sese ab utrisque, Gentilibus et Judaeis, disjungeret, singulos septimanae dies ferias appellavit: quamvis Scaliger obtinuisse id velit, praecipuo quodam principis septimanae Paschatis (cujus dies omnes antiquitus feriati, teste Hieronymo, erant) auspicio, Lib. 1. de Emend. temporum.

IV. Id autem Sabbathum suo ambitu complectitur, praeter vulgare illud Hebdomadarum seu dierum, quod proprie Sabbathum est, etiam annorum; nempe tum anni septimi recurrentis, quod Sabbathum terrae dicitur, Ex. 23, 11., quia eo terra quiescebat inculta, et inde prognata pauperibus cedebant, unde et ad desolationem terrae Sabbathum transfertur; tum septies septem annorum expletorum, quinquagesimi scilicet, qui Jubilaeus, ac liberationis et remissionis appellatur, ob libertatis possessionumque restitutionem, Lev. 23, 15. Quae quidem ab eodem sunt principio, quietis nempe divinae, et synecdochice sub ea comprehenduntur. Sabbathum vero Thalmudicum septem millenariorum, quod mundi vocant, hic missum facimus.

V. Adhaec quaelibet tempora sacra et feriata, etiamsi in septimum diem non inciderent, generali notione etiam Sabbatha dicuntur, et sub illo synecdochice continentur, Ezech. 20, 22. et 23. cap. tum menstruum, ut Neomenia seu Novilunium, tum anniversarium, nempe tria festa maxime solennia; ut Paschatis, quod primi mensis anni, et septem diebus in Azymis, (unde festum infermentatorum dicitur) in memoriam transitus Angeli liberationisque ex Aegypto, et ad novarum frugum gratitudinem testandam, peragebatur; Pentecostes, quod expletionis septem a Paschate septimanarum, (unde et festum Hebdomadarum vocatur) in legis latae, et messis primitivorum (unde et denominationem habet) celebrationem; denique Scenopegiorum (cum quo conjungebantur etiam festa tubarum et expiationis) quod mensis septimi a Paschate erat et octo diebus, ad testandum ipsos in deserto in tabernaculis degisse, et ob fructus reliquos perceptos (quare et collec-

tionis appellatur) celebrabatur: ex quibus et illius et hujus primus et ultimus Sabbathum erat et vocabatur, Exod. 23, 14. Lev. 23. Deut. 16.

VI. Haec autem festa solennia, si in Sabbathum inciderent, ob duplicem festivitatem magnus dies Sabbathi vocabatur, Joh. 19, 31. At Scaliger simpliciter refert ad ipsam festivitatem, quod מועד, Mongned, seu חג, Chag, id est, statum seu solenne festum, septuaginta interpretes μεγάλην ἡμέραν vertant, Es. 1. Si vero plurium dierum, ut Paschatis et Scenopegias ultimus, puta septimus infermentatorum, et octavus Tabernaculorum, δευτερόπρωτον, secundoprimum Sabbathum dicebatur, Luc. 6, 1. quasi primum secundario repetitum, seu δεύτερον ὡς πρῶτον, id est, secundum primo par et aequale. At Scaliger esse vult, ὑπὸ δευτέρας πρῶτον, id est, a secunda die Paschatis, unde inibatur computus in Pentecostem. In Prolegom. ad I. de Emend. temp. et l. 6.

VII. Quinimo et passim, totus externus iste divinus cultus, seu excercitium publicum, Sabbatho continetur et intelligitur, nempe Res, Loca, Tempora, et Personae sacrae, Deo ejusque cultui, Divina praescriptione, consecrata dedicataque.

VIII. Attamen Sabbathi Hebdomadarii hic singularis est praeceptio, quod reliquis sit antiquius, excellentius, eorumque fundamentum: ac proinde singulariter hic mandatur, et a nobis considerandum est.

IX. Est porro Sabbathum solenne et ordinarium Festum a Deo institutum, Hebdomadarium scilicet seu septimus et quidem a creatione dies, ad imitationem Dei, eo die ab operibus creationis cessantis, a servilibus et quotidianis operibus externa similiter cessatione et quiete a Judaeis religiose ex Dei mandato observandus; sanctisque exercitiis divini cultus occupandus.

X. Sabbathi autem praeceptio haec non est a naturae necessitate, ut reliqua praecepta, quae menti insita ac per se cognita sunt, sed κατὰ συνθήκην, ex voluntaria Dei institutione, seu positivi (ut loquuntur) juris. Nam ut naturae sit, certa stataque tempora divino cultui dicanda, et quae ex divina praescriptione sunt, immote servanda esse, attamen hunc diem, et quidem huic parti divini cultus, puta memoriae creationis

et ob hanc causam, quod Deus eo tempore cessaverit; et simili modo quiete scilicet et otio, singulariter observari et celebrari, non naturae, sed instituti est. Potuisset enim hoc ipsum non sigillatim commemorandum hoc die proponi, sed creationis memoria aut initio ejus, aut termino, id est, diei primo aut ultimo deputari.

XI. Atque hinc etiam esse videtur, quod praeceptum hoc non negative, ut tria antecedentia, sed affirmative, et singulariter hac forma proponatur, Memento ut diem Sabbathi sanctifices; causaque ejus subjiciatur, Quia cessavit die septimo ab opere suo; secus quam in ceteris, quae menti insita et per se cognita sunt, fieri videmus.

XII. Atque hic dies, non humanae est institutionis, aut ex ἐθελοθρησκείᾳ, spontaneo cultu susceptus, sed Lege divinitus praeceptus imperatusque. Unde omnem necessitatem a Dei auctoritate accipit.

XIII. Is autem quando sit institutus, quibusque imperatus nempe, an jam inde ab initio, etiam ante lapsum, ab orbe scilicet condito, universim tum hominibus sit praestitutus, ut creationi coaevus, an vero post, Legis latae per Mosen tempore, Judaeis institutus, non perinde certum. Dicitur quidem Deus, sexto creationis die operibus suis absolutis, septimo ab illis quievisse, et ei benedixisse, eumque sanctificasse, Gen. 2, 2. 3. id est, non tantum augustum habuisse, sed et reliquorum numero exemisse ac religiosum homini esse voluisse; verum an ut destinatione, usu quoque a primordio fuerit an potius προλήψει anticipatione, inde certo non constat.

XIV. Certe Sabbathi ante legem Mosis nusquam ulla fit mentio, neque quisquam Sanctorum ejus cultor refertur, ut notat Tertul. Lib. adversus Judaeos, nisi quod ante Decalogum nomen, ratio et usus ejus declaretur Exod. 16, 5. etc., forte ut tum institutum vel quod complura externi cultus a Mose potius sunt restituta et amplificata, quam primitus instituta; ut ante diluvium sacrificia, Gen. 4. mundorum et immundorum animalium discrimen, Gen. 7. post diluvium, comestio carnis cum sanguine prohibita, Gen. 9., circumcisio, Gen. 17. Joh. 7, 22. aliaque, ita et hoc verisimile est.

XV. Attamen Deus Israëlitis Sabbathum dedisse singulariter dicitur, Ezech. 20, 12. illudque iis notum fecisse, Neh. 9, 14.

videlicet, vel ut rem cujus scientia aut usus ante non fuerit, vel quam intermissam et exoletam revocaverit et pristino usui restituerit. Sed parum interest, quid sit de temporis, aut personarum, quoad institutionem, circumstantia; tametsi prior sententia probabilior videri potest.

XVI. Rationalis interim et divinae sapientiae conveniens institutionis ejus assignatur causa, a jubentis auctoritate et conformitate exempli, videlicet Dei, duplicato ad obediendum vinculo. Congruum enim fuit, ut quemadmodum ipse a primo opere suo, Creationis scilicet, die septimo cessavit et quievit, ita et homines eo ipso recurrente die, a suis operibus quiescerent, ut ita Creationis cessationisque divinae celebraretur memoria. Non primum selegit, in quo creationis fuit inchoatio; neque postremum seu sextum, in quo consummatio, sed septimum in quo operum fuit complexio et ab iis cessatio. Ita ut septimus in numeri dierum creationis complexu censeatur. Ex Gentibus quidam, septimum similiter diem coluerunt, vel prisco usu, vel Judaeorum imitatione, vel, ut Hesiod. 2. Dierum, Linus, item Joseph. 2. cont. App. Clemens Alexand. 5. Strom. Euseb. De Praepar. Evang. Lampr. in Alexandro Severo, aliam forte ob causam, scilicet ob septem Planetarum revolutionem. Alii tamem nonum, alii decimum sacrum habuerunt.

XVII. Fines porro ejus plures sunt, ac distingui possunt, ut unus sit universalis, specialis alter. Universalis quidem, qui communiter totum humanum genus spectat; estque is primarius, nempe stato hoc Judaeis a Deo die, memoria absolutionis opificii Dei, atque ab eo requietis, seu Dei qua Creatoris agnitio et professio, Gen. 2, 2. Exod. 20, 10. in quo fidei exercitatio est, Hebr. 11, 3. Atque hoc fine cessatur a propriis operibus, ut divinis tanto melius vacare liceat.

XVIII. Assignatur et Politicus finis, refocillatio seu recreatio corporis a laboribus; etiam ejus qui sub alterius est potestate, servi ancillaeque, imo et jumentorum, Exod. 23, 12. Et respiret filius ancillae tuae. Deut. 5, 14. Ut requiescat servus tuus et ancilla tua sicut et tu. Memineris quod et ipse servus fueris in Aegypto. Scilicet, ne continuis laboribus fatigentur et conficiantur, sed eorum remissione fessa membra leventur et vires reficiantur. Non enim Deus tantum Creator, sed et Conservator est creaturarum, Ps. 36, 7.

Atque hic finis secundarius, ut sit alius a priori, ei tamen subordinatur et ad eum refertur, tamquam actus quidam caritatis, ita ut haec refectio etiam ad Dei cultum suo modo spectet.

XIX. Specialis vero est, qui Judaeos peculiariter, nempe per accessionem quandam spectat, seu accessorius et extrinsecus accedens: estque duplex. Primus est memoria eductionis ex Aegypto, Deut. 5, 15. Et memineris quod servus fuisti in terra Aegypti, et eduxit te Deus tuus inde manu valida et brachio extento; idcirco praecepit tibi Dominus Deus tuus ut faceres diem Sabbathi. Atque ita Sabbathum signum requietis in terra Canaan, in quam induxit illos Josua, Heb. 4, 8.

XX. Alter finis sublimior, spiritualis scilicet, aeternam hominis salutem spectans, Israëlitarum nempe sanctificatio; qui quidem ceremonialis et sacramentalis, imo et typicus est. Hoc enim signo corporalis quietis et otii testatum facere voluit Deus, se ipsorum esse Deum et sanctificatorem; segregando illos tum externe a reliquis populis, tum interne ab omnibus peccatis. Exod. 31, 13. 17. Sabbatha mea custodietis, quia signum est inter me et vos in generationibus vestris, ut sciatis quod ego Dominus sanctificans vos; ac servabitis Sabbathum, quia sanctitas est vobis; ubi et foedus seculi vocatur, 16. Similia sunt in Ezechiele, cap. 20, 12. 20. ut sciatis, quia ego sum Dominus Deus vester, ac proinde publica illis professio totius religigionis fuit. Adeoque Christum ejusque beneficia designat, ita ut perpetuum et spiritualem Sabbathismum, et coelestem consequentem perfectumque figuret, quod fideles a propriis malisque operibus feriantes, Deum hic in se operari sinant, cujus consummatio in altera vita futura est, Es. 66, 23. Hebr. 4, 3. 9.

XXI. Ex horum autem finium consideratione constat, quantum et quale hoc Sabbathum sit, ut quod non usu tantum sanctificatum et sanctum, quatenus facit ad exercitationem externam, sed et saramenti ratione, qua promissionem et effectum sanctificationis fidelibus adjunctum habuit et attulit. Unde etiam videmus in Scriptura Sacra totum divinum cultum eo comprehendi. Atque ideo haec Lex tam saepe in Scripturis repetitur, diligenter inculcatur, graviter urgetur, obedientia ejus

plurimum laudatur, et neglectus et violatio severe vindicatur, Es. 56, 2. etc.

XXII. Tantum de diei septimi seu Sabbathi institutione, ejusque causa efficiente et finibus; sequitur ejus observatio, quae est in Sabbathi ipsius sanctificatione, Deut. 5. Observa diem Sabbathi, ut sanctifices eum. Sanctificationi enim divinae, qua Deus illum sanctum habuit facto suo, quando is quievit a suo opere, sanctumque haberi voluit eique benedixit, id est, a reliquis segregavit et exemit, respondet sanctificatio hominum, quae et observatio et factio Sabbathi, Deut. 5, 15. Sabbathizatio seu Sabbathismus, Lev. 25, 2. et glorificatio Sabbathi, Es. 58, 13. dicitur.

XXIII. Formula hujus edicti singularis est. Non simpliciter, ut in aliis, praecipitur, Sanctifica Sabbathum, sed praemittitur haec monitio, Recordare diem Sabbathi, ut sanctifices eum, quo significatur res talis, quae facile (utpote in natura non insita) in oblivionem abire posset, adeoque jugi memoria recolenda, neque insuper habenda, sed summa cura servanda. Sanctificatur autem, dum illo die fiunt similia iis quae hoc ipso fecit Deus, et ab hominibus fieri praecepit; contra solvitur, polluitur et profanatur, dum avertuntur oculi a Sabbatho, Ez. 22, 26. eaque eo die geruntur quae non licet eo die facere, et omittuntur quae fieri debent, Mat. 12, 2.

XXIV. Parasceue seu praeparatio Sabbathi, est tum apparatus ad Sabbathum, tum dies ipse Sabbathum antegrediens, qui et προσάββατον vocatur, Marc. 15, 42. quo sexta Feria ea fiebant et ordinabantur, quae Sabbatho fieri nefas erat, omniaque disponebantur quae ad ejus observationem cultumque requirebantur, 1 Par. 9, 32. Luc. 23, 54. Imo vero, ut aliqua diei antecedentis portiuncula ad Sabbathum a Judaeis anticipabatur, ita ad Sabbathi exitum subsequentis diei particula assumebatur, nempe ut Sabbathum omnino et quam religiosissime servaretur. Sed hoc ex Judaica superstitione fuit.

XXV. Incipit ejus observatio a vespera, ac desinit in vesperam. Ut enim in creatione Universitatis prima, creati mundi facies tenebricosa fuit, cui inde lux allata, atque ita ex tenebrarum et lucis duratione dies constituta, ita et hic ex divina institutione res habet, Lev. 23, 32.

XXVI. Observatio in eo generaliter sita est, ne ullum eo die

מלאכה, opus, seu עבודה, servitium, et מלאכה עבדה, id est, servile opus, Lev. 23, 8. faciat homo, nempe opus suum. Sex, inquit, diebus operaberis et facies omne opus tuum, at septimus dies est Sabbathum Dei tui, tunc non facies ullum opus, neque tu, uxor, filius, filia, neque servus ancillaque, neque inquilinus seu peregrinus, qui in portis tuis. Id est, toti domui tuae, imo vero et omnibus animantibus domesticis, ut bovi et asino, quae laboriosa maxime (non quod sanctificatio ejus ad bruta spectet, sed ne adhibiti ad laborem homini quietem impediant) quin et civitatis incolis et advenis, ne suo exemplo publicam quietem interturbent, opus interdicitur, Ex. 20. Deut. 5. Atque ita sub negotii prohibitione, otium externum praecipitur religiose servandum; ipsumque adeo tale otium in parte divini cultus ponitur.

XXVII. Prohibetur ergo opus seu negotium, et quidem nostrum, scilicet servile, mechanicum, laboriosum, quaestuosum, quotidianum atque ordinarium; idque tum privatum, tum publicum, id est, quod privatim aut publice a nobis fieri solet, Es. 58, 3. quae quum et prohibita fuerint in festis aliis solennioribus, Lev. 23, 7. 8. 25. 32. 36. Num. 28, 25. multo magis Sabbatho. Ut Israëlitis Sabbatho domo egredi ad colligendum Manna, Ex. 16, 22. item Ligna, Num. 15, 32., quin accendere ignem, Ex. 35, 3. coquere et lixare, Ex. 16, 14. ita ut non nisi pridiana edere et reposita bibere liceret, ut ait Ignatius ad Magn. et continuus usus comprobat, arare et metere, Ex. 34, 21. Torcularia calcare, Neh. 13, 15. ferre et efferre onus, Jer. 17, 21. 22. inferre res venales, Neh. 13. vendere et emere, Neh. 10, 31. pugnare, 1 Mac. 2, 36. sepelire, 2 Mac. 12, 30. et similia.

XXVIII. His accedunt quae in Novo Testamento recensentur; ut sunt, tum ea quae ex opinione Judaeorum ab ipsis, quasi Sabbathi profanatio, Christo improperantur; puta, discipulos ejus cum eo Sabbatho per sata euntes, vellere et manibus atterere spicas, Mat. 12, 2. quasi in eo quidam apparatus cibi esset; ipsum curare seu sanare aegros, Mat. 12, 10. sanatum ejus jussu lectum tollere et ambulare, Joh. 5. collyrium ex sputo et terra facere, et caeci oculis illinere; ejusdem imperio caecum abire

se ablutum, Joh. 9. tum alia, utpote iter facere et extra praescripta spatia ambulare, (unde iter Sabbathi dicitur, quod fuit circiter duorum millium passuum, ut definiverant Judaei) Act. 1, 12. Sabbatho fugere, Mat. 24. Sinere in cruce pendere corpora interfectorum, Joh. 19, 31. Mortuos sepelire et aromatis condire, Luc. 23, 36.

XXIX. Missas hic facimus multas et superstitiosas, Pharisaicas observatiunculas, quibus divinum mandatum magis strinxerunt, quales Judaei etiam hodie multas habent; ut de non assando pomo, corticando allio, interficiendo pulice, etc., quae merae humanae corruptelae sunt hujus a Deo imperatae observationis.

XXX. Sed universalitas illa de nullo opere faciendo, suam habuit interpretationem, exceptionem et oeconomiam seu dispensationem. In hoc ergo censu operum neutiquam sunt opera divina et miraculosa, et quae ad illorum demonstrationem imperata, ut quae Dei potius, imo revera ejus sunt, quamvis per hominem gesta, externum et operosum quiddam prae se ferant; ut dum circumgestatione arcae et clangore tubarum a Sacerdotibus septimo die Jericho concidente, omnia a populo excisa sunt; et Christus Sabbatho curavit virum aridam manum habentem, Mat. 12, 9. mulierem laborantem morbo invaletudinis a Satana inflicto, Luc. 13, 11. hydropicum, Luc. 14. aegrotum e morbo diuturno ad piscinam decumbentem, quem insuper jussit grabatum tollere et ambulare, Joh. 5. caecum, cujus oculos collyrio a se facto et oculis imposito aperuit, et jussit abire se ablutum, Joh. 9, 14.

XXXI. Unde Judaeis, facta haec Christi sub praetextu Sabbathi ad calumniam rapientibus, opponit illud, Pater meus operatur usque adhuc, et ego operor, Joh. 5. eo innuens, opus divinitus editum, quale suum, nunquam censendum esse Sabbathi violationem, ut quod auctoritate, vi atque potentia effectrice Patris sit effectum; deinde et illud, Dico autem vobis, Majorem templo hic esse, et Filius hominis est etiam Dominus Sabbathi, Mat. 12, 6. 8. id est, Sabbathum habet in sua potestate, ita ut possit ei, prout vult, dominari, quo se Christus a communi hominum sorte eximit, dum se majorem templo et Dominum Sabbathi dicit, et opera sua a consuetis disjungit.

XXXII. Excipiuntur praeterea opera, quae animam et

Dei cultum ejusque gloriam spectant, ut sunt omnia opera, extra cultum servilia, ac ministeria, quae Sabbatho a Sacerdotibus iu templo fiebant, quibus dicit Christus, eos sine crimine Sabbathum profanare, Mat. 12, 5., ut sunt sacrificia aliaque, et nominatim circumcisio, de qua Christus, Sabbatho circumciditis hominem, ita tamen ut non solvatur lex Mosis, Joh. 7, 22. 23. Unde Christus suorum operum divinorum assertionem capit.

XXXIII. Quinimo et omnes actiones quae praesentem necessitatem communem circa creaturas earumque conservationem habent, ac speciatim: Primo, mutorum animalium curatio, ut solvere Sabbatho bovem aut asinum praesepi et aquatum ducere, Luc, 13, 11. ovem, asinum aut bovem cadentem in foveam inde extrahere, Mat. 12. Luc. 13, 11 et 14, 1. (quae quidem hodie Judaeis habentur in illicitis, at non olim) adeoque praeservare bestias ab interitu licebat, ac omnia agere quae ad necessariam omnino creaturarum Dei conservationem faciebant.

XXXIV. Deinde et hominum; quod Sabbathum, ut ait Christus, sit propter hominem, non homo propter Sabbathum, Marc. 2, 23. Unde quies et cessatio ab opere quae homini ejusque statui et saluti obest, non simpliciter vetatur, ut Sabbatho vellere spicas et comedere, Luc. 6, 1. pugnare, seu hostibus bellum inferentibus resistere, 1 Reg. 20, 29. 1 Macc. 2, 40. 41., quamvis a persequendo hoste, et praeda distribuenda tum abstinuerunt, 2 Macc. 8, 27. Quod simili necessitatis casu, exemplo Davidis edocet et comprobat Christus, quia cum esuriret, ipse et comites ederint de panibus propositionis, quibus vesci ipsis non erat licitum, sed solis Sacerdotibus, Lev. 24. Mat. 12, 3. 4.

XXXV. Neque caritatis atque misercordiae debita necessariaque officia, hac ipsa Sabbathi observantia sistuntur, utpote Sabbatho homini benefacere, sanare et similia, prout Christus fecit, et a Judaeis exquirit: Licetne Sabbatho benefacere an malefacere, hominem servare an trucidare seu perdere? Luc. 6, 9. ac concludit, licere Sabbatho benefacere, Mat. 12, 12. Sabbathi enim lex, ut reliquae cerimoniae, cedit caritati proximi, secundum illud quod ex Osea Christus in eum sensum affert, Misericordiam volo

et non sacrificium, nempe comparate, potius quam sacrificium.

XXXVI. Denique non prohibentur ea quae moderatam corporis refocillationem et recreationem spectant, utpote quae inter fines Sabbathi sit, modo praecipuum Sabbathi usum cultumque non impediant, sicuti est praeter quietem a laboribus, Ex. 23, 12. adire ad convivium, Luc. 14, 1. 7. ambulare, Luc. 24, 13. ac similia. Et sane Sabbathum festus dies cum fuerit, eo hilaria agere Judaeis consuetum fuit, quae eo demum abierunt, ut illo ad insanas saltationes et plausus etiam abuterentur; testis est Ignat. ad Magn. et Aug. in Joh.

XXXVII. Verum hac ipsa die Sabbathi ab omnibus operibus cessatione et vacatione non praecipitur tantum et per se, otium corporale, sed insuper et propter hoc, negotium religiosum, occupationes scilicet, exercitia officiaque sancta. Unde dicitur Sabbathum Domini, Ex. 20. vel Domino, Lev. 23. et Sabbathum sanctitatis, et sanctitas Domini, Es. 28, 12. quia non modo Dei sancti, sed et sanctum, et rebus Domini ac sanctis, publice et privatim dicatum et impendendum, et ad nominis ejus sanctificationem dirigendum est.

XXXVIII. Talia erant in templo, panum propositionis singulis diebus Sabbathi dispositio, Lev. 24, 8. sacrificium Sabbathi duplicatum, duorum scilicet agnorum anniculorum, et duarum decimarum similae oleo commixtae, ac duplex libamen ejus, Num. 28, 9. 19. Ez. 26. convocatio sancta, totius nempe populi in templo aut Synagogis conventus solennis, Lev. 23, 13. Mat. 12. Luc. 4, 16. et 13, 10. Cantica singularia Sabbatho occinenda, ut Ps. 92. etc. Verbi Dei, Mosis nempe et prophetarum lectio, Neh. 8. Act. 13, 14. ejus praedicatio, Marc. 1, 21. Act. 15, 21. ad populum exhortatio, Luc. 4, 16. Act. 13, 14. de rebus divinis dissertatio, Act. 17, 2. aliaque pietatis officia Sabbathis singulariter praestanda.

XXXIX. Sed nondum in quiete et observatione horum externorum exercitiorum, Sabbathi plena erat sanctificatio, nisi eo fine, quo institutum, usurparetur, et pie sancteque interius haec gererentur, sine quo, ut externa omnia, conventus, sacrificia, incensum, ita et Sabbathum, quin et Kalendas et festivitates, se abominari et odisse, sibi molesta et fatigationi esse, testatur Dominus; ac requirit ad hoc lotionem, munditiem et abla-

tionem malarum cogitationum, et quietem a perverse agendo, bonique actionem, Es. 1, 11. etc. Amos 5, 21. scil. ut non faciat quis voluntatem suam, neque vias suas, neque eloquium suum, Es. 58, 13. Qui est Sabbathismus internus, sine quo res per se sancta non erat. Totus ergo dies, ex toto animo, quantum fert humana necessitas et imbecillitas, rite ac pie Deo servandus erat.

XL. Huic autem sanctificationi Sabbathi promittitur Judaeis benedictio, tum privata, tum publica, ac pronunciatur custodiens illud beatus, Es. 56, 2. et 58. Ac contra ejus profanationi pollutionique maledictionem comminatur Deus, Ex. 31, 14. Lev. 26, 14. Jer. 17, 26. 27. Neh. 13, 15. etc. poenisque gravissimis et morte ulciscitur, Num. 15, 32. etc., utpote cujus profanatio contemptus esset totius legis Dei et divini cultus.

XLI. Tantum de diei septimae a creatione, seu Sabbathi, id est, quietis a Deo ad suum exemplar imperatae, institutione et observatione. Sequitur ejus duratio, quae, ut ejus institutio, a Deo pendet. Nempe sanxisse hanc Sabbathi legem, in generationibus suis pacto seu foedere seculi, et quod signum sit לעולם, in seculum, pronunciavit Deus, Ex. 31, 16. 17. quod qualiter accipiendum sit, porro considerabimus.

XLII. Certe, ut quae sparsim diximus, simul colligamus; cum Sabbathum sub hac notione speciali, si causam spectes, sit ex instituto divino, nitens voluntario Dei arbitrio; si rem et materiam respicias, cessationem et quietem Dei a creatione et operibus creationis, ac Dei, qua creatoris, singularem celebrationem; si circumstantiam temporis, die a creatione recurrente septimo, scilicet a vespera in vesperam, fuerit celebrandum; si modum, quiete, et quidem praecisa observatione, cum inhibitione accendendi ignem et coquendi, etc., ita ut etiam ipsa quies censeatur in pietate; si finem, accesserit et acceperit finem peculiarem, videlicet populi Israëlitici ex Aegypto, seu quietis ab illa servitute, atque signi significationis ejus; si genus denique, reliquis Judaicis festivitatibus ac ceremoniis, (quae sub hoc praecepto continentur) passim conjungatur, quae omnia juris positivi sunt, (quare etiam praecepto monitio et causa additur); omnino in eo rerum genere est, quae mutationi et abolitioni subjecta sunt.

XLIII. Imo vero et reipsa, ipsius, ut reliquarum cerimoniarum Veteris Testamenti (quae futurorum bonorum fuerunt typi et exemplaria, Heb. 9, 9. et 10. 1., sive Christi, sive beneficiorum ejus; et umbrae, quorum corpus est Christus, Col. 2, 17., imo paedagogia ad Christum, Gal. 4, 2.) duratio, usque ad tempus προθεσμίας et διορθώσεως, id est, praedefinitionis et emendationis, Gal. 4. Heb. 9, 10. intelligenda est, ipsumque cum reliquis Veteris Testamenti ritibus et umbris Christi Domini adventu abolitum est.

XLIV. Proinde quae de duratione לעולם, id est, in seculum, dicuntur, non de aeterna proprie, sed diuturna continuaque (qualiter vox illa non raro in Scriptura accipitur, Gen. 17, 7. 8. Ex. 21, 6. et 29, 9.) usque ad tempus a Deo designatum, Messiae videlicet, accipiendum est, quo tempore promittitur, Neomenia ex Neomenia, et Sabbathum ex Sabbatho, Es. 66., id est, Sabbathismus spiritualis et perpetuus, qui reliquus est populo Dei, ad Heb. 3. et 4. cap.

XLV. Et sane Christus, dum dicit, se, ut majorem templo, ita et Dominum Sabbathi, Marc. 2, 28. indicat Sabbathum sic in sua potestate esse, ut de eo non dispensare, sed et illud abolere possit. Imo Apostolus abolitum indicat; tum universe, sub dierum, mensium, temporum et annorum nomenclatura, Rom. 14, 5. Alius aestimat diem prae die, alius peraeque aestimat. Gal. 4, 10. Dies observatis, et menses et tempora et annos, vereor ut frustralaboraverim inter vos, tum speciatim et diserte, Col. 2, 16. Nemo, inquit, vos damnet ob cibum et potum, aut respectum festi aut novilunii, aut Sabbathorum, quae sunt umbrae rerum futurarum, corpus autem est Christi. Itaque Sabbathum, et re et nomine, speciali illa acceptione in Christi regno, abrogatum est: adeo ut in Novo Testamento in legis commemoratione, sub ratione praecepti Christianis nulla usquam ejus fiat mentio.

XLVI. Neque tamen ex Sabbathi hujus abrogatione sequitur, quartum praeceptum (quod suo modo morale) omnino abolitum esse. Nam in eo duo sunt, generale quiddam et speciale. Generale est, quod, ut reliqua moralia praecepta, naturae est insitum; videlicet:

1. Ut quamvis toto vitae tempore pietati sit studendum,

tamen propter negotia hujus seculi, quibus haec vita est obnoxia, a quotidianis laboribus aliquod tempus singulariter divino cultui et publico ministerio verbi, ceremoniisque sacris divinitus traditis, formandae alendaeque pietati, segregetur et assignetur.

2. Imo ut certus sit dies, quem vel Deus definiverit, vel ad ordinem et decorum libertati Ecclesiae definiendum permiserit, ad cujus observationem tota Ecclesia obligetur.

3. Et quidem accommodus, id est, qui toties repetito in se calculo revolvatur, atque proportionata humanae naturae fragilitas, cultusque divini necessitas exigit; quem septimum (qui numerus perfectionis est, et fere toti naturae respondet, et aliis etiam gentibus observatus) Judaeis a creatione Deus instituit, et Apostoli in ordinatione diei Dominicae, ἀναλόγως recurrentem secuti sunt.

4. Ut rationabilis sit institutionis causa, ac operibus beneficiisque Dei generalibus ac specialibus commemorandis publice dicetur.

5. Ut usu et observatione sit et habeatur sanctus.

6. Adeoque animus totus ab aliis curis avocetur totusque dies pietatis ac caritatis officiis impendatur, idque quantum fert humana imbecillitas et vitae praesens necessitas.

7. Ne opera quae impediunt ejus sanctificationem, sine causa et contumaciter exerceantur.

8. Denique humanitatis et caritatis officia erga subditos, imo et bestias, hic praestentur. Quae usque adeo naturali lege traduntur, ut et universae gentes stativas ferias universo populo communes, et rebus sacris obeundis consecratas, habuerint.

XLVII. Speciale vero, quatenus divina institutione, hoc generale revocatur ad hanc speciem, puta septimum a creatione diem, seu Sabbathum, et quidem qua imperatum Judaeis; et per hanc ipsam illud explicatur, ac otium stricte mandatur.

XLVIII. Atque ita omnia Decalogi praecepta omnibus communia, ad Judaeos speciatim accommodantur. Sic enim Deus praefatur: Audi Israël, Ego Dominus sum Deus tuus, qui eduxi te e terra Aegypti, e domo servitutis; cujus tamen beneficii commemorationem, novo accepto, immu-

tandam praedicit, ita ut non dicatur ultra, Vivens qui eduxit Israël e terra Aegypti, sed e terra Aquilonis, etc. Jer. 16, 14. Similiter in αἰτιολογίᾳ Sabbathi specialiter subjicitur, Memineris quod servus fuisti in terra Aegypti, et eduxit te Dominus Deus tuus inde in manu valida, et brachio extento. Idcirco praecepit tibi Dominus Deus tuus ad faciendum diem Sabbathi. Etiam in quinti praecepti promissione, Ut sis longaevus in terra, quam tibi Dominus Deus tuus daturus est. Ubi intelligitur terra Canaan, populo Israëlitico promissa. Ita ut genus ad speciem hic accommodetur.

XLIX. Ut ergo speciale praesupponit generale, quod ad speciem revocatur: ita divinitus speciali abolito, generale manet immotum et immutabile, specificandum tamen secundum singularem rationem et novam ordinationem.

L. In Novo itaque Testamento, quamvis Sabbathum Jadaicum cum reliqua lege mandatorum, quae in ritibus posita erat, per carnem Christi ejusque crucem essent abolita, Eph. 2. Col. 2. fidelesque ab eorum servitute liberati, Gal. 5.; attamen Apostoli cum Judaeis conversantes, Sabbathi diem, ut et alia Legis, non necessitate, sed pro Christiana libertate, et oeconomia certoque consilio ne imbecillibus essent scandalo, aliquamdiu retinuerunt, cum Judaeis, non tamen Judaice, usurparunt, conventumque sollennem agitarunt, Act. 13, 14. 44. et 16, 13. et 17, 2. et 18, 4. scilicet ut cum honore, ut loquuntur Veteres, Synagoga sepeliretur.

LI. Verum postquam a Judaeis secesserunt et ad gentes transierunt, Act. 18, 6. et 19, 8. ac fratres quidam e Judaeis eorum urgerent necessitatem, et observationem salutarem facerent, Gal. 2, 4. 5. ad declarandum et firmandum libertatem Christianam, ut loca Judaeorum deseruerunt, ita et tempora alia conventus habere coeperunt, Act. 18, 7. et 19, 8.

LII. Et quidem ob novum recreationis et reparationis Christi opus et beneficium, solenniter celebrandum, praeterito Sabbatho creationis monumento (quamvis eo toto Dominus in sepulcro quievisset, quae quies Sabbatho creationis respondere poterat), Resurrectionis Domini diem (in qua est Redemptionis nostrae consummatio, quae incidit in octavam a creatione, seu unam, id est, primam Sabbathorum seu

Hebdomadae, Joh. 20, 1. Mat. 28, 1. Marc. 16, 1. 2. 9. Luc. 24, 1. 2. quaque se vivum mulieribus, discipulis Apostolisque publice exhibuit, Luc. 24, 24. Joh. 20, 19. 26.) Apostoli ad publicum conventum usurparunt, Act. 20, 7., et consueto observandum ordinarunt, 1 Cor. 16, 1, 2., ubi κατὰ μίαν σαββάτων, distributive, pro, per primam cujusque Sabbathi accipitur. Quo ordinaria et continua et eadem recurrens priscae Ecclesiae observatio significatur.

LIII. Unde et hic dies relative non Κυρίου tantum, sed et denominative cum articulo ἡ κυριακὴ ἡμέρα nominari coepit, Apoc. 1, 10., nempe non solum, quod eo resurrexerit Dominus et vivum se exhibuit, sed etiam quod ei rei, imo universim Domino, imo a Domino sacratus dedicatusque esset. Qualiter et coena Domini δεῖπνον κυριακὸν, 1 Cor. 11, 20. appellatur, et locus conventus κυριακὴ et precatio solennis κυριακὴ εὐχή, ut scite declarat Augustinus, de verbis Apost. serm. 15. Si autem Apostolicae institutionis, divinae quoque fuerit auctoritatis.

LIV. Fidem etiam facit perpetua testificatio, praxis et usus, jam inde ab initio Ecclesiae Dei priscorum patrum ut testatur Euseb., Hist. eccl. Lib. 3. cap. 21. Ignatius, epist. ad Magnes. et Trall. (quae Eusebio et Hieron. ejus genuinae censentur) Justin. in Apolog. 2. Dionys. Corinth. Episc. apud Euseb. Lib. 4. cap. 22. Theoph. Antioch. L. 1. de Allegor. in Mat. Melito apud Euseb. Lib. 4. cap. 25. Irenaeus apud Euseb. Lib. 5. cap. 24. Clemens Alex. Strom. Lib. 7. Orig. in 15. cap. Exod. Hom. 3. et Lib. 8. contra Celsum. Tertul. de Coron. mil. Cypr. epist. 33. et 59., aliique. Accedit lex de eo lata Constant. Imp. apud Euseb. Lib. 4. vitae ejus, et Sozom. Lib. 1. cap. 8. ac reliquorum succedentium Imperatorum, ut videre est C. de Feriis.

LV. Est ergo hic dies, etsi Apostolicae institutionis ususque, non tamen ita in se et per se sanctus, quasi mysterium, figuram et symbolum sanctum habeat, aut pars, aut instrumentum pietatis per se sit, (ut in Vet. Test. nominatim Sabbathi dies) sed tantum secundum Christianam libertatem, sapienter ab Apostolis definitus ordinatusque est, disciplinae, ordinis et politiae gratia, directusque ut subserviat pietati sanctitatique. Atque cum hac determinatione constare potest dierum inter se aequalitas, Rom. 14, 5. Gal. 4, 10. Col. 2, 16.

LVI. Neque proinde observandus, qua Sabbathum a veteri populo ratione, per se et absolute otio et quiete, quae in parte pietatis ponebatur, sed pro modo Christianae libertatis, propter aliud, ut divino cultui vacare publice privatimque tanto expeditius possimus; unde neque tali, aut tam rigida et praecisa observantia, qualem Judaismus exigebat, aut superstitio imposuerat, sed moderata religiosaque, qualis scilicet quies necessario ad divinum cultum deposcitur, celebrandus est.

LVII. Atque huc revocanda sunt ἀναλόγως communia pietatis et caritatis officia, quae Sabbatho a Judaeis fieri debebant, et a Christianis cum Judaeis adhuc conversantibus praestita fuerunt, ut sunt, conventus publicus et solennis, et in eo Scripturarum Sacrarum lectio et praedicatio, precatioque, Act. 13. 15. 16. 17. et 18. cap. Ac post, paulatim evanescente Sabbatho, die Dominico sunt usurpata, nempe in conventu publico, Doctrina Apostolorum, Communio scilicet pauperum, Fractio panis, nempe mystici, seu coenae Dominicae administratio, Precesque solennes et publicae (quibus quatuor totus fere Dei cultus absolvitur, Act. 2, 42.) quae hoc die Apostolicae Ecclesiae solennia fuerunt, Act. 20, 7. 1 Cor. 16., ut etiam ab iis graphice hunc diem describit Justin. Apol. 2.

LVIII. Verum non publice modo, sed et privatim hunc ipsum sanctis pietatis exercitiis, quales sunt, Sacrae Scripturae lectio et meditatio domestica, colloquium de rebus sacris, etc., atque caritatis officiis transigendum censemus, secundum illud Clementis: Neque Dominicis diebus, qui sunt hilaritatis, praeter sanctitatem aliquid dicere aut facere concedimus. Neque tamen omnis corporis recreatio hic omnino prohibetur, ut quae etiam inter fines Sabbathi est; scilicet quae divinum cultum non impedit, et sacris peractis, honeste, decenter, moderate et sine offensione et scandalo fit.

LIX. Rejicimus ergo in Christianitate Sabbathum illud primordiale et Judaicum, et Sabbatharios seu Sabbathizantes Christianos; quorum alii Sabbathum diei Dominico pari observantia celebrandum adjungebant, ut Ebionaei, Euseb. L. 3. c. 21. et quidam alii, quorum mentio fit a Gregor. Lib. 11. epist. 3. Alii illud similiter, non tamen Judaice otiantes, festum habebant; quod etiam videre est apud Clem. Rom. Episc. Lib.

Constit. Apost. 2. cap. 63. et 7. cap. 24. Sabbathum, inquit is, et Dominicum diem festum agimus, quoniam illud naturae conditae est monumentum, hic resurrectionis. Contra quos est Can. 29. Synodi Laodic.

LX. Quin diei Dominicae, tum sub libertatis Christianae praetextu eversores, ut hodie sunt Anabaptistae; tum eos, qui Sabbathum illud non tantum abolitum, quam in diem Dominicum tantum translatum atque mutatum statuunt, eumque revera sanctionem, non tantum ordinatione usuque, sed et significatione et effectu, ut Scholastici et Pontificii quidam. Denique graviter incessimus Dominicae diei profanatores, qui non modo non necessariis et alienis actionibus, ut spectaculis, ludis scenisque, sed et intemperantia, luxu omnique genere flagitiorum, eum violant in irreparabile infirmorum scandalum, et horrendum dedecus Christiani nominis.

LXI. Quod ad reliqua festa attinet, quae postera Ecclesia, non superstitiose Sanctis, sed ad Christi et singularium operum redemptionis nostrae memoriam adhibet, qualia sunt anniversaria festa: Nativitatis Domini, in qua salutis nostrae reparatae est initium; Resurrectionis, seu Paschatis, in qua ejus complementum et ratificatio; ac denique Missionis Spiritus Sancti, seu Pentecostes, in qua est regni et Ecclesiae Christianae fundamentum: non eodem censu habemus. Attamen dum habentur pro humanitus institutis, et abest divini cultus opinio, omnisque superstitio, necessitate eorum libertas Christiana non premitur, multitudine Ecclesia non oneratur, sed ad ordinem usumque illustrem Ecclesiae tenentur; utiliter usurpari posse arbitramur, qualiter et festum Purim a Mardochaeo, Esth. 9, 19. et Encaeniorum a Maccabaeo, 1 Macc. 4, 59. institutum observatumque, Joh. 10, 22. legimus.

DISPUTATIO XXII.

DE

Evangelio.

Praeside D. JOHANNE POLYANDRO.

Respondente PETRO DOORNYCK.

Thesis I.

Quemadmodum per legem, de qua supra disputavimus, morbi nostri spiritualis, nimirum peccati, contagium ac labes, sic ejus remedium per Evangelium cognoscitur.

II. Vox, Evangelium, denotat apud classicos auctores profanos, 1. Quodvis bonum ac laetum nuncium de re qualibet grata atque exoptata, Aristoph. in Plut. August. Lib. 2. contra Faustum, et 18. De Civitate Dei c. 35. 2. Praemium quod hujusmodi nuncium afferentibus olim dari solebat, Hom. Odyss. ξ. Cicer. L. 2. ad Att. ep. 8. 3. Sacrificia ac preces quae pro re feliciter gesta decernebantur, Plato in Phocione. Xenoph. Lib. 2. Isocrat. in Areop.

III. In sacris literis κατ' ἐξοχὴν significat felicissimum nuncium ac jucundissimum de salutari Redemptoris nostri Jesu Christi adventu. Ibique interdum generatim, interdum speciatim sumitur.

IV. Generatim sumpta, ipsam de Christo promissionem Evangelicam ejusque impletionem complectitur, ut Gal. 3, 6.

V. Speciatim sumpta atque ad Christi exhibitionem restricta, primo historiam denotat de Christo, in carne manifestato, ut Marc. 12.

VI. Secundo, pro laeta usurpatur doctrina ac praedicatione de hominum peccatorum reconciliatione cum Deo, per gratuitam peccatorum remissionem morte Christi expiatoria ipsis partam, quibuslibet indefinite oblatam, pauperibus spiritu atque infantibus revelatam, credentibus vero singulariter applicatam, ad horum salutem et misericordiae divinae cum justitia conjunctae patefactionem laudemque sempiternam, 1 Cor. 9, 14. 15. et seqq.

VII. Causa efficiens principalis Evangelii est Deus, Pater, Filius et Spiritus Sanctus, tum decreti divini de illo hominibus nunciando, tum nunciationis ipsius respectu.

VIII. Decreti respectu, quoniam hoc mysterium Evangelicum absconditum fuit in Deo a seculis secundum propositum aeternum quod constituit in Christo Jesu Domino nostro, ut docet Apostolus, Ef. 3, 9. 10. 11. Unde et Evangelium ipsum, aeternum vocatur, Apoc. 14, 6.

IX. Respectu nunciationis Evangelicae, quia haec Dei actio, cum fit ad extra, est actio Trinitatis indivisa. Unde Evangelium aliquando vocatur absolute, verbum et potentia Dei, ut Rom. 1, 16. 1 Pet. 1, 23., aliquando relate ad primam personam divinam, Evangelium Dei, nempe Patris, Rom. 1, 7. ad secundam, Evangelium Christi, ut 2 Cor. 9, 13. ad tertiam, ministerium Spiritus, ut 2 Cor. 3, 6.

X. Verum ratione ordinis personarum divinarum ad actionem illam diverso cooperandi modo concurrentium, nunciatio Evangelii, alio respectu Patri, alio Filio, alio Spiritui Sancto attribuitur.

XI. Nam Patri attribuitur ut primario Evangelii auctori, cum hoc ex sinu ipsius productum fuisse dicitur, Joh. 1, 18. Filio, ut fidissimo Patris legato, qui verba a se prolata non sua, sed Patris sui esse asseverat, Joh. 14, 10. 24. Spiritui Sancto, ut intimo verborum Filii interpreti, cum Christus ait, eum novi nihil Apostolis renunciaturum, sed eadem declaraturum quae jam ab ipso audiverant, Joh. 16, 13. 14.

XII. Causa προηγουμένη, Deumque in se movens ad Evangelii nunciationem, est gratuita Dei misericordia ac benevolentia, qua miserum genus humanum Adami culpa in peccata prolapsum complecti voluit.

XIII. Objectum Dei misericordiam suam ac benevolentiam gratuitam Evangelio suo patefacientis, est humani generis miseria in peccatum mortale Diaboli seductione praecipitati, cui Deus interdum immediate, interdum mediate, Redemptionis suae gratiam annunciavit.

XIV. Immediate Deus Pater eam annunciavit sub Vet. Test. familiis Adami et Abrahami, Gen. 3, 15. et 12, 7. et 15, 2. sub Novo Judaeis, Mat. 3, 17. et 17, 5.

XV. Mediate Deus eandem gratiam annunciavit per Prophetas et Apostolos, quorum illi Redemptorem nostrum Jesum Christum venturum praenunciarunt; hi eum venisse testati sunt.

XVI. Idcirco Apostolus Paulus ad novitatis suspicionem ab

Evangelio removendam, asserit, Deum jam ante, illud promisisse per Prophetas in Scripturis Sacris, Rom. 1, 2. In cujus rei fidem, illorum profert testimonia ex Veteri Test. adversus Judaeos Evangelii contemptores, Act. 13. Quemadmodum etiam Christus, Minister circumcisionis, ac nostrae professionis Apostolus, Rom. 15, 8. Hebr. 3, 1.

XVII. Tanta interim est inter Christum θεάνθρωπον, atque inter alios Evangelii praecones, quibus Johannes Baptista, atque ipsi Angeli coelestes annumerantur, inaequalitas, quanta est inter Dominum supremum ac servos, Domini sui nomine, ministerii Evangelici causa, emissos, propter eos qui haeredes erunt salutis per ipsum Dominum acquisitae.

XVIII. Ab his tamen ob auctoritatem et virtutem extraordinariam qua Deus eos divinitus instruxit, Evangelium suam quoque denominationem interdum participat, ut Rom. 2, 16. et 2 Cor. 4, 3. ubi Dei Evangelium etiam, Pauli et coapostolorum ejus Evangelium nuncupatur.

XIX. Proprium Evangelii ὑποκείμενον vel subjectum est Christus ἐνσαρκωθεὶς seu incarnatus. In hujus enim Redemptione, satisfactione pro nostris peccatis, ac reliquis beneficiis enarrandis totum occupatur. Quo sensu nominatur Evangelium Jesu Christi Filii Dei, id est, de Jesu Christo Filio Dei, Marc. 1, 1. Rom. 1, 3. 16. et 15, 19. 1 Cor. 9, 12. 2 Cor. 9, 13. Gal. 1. Similiter sermo Christi, Col. 3, 16. et Testimonium ejus, 2 Tim. 1, 2.

XX. Objectum Evangelii indefinitum sunt omnis generis homines peccatores, sive sint viri, sive foeminae, sive Domini, sive servi, sive Judaei, sive Graeci.

XXI. Objectum Evangelii definitum sunt filii Dei ordinati ad vitam aeternam, qui a priore vocantur electi Dei, a posteriore, nunc fideles seu credentes in Christum, nunc infantes et pauperes spiritu, peccati mole defatigati.

XXII. Forma est, plena atque evidentissima gratiae salutiferae per Prophetas in Christo promissae patefactio et publicatio, Dei ordinationi omnibus modis in se tota atque in omnibus suis partibus conformis.

XXIII. Finis ultimus est Dei gloria, cui summae misericordiae et justitiae laus hoc Evangelii testimonio tribuitur, quod vadi nostro, proprio suo Filio non pepercerit, sed eum pro nobis

morti crucis maledictae tradiderit, ut nos a legis maledictione liberatos, sibi in aeternum reconciliaret.

XXIV. Proximus Evangelii finis est fidelium salus ac vita aeterna, ideoque definitur potentia Dei ad salutem omni credenti, Rom. 1, 16. atque odor vitae ad vitam, 2 Cor. 2, 16.

XXV. Perditio vero infidelium non est Evangelii finis, sed ex illorum vitio eventus adventitius. Deus enim Evangelio suo declarat, quod nullius peccatoris exitio delectetur, sed salutari cujuslibet per resipiscentiam ac fidem translatione e potestate tenebrarum in regnum Filii sui dilecti Jesu Christi.

XXVI. Haec ergo salutaris in regnum Filii Dei translatio est proprium Evangelii effectum, atque idcirco Evangelium Regni appellatur, Marc. 1, 14.

XXVII. Hujus translationis duo sunt gradus; quorum priore in regnum gratiae in hoc seculo transferimur, posteriore in regnum gloriae in altero seculo evehemur.

XXVIII. Prior translationis modus fit secundum Dei propositum, beneficio vocationis ad fidem, justificationis per fidem, et sanctificationis ex fide, sese per bona opera manifestantis.

XXIX. Posterior fiet beneficio glorificationis, qua in Domini nostri Jesu occursum rapti, cum eo longe super omnes coelos ascendemus, ut in domo Patris ipsius proxima immediataque ipsius visione ac communitate beatissima in aeternum fruamur.

XXX. Ob hoc effectum distincte consideratum, Evangelium varia nomina in Sacra Scriptura sortitur; quod nimirum sit verbum veritatis, Col. 5, 5. fidei, Rom. 10, 8. reconciliationis, 1 Cor. 5, 19. pacis, Eph. 6, 15. justitiae, Heb. 15, 13. gratiae Dei, Act. 14, 3. et 20, 32. Verbum regenerans, 1 Pet. 1, 23. Evangelium salutis, Eph. 1, 13. et vitae, Phil. 2, 15.

XXXI. Mala quae pravorum hominum culpa ex Evangelii praedicatione eveniunt, non sunt ejus effectis annumeranda, qualia sunt infidelium scandalum, 1 Cor. 1, 23. 1 Pet. 2, 8. hostium gladius, Mat. 10, 34. pertinacium excaecatio, 2 Cor. 4, 4. et major condemnatio, Mat. 11, 21. 2 Thes. 1, 7. 8.

XXXII. Ceterum Evangelium aliquando Legis titulo insignitur, quoniam sua quoque habet mandata suasque promissiones ac comminationes.

XXXIII. Mandata Evangelii sunt duo, unum de poenitentia, alterum de fide in Jesum Christum, Marc. 1, 15. Resipiscite et credite Evangelio.

XXXIV. Ad prius mandatum pertinent conciones Novi Testamenti, tam legales, quam Evangelicae; ad posterius Evangelicae potissimum adhibentur.

XXXV. Quae vero exstant Mat. 5. Joh. 13. et alibi, non sunt nova mandata Evangelii proprie sic dicti, praeceptis legis moralis addita, hisque exactiora, sed sunt eadem quae Moses populo Dei tradiderat, a Christo repetita, a corruptelis Pharisaicis repurgata, pristinoque suo nitori genuina interpretatione restituta.

XXXVI. Errant ergo Scholastici ac Jesuitae, asserentes, novam legem a Christo latam esse, ejusque praecepta Mosaicis esse longe perfectiora, excellentiora et severiora. Lombard. 3. sent. dist. 4. Thom. Aquin. in cap. 5. Mat. et 1. 2. q. 91. art. 5. Scot. 3. sent. dist. 40. Biel. 3. sent. dist. 4. Bellarm. L. 4. de Justificat. cap. 3. et 4.

XXXVII. Errant quoque Sociniani, qui duplicia statuunt Christi mandata, quorum alia singulis decalogi praeceptis ab ipso addita, alia Apostolis ab ipso sigillatim tradita fuisse, asseverant.

XXXVIII. Mandata quae asserunt primo legis moralis praecepto a Christo fuisse addita, sunt duo. 1. Quo Christus certam orandi rationem nobis praescripsit. 2. Quo jussit ut eum pro vero Deo, id est, (secundum pravam eorum interpretationem) pro tali, qui divinum in nos habet imperium, agnoscamus, adoremus et invocemus. Quorum utrumque ad primum legis praeceptum referri debet.

XXXIX. Non enim Christus ista precandi formula novam aliquam Deum invocandi rationem, sed sub Veteri Testamento usitatae conformem instituit, primo quidem legis praecepto generaliter a Deo imperatam, et variarum orationum compositione a Davide atque aliis viris Dei ad populi usum specialiter accommodatam.

XL. Nec Christus, cum pro vero Deo agnosci atque invocari voluit, novum Dei cultum praescripsit, sed primo mandato expressum, quo Deus Pater prohibens ne Deos alienos coram ipso habeamus, eum vult adorari qui unus est idemque cum ipso

Deus, qualem, non tantum (ut volunt Sociniani) auctoritatis, sed etiam ejusdem naturae divinae respectu, Christum esse tota Scriptura attestatur.

XLI. Idem de ceteris ad sequentia praecepta additionibus, quas Christo affingunt, judicandum est. Nam fugienda esse idola, non tantum Apostoli ex secundo praecepto docuerunt, 1 Cor. 10, 14. et 1 Joh. 5, 21. sed etiam Moses hujus praecepti interpres, Deut. 7, 5. ubi jubet populo Israëlitico, ut Gentium altaria diruat ac statuas earum confringat.

XLII. Deinde quod nobis non solum non liceat pejerare, verum etiam ne in veris quidem jurare, nisi ob causas longe gravissimas, easque quibus gloria Dei nititur, non tantum Christus docuit, Mat. 5, 34., sed etiam Oseas, cap. 4, 15. juxta hoc tertii praecepti interdictum, Ne assumito nomen Dei tui in vanum.

XLIII. Sic quae in Novo Testamento de officio subditorum erga Magistratum quinto praecepto addita esse existimant, in Veteri quoque Testamento imperata inveniuntur, Lev. 19, 32. Prov. 14, 11. Eccl. 33, 25.

XLIV. Neque irae ac vindictae prohibitio in Evangelio, ut censent, tantummodo repetitur, sed etiam apud Mosen, Lev. 19, 17. 18. et Salomonem, Prov. 24, 24.

XLV. Libidinosum praeterea aspectum, gestus et sermones obscoenos, septimo, avaritiam, octavo, omnis generis mendacium, etiam ex levitate profectum, nono, denique pravae cupiditatis motum etiam involuntarium, decimo praecepto prohiberi, Judaei ante Christi adventum ex Prophetarum monitis intellexerunt, quae exstant, Prov. 6, 25. et 23, 31. et 5, 20. et 7, 13. 14. Ps. 62, 11. Prov. 15, 27. Es. 56, 11. et 57, 17. Prov. 6, 18. 19. et 19, 5. Ps. 9, 8.

XLVI. Mandata quae Sociniani a Christo sigillatim tradita autumant, aut mores, ut loquuntur, aut externos actus religiosos respiciunt, quae vulgo cerimoniae vocantur.

XLVII. Moralia nuncupant abnegationem sui ipsius, tolerantiam crucis seu perpessionem et imitationem Christi.

XLVIII. Horum primum, ex propria Socinianorum interpretatione, referendum est, tum ad septimum et octavum praeceptum, tum imprimis ad decimum; quandoquidem per abnegationem sui ipsius intelligunt renunciationem concupiscentiae carnis, oculorum et fastus hujus vitae, ex 1 Joh. 2, 15. 16.

XLIX. Secundum comprehenditur sub primo legis praecepto, ad cujus observationem etiam patientia ac crucis tolerantia requiritur.

L. Christi imitatio nihil aliud est, ut iidem eam definiunt, quam compositio vitae nostrae ad regulam vitae Jesu Christi, qui perfecta sua erga Deum ac proximum caritate legis mandata implevit, ac proinde Christi imitatio, non in alius legis, quam in moralis observatione consistit.

LI. Coena Domini non tantum est mandatum Evangelii ceremoniale, prout statuunt Sociniani, sed etiam Sacramentum εὐχαριστικὸν ad gratiae salutaris nobis morte Christi partae atque Evangelio annunciatae celebrationem institutum, ut colligi potest ex Christi commonefactione, Luc. 22, 19. Hoc facite in mei commemorationem, et Pauli, 1 Cor. 11, 16. Quotiescunque ederitis panem hunc, et poculum hoc biberitis, mortem Domini annunciabitis, usque quo venerit.

LII. Quamvis Evangelii et legis mandata in eo consentiant, quod eandem vitae regulam nobis praescribant, ut nimirum sobrie, nostri ratione, religiose erga Deum, juste erga proximum vivamus, Tit. 2, 12. in hoc tamen inter se discrepant, quod Lex hominem reum peccati ad hujus detestationem excitet; Evangelium vero eundem suis ad fidem et resipiscentiam exhortationibus ad Christum Redemptorem deducat.

LIII. Promissiones Evangelii sunt potissimum duae: 1. De justificatione coram Deo per fidem. 2. De haereditate vitae aeternae, Rom. 1, 17. 1 Joh. 2, 25.

LIV. Etsi lex non minus quam Evangelium Deo obedientibus vitam aeternam polliceatur, Mat. 19, 16. in eo tamen hoc ab illa differt, quod lex vitam aeternam cuilibet homini promittat, sub conditione propriae justitiae perfectae; Evangelium sub conditione alienae justitiae, nempe Christi, per fidem applicati.

LV. Comminationes sunt, de infidelium Christo non obtemperantium coram Deo condemnatione, ac poena mortis aeternae, Joh. 3, 18. 36. Heb. 2, 2. 3.

LVI. Usus Evangelii praecipuus est, ut Christum legis finem esse ostendat ad justitiam omni credenti, Rom. 10, 4. Reliqui ex ejus finibus atque effectibus, quos supra indicavimus, cognosci possunt.

DISPUTATIO XXIII.

DE

Veteri et Novo Testamento.

Praeside D. ANDREA RIVETO.

Respondente DANIELE PAIN.

Thesis I.

Postquam praecedentibus disputationibus actum est seorsim de Lege et de Evangelio, et utriusque natura descripta est; sequitur, ut conferantur etiam inter se, secundum convenientiam et discrepantiam, seu differentiam. Et quoniam eaedem res variis nominibus comprehenduntur, inter quae, cum de collatione illa agitur, satis frequentia sunt nomina Veteris et Novi Testamenti, de eorum significatione dicendum est; qua nisi prius declarata et restricta, nihil proclivius est quam impingere, in hac de qua agitur, convenientia assignanda, et discrimine designando, aliis aliud intelligentibus, et pro ratione acceptionum quibus adhaerent, diversa potius loquentibus quam sentientibus.

II. Nomen Ebraicum ברית ab eo verbo dictum volunt quod purgare et mundare significat, quia in foedere aut pacto sine omni Sophistica utrimque declaretur ratificeturque fides, adhibita publica ceremonia. Hoc nomen Graeci interpretes V. T. ubique per διαθήκην reddiderunt, uno loco excepto Deut. 9, 15. ubi per μαρτύριον, testimonium, verterunt. Apud Graecos autem διαθήκη ut plurimum accipitur in ea significatione singulari, in qua apud Latinos Testamenti nomen, quae tamen est interpretatio speciei, alioquin ut nomen Ebraeum, sic etiam Graecum dispositionem sonat in genere, sed eam tamen dispositionem cui implicata est promissio, sive sit pactio inter viventes, quam συνθήκην vocant, sive Testamentum proprie dictum, suprema nempe morientis dispositio de rebus relictis, legitime vel verbis nuncupata, vel tabulis consignata.

III. Hanc vocem in hoc, de quo agimus, argumento τῆς παλαιᾶς ἢ καινῆς διαθήκης, Apostolus in propria hac significatione accipit Hebr. 9, 15. et seqq. pro testamento in quo mors in-

tercedit testatoris, ideoque notat, prius testamentum sine sanguine non fuisse dedicatum. Nos ejus auctoritatem sequentes, in eadem materia Veteris et Novi Testamenti speciale nomen foederis generico nomini praeferimus, cum agatur de pacto inter Deum et homines inito, quod morte Christi, primum quidem sanguine victimarum significata, deinde ipso facto obita, sanciri oportuerit.

IV. Nec tamen foederis nomen propterea rejicimus, quia si conventionis et pactionis modum spectemus, ut in humanis partes dissidentes certis conditionibus mutuo praestandis conveniunt, easque caesis victimis ritu veterum (unde non solum apud Latinos icere aut ferire foedus, sed etiam apud Hebraeos כרת ברית, scidit aut feriit foedus, Gen. 15, 18.) aut datis obsidibus, tabulis insuper et signis confirmant: sic inter Deum et homines facta est conventio de aeterna reconciliatione et pace, mediatore victima pro hominibus facto; Tabulis foederalibus confectis, et additis signis Sacramentalibus ad confirmationem. Sed quia mirando modo effectum est, ut idem qui victima fuit mediator, tamquam testator etiam morte sua ratum haeredibus fecerit testamentum, ut tota pacti hujus ratio significetur, hanc vocem specialiter usurpamus.

V. Dicuntur autem Vetus et Novum Testamentum, vel proprie, vel figurate. Deinde significatione lata, vel stricta. Proprie, nomine Testamenti Veteris significatur Lex, quatenus per Mosem data est Judaeorum populo, vitam promittens sub conditione maledictionis contra transgressores, una cum onere intolerabili rituum legalium, et jugo strictissimae politiae, quod propterea dicitur litera occidens, ministerium mortis et condemnationis, generans ad servitutem, Agaris instar, 2 Cor. 3, 6. 7. Gal. 4, 23. et 24. Huic opponitur in propria significatione Novum Testamentum, doctrina nempe spiritualis gratiae et salutis, ab ipso Filio Dei e sinu Patris plene revelata, et Apostolorum praedicatione divulgata, qua promittitur gratuita justitia et vita aeterna, per et propter mortem testatoris Christi, omnibus in eum credituris per gratiam quam est largiturus.

VI. In hac significatione differunt Vetus et Novum Testamentum non solum circumstantiis quibusdam et accidentibus, sed essentialiter, et ut cum Paulo loquamur, duo testamenta sunt,

Gal. 4. 24. in utroque enim diversa prorsus salutis ratio instituitur, cum illud promittat vitam sub conditione operum, hoc autem remissionem peccatorum et vitam aeternam, innitenti Christo per fidem. Ideo dicuntur excidisse a gratia, qui per legem volunt justificari, Gal. 5, 4. Et lex promissioni ita opponitur, ut si ex illa sit haereditas, ex hac esse non possit, Gal. 3, 18. Eadem est ratio oppositionis Legis operum, et Legis fidei, Rom. 3, 27. quarum prima intelligitur, doctrina qua salus promittitur, sub conditione si omnia feceris; altera vero, doctrina qua eadem salus proponitur sub conditione si credideris, quam ipsam conditionem gratis dat Deus ut impleant quicunque justificantur.

VII. Hoc igitur sensu, Vetus Testamentum dicitur Ministerium mortis, litera occidens, 2 Cor. 3, 6. intolerabile jugum servitute cultores premens, Act. 15, 10. Umbra tantum futurorum bonorum, Heb. 10, 1. imperfectum, abolendum, etc. Cui oppositum Novum Testam. ea qua diximus significatione, est ministerium Spiritus vivificantis, lene Christi jugum, donans nos spiritu adoptionis, et libertate filiorum Dei, Matt. 11, 29. Rom. 8, 17. habens veram imaginem rerum, perfectum et aeternum.

VIII. Figurate per Metonymiam Vetus et Novum Testam. appellantur libri qui codice Veteris Test. continentur, et Apostolorum atque Evangelistarum scripta, quo modo in rebus humanis, tabulae et signa testamentorum, Testamenta vocantur, qua ratione etiam signa Sacramentalia, eandem Testamenti denominationem assumunt. Sic Apostolus 2 Cor. 3, 14. loquitur de velamine manente in lectione Veteris Testamenti. Ex cujus dicti analogia, lectio Evangelii potest dici lectio Novi Testamenti, quo sensu, vulgo Novi Testamenti nomen pro Evangeliorum codice usurpatur. Nam quod in eodem cap. vers. 6. loquitur de Ministris Novi Testam. id ad codicem sacrum non pertinet. Ad signa vero quod attinet, Poculum Eucharistiae Christus ipse, μετωνυμικῶς, Novum Testam. in sanguine suo appellavit, Luc. 22, 20. et Apostolus Testamentum seu foedus circumcisionis, Act. 7, 8.

IX. Horum librorum et signorum convenientia et discrimen, pendet a materiis subjectis et revelationis modis, de quibus quia in aliis acceptionibus dicendum erit, levi negotio quid de utris-

que sentiendum sit, quivis judicabit, cui nota erit natura rerum de quibus in unoquoque agitur, et earum inter se vel discrepantia, vel harmonia.

X. Late sumpto Διαθήκης vocabulo, comprehenditur cum additione παλαιᾶς, Lex per Mosem data, de qua dictum est, et promissio de semine mulieris Adamo facta, eademque Abrahamo in semine suo repetita, in quo benedicendae erant omnes nationes. Hanc promissionem diserte Apostolus Gal. 3, 17. διαθήκην προκεκυρωμένην, Testamentum ante sancitum seu ratum habitum appellat, et ad Eph. 2, 12. διαθήκας τῆς ἐπαγγελίας, foedera promissionis. Sed eidem promissioni jungitur Lex per Mosem data, quatenus sub Veteri Testamento significatione lata comprehenduntur, eatenus tantum, ut lex sit Paedagogus ad Christum, Gal. 3, 24., quia quod lex moralis ab humano genere severissime efflagitabat, id in Christo solum et sacrificio illius exhiberi, lex ceremonialis clamitabat; politica utrique ancillante, et ordinem externum, prout ex utriusque usu erat, procurante.

XI. Sic etiam Novum Testamentum late sumitur, pro doctrina tum gratiae et fidei, tum resipiscentiae et gratitudinis, sive novae obedientiae. Quia Evangelii vox est, Resipiscite et credite Evangelio, Marc. 1, 15. ac proinde fidem Evangelii et resipiscentiam postulat, quae duo secum necessario trahunt novam obedientiam, qua Deo digne vivitur. Quo sensu Evangelium accipitur, cum Apostolus dicit, se separatum ad praedicandum Evangelium Dei, Rom. 1, 1. Deum judicaturum secundum Evangelium suum, Rom. 2, 16. et similibus.

XII. Stricte autem utrumque sumitur, in ea significatione quam propriam diximus, et qua ita directe opponuntur, ut conciliari non possint; ac proinde non opus est ut prolixam inter ea collationem instituamus. Nam etsi conveniant generali auctoris unius, qui Deus est, consideratione, qui legem tulit, ut legislator, Evangelium, ut parens misericors; generali etiam ratione materiae, quia utraque doctrina mandato obedientiae, et remunerationis promissione constat; generali finis proposito, nempe gloria sapientiae et bonitatis Dei; item subjecto communiter considerato, nempe hominum genere; est tamen differentia maxima in speciali horum omnium respectu, de qua dictum

est supra Thesi sexta. Eo autem sensu quo hic intelligitur Vetus Testamentum, fatemur, nunquam in Sacra Scriptura hoc nomen pro foedere gratiae usurpari.

XIII. Sed nihil obstat, quo minus foedus gratiae, seu promissio patribus facta, circumstantiis suis paedagogicis vestita, Testamenti Veteris nomine veniant, quia aliquid in eo erat innovandum et antiquandum. Sic enim Paulus, Ebr. 8, 13. et 9, 1. πρώτην διαθήκην ἣν πεπαλαίωκε, primum Testamentum quod antiquavit Deus, accipit pro toto Religionis cultu veteris tabernaculi, in quo certe promissio continebatur et confirmabatur. Etsi, ut diximus, ἁπλῶς operum foedus proprie designet; novi autem appellatione non nisi foedus gratuitum intelligatur. Verum ut omnis ambiguitas tollatur, nobis instituenda est comparatio Veteris Testamenti cum Novo; quae Testamentum Vetus considerat, quatenus sumitur pro foedere gratuito, qualiter post lapsum statim cum primis parentibus initum est, et cum Abrahamo pactum, et cujus, lex per Mosem data, fuit adminiculum; Novum vero qualiter fuit a Christo innovatum et confirmatum.

XIV. His positis, dicimus duo haec Testamenta unum et idem esse ad substantiam quod attinet, ut patet in consideratione causarum omnium. Nam si efficientem spectemus, utriusque, quam προηγουμένην vocant, fuit sola Dei misericordia qua id pepigit, nullis hominum meritis permotus, solum Christum tamquam mediatorem constituens, in quo erat reconcilians mundum sibi, 2 Cor. 5, 19. Si materiam, una eademque est; utrobique enim eadem fides et obedientia requiritur, eadem haereditas vitae aeternae promittitur, per imputationem justitiae fidei, et gratiosam adoptionem in Christo. Si formam, in utraque est pactio inter partes dissidentes confirmata sanguine mediatoris, aut venturi, aut exhibiti. Si finem proximum, neutrum ad carnalem seu terrenam felicitatem praesentisque vitae potissimum bona, sed multo magis ad aeternae felicitatis spem revocabat. Si ultimum, utrobique fuit laus gloriosae gratiae Dei in Christo.

XV. Duo tamen Testamenta dicuntur, non per divisionem generis in species, sed subjecti secundum accidentia; quia eadem res specie et substantia manens, variatur secundum diversam oeconomiae rationem, et administrationis modum, tam ex

parte Dei, quam ex parte hominum. In administratione interna Dei, licet unus idemque sit Spiritus electis communicatus, ad unam et eandem υἱοθεσίαν, qui tantam cognitionis lucem effundit, quanta sufficit ad salutem, id tamen constat, in Novo Testamento majorem refulgere Spiritus Sancti efficaciam, et illustriorem donorum varietatem et amplitudinem, si ipsum corpus Ecclesiae spectetur communiter: tunc enim effudit de Spiritu suo super omnem carnem, qui antea parcius communicabatur, Joel. 2, 28.

XVI. Externae etiam administrationis consideratio, discrimen praebet non exiguum. Est enim, si qualitatem revelationis spectemus, in Veteri Testamento minor perspicuitas, cum Christus tamquam venturus offeratur, qui in Novo praedicatur exhibitus. In illo, sub terrenis beneficiis coelestis haereditas contemplanda praebetur, et Patribus degustanda exhibetur, et judicii contra in reprobos magis conspicua documenta in poenis corporeis dantur: quae causa fuit cur benedictiones illas temporales majoris, quam nunc deceret, aestimarint. Jam vero mentes nostrae recte ad coelestem haereditatem diriguntur, clarius et liquidius revelata per Evangelium futurae vitae gratia, omisso inferiori illo exercitationis modo.

XVII. Tertium hoc discrimen additur, quod Vetus Testamentum umbratili et per se inefficaci ceremoniarum observatione involutum tradebatur, et Christus eo variis ritibus et figuris, venturus adumbrabatur; at in Novo, revelata facie nobis inspiciendus offertur, et ipsarum rerum veritas et corpus tamquam praesens exhibetur; et quae in eo sunt instituta signa, non jam rem futuram promittunt, sed ante promissam, et suo tempore impletam testantur, ejusque efficaciam majorem obsignant; neque sunt cruenta, neque tot numero, neque adeo onerosa aut obscura; sed ἀναίματα, pauciora, facilioris observationis, et majoris perspicuitatis; in illo umbra erat futurorum bonorum, in hoc vera et viva imago rerum, Hebr. 10, 1.

XVIII. Quarta differentia cernitur, in amplitudine populi et universitate receptorum in foedus, quia cum sub Veteri Testamento terminaretur promissio in Abrahamo et posteritate ejus, exclusis ceteris gentibus, aut paucis admissis, gratia quadam extraordinaria, qua in familiam Abrahae quodammodo insere-

bantur; jam sub Novo Test. diruta maceria, quae tamdiu misericordiam Dei intra Israëlis fines conclusam tenuerat, pax annunciata est iis qui procul erant, ut cum iis qui erant prope, in unum Dei populum coalescerent. Hinc vocatio gentium, praeclarum Novi Testam. beneficium, Mysterium a seculis et generationibus absconditum, et ipsis Angelis mirabile, Col. 1, 26.

XIX. Quinta consistit in administrationis varietate ex parte hominum. In Veteri enim Testamento non tantum legis moralis observatio exigebatur, sed etiam haeres parvulus tamquam nihil differens a servo, sub oeconomica servitute legis ceremonialis detinebatur. Gal. 4, 2. 3. 4. Hinc etsi haeres, qua talis, spiritu adoptionis donatus fuerit, ac proinde libertatis, tamen qua infans, actu nondum plena libertate fruebatur, sed etiam servitutis spiritu, in eo libertas contemperabatur. At in Novo Test. fideles non sunt amplius hisce observationum vinculis et oneribus obnoxii, non acceperunt spiritum servitutis iterum ad timorem, sed spiritum adoptionis per quem clamant, Abba Pater, Rom. 8, 13.

XX. Ultima differentia est in duratione utriusque administrationis. Prima enim cessare debuit, postquam venisset plenitudo temporis; mutationi proinde obnoxia fuit. Lex enim et Prophetae usque ad Johannem, Luc. 16, 16. Sed translato Sacerdotio, necesse est ut Legis translatio fiat, Heb. 7, 12. Et lex transgressionum causa addita est, donec veniret semen, ibid. vers. 18. At semine hoc jam manifestato, nulla amplius exspectanda est mutatio Sacerdotii, quia Christus manet Sacerdos in aeternum, Psalmo centesimo decimo, versu quarto.

XXI. Ex dictis colligimus, gratiae beneficium non esse separandum a Veteri Testamento, hoc modo considerato, cum in eo concio gratiae de remissione peccatorum per Christum mediatorem audita fuerit, qua non minus omnes fideles fuerunt justificati et salvati, quam Novi Testamenti tempore. Una semper fuit salutis ratio; et per gratiam Domini nostri Jesu Christi credimus salvari καθ' ὃν τρόπον, quemadmodum patres nostri, Act. 15, 11. Nec per legem facta est promissio Abrahamo et semini ejus, ut esset haeres

mundi, sed per justitiam fidei, Rom. 4, 13. Quia Jesus Christus heri et hodie, idem etiam in secula, Ebr. 13, 5. Ideo Paulus Rom. 4, 1. et 6. ita diligenter adducit exempla Abrahami et Davidis in justificationis negotio, ut evincat, neminem aliter fuisse ab initio mundi justificatum, quam fide in Christum.

XXII. Detestanda est igitur eorum audacia, qui cum impuro Serveto non aliter de populo Israëlitico senserunt, quam de porcis ex Epicuri grege, qui in hac terra a Deo saginati, citra ullam spem coelestis immortalitatis vixerint. Nec minus aliorum error rejiciendus est, qui verum discrimen Veteris et Novi Testamenti tollentes, in utroque praeceptorum a Mose et Christo traditorum observationem causam salutis constituunt, et fidem cum exsecutione mandatorum legis sub Veteri Testamento, et Evangelii sub Novo (quae perfectiora fuisse fingunt, sive numerum spectes, quia plura addita, sive uniuscujusque excellentiam, quia ampliata) confundentes, justitiam operum utrobique inducunt, eamque in potestate nostra sitam et viribus humanis paratam.

XXIII. Falsum est enim, Christum Legi Mosis aliquid addidisse, ut ex imperfecta perfectam redderet, cum lex, cum primum a Deo lata fuit, semper fuerit perfectissima bonorum operum regula, quando nihil perfectius requiri possit, quam dilectio Dei ex toto corde, quae totius naturae integritatem, et omnium cogitationum, verborum et actionum, cum norma justitiae conformitatem requirit. Hinc est quod qui vitam ex operibus quaerunt, ad legem Christus remittit, Matt. 19, 17. Luc. 10, 28. Quodsi lex impleta habet efficaciam conferendi vitam aeternam, ad ejus perfectionem nihil addi potest. Et Bellarminus ipse sui oblitus, recte notat, Christum, Matt. 5. non dixisse, nisi abundaverit justitia vestra plus quam Prophetarum, sed plus quam Scribarum, etc. ut significaret, se non tam velle addere ad onera praeceptorum Legis, quam tollere de medio corruptelas Scribarum et Pharisaeorum, De justific. Lib. 4. cap. 4,

XXIV. Hos errores novi Photiniani a Pelagianis mutuati sunt, in eo tantum a Pontificiis distantes, quod gratiae necessitatem non agnoscant, ut possint impleri praecepta illa tam vetera interpolata, quam nova promulgata. Hi enim etsi utram-

que legem, tam veterem quam novam, quam in praeceptis constituunt, justitiae regulam statuant; fatentur tamen, non tantum necessariam esse gratiam revelationis externae per praedicationem, sed etiam operationis internae, cujus actus tamen a voluntate humana suspendantur aut determinentur.

XXV. In quo non solum falluntur, quod nimium arbitrio humano tribuant, sed quod justificationis gratiam non intelligant, duas matres, liberam et servam, confundant, carnem et promissionem pro eodem habeant, Legem operum cum Evangelio componant, ut res, quoad substantiam easdem, diversas tantum secundum magis et minus, vel perspicuitatis vel perfectionis, aut assistentiae spiritus, cum natura et genere duae res sint, quae in negotio justificationis componi non possunt. Nam qui sunt sub lege, non sunt sub gratia, Rom. 6, 14. Christus igitur qui gratiam attulit, novam legem non condidit, ut in ejus observatione justitiam constituerit.

XXVI. Neque tamen dicimus, quod illi calumniantur, Christum per Evangelium legem moralem sustulisse; nec negamus eandem legem Christum perfecisse, non solum implendo obedientia perfecta, sed etiam nativae suae perfectioni eam restituendo, et a corruptelis seniorum vindicando, non alia praecepta legalia addendo, aut jam data prolatando: quod factum ab eo fuisse, frustra ex cap. 5. 6. et 7. Matth. probare contendunt Pontificii et Sociniani.

XXVII. Neque etiam inficiamur, Novo Testamento contineri doctrinam operum et varia mandata, imo urgeri omnia mandata Legis moralis, nempe tamquam necessaria ad novam obedientiam et sanctificationis exercitia; sed hoc negamus, quod illi volunt, Novum Testamentum proprie dictum, quatenus est promissionis gratiae in Christo datae doctrina, requirere conditionem totius legis implendae, quod vult Bellarminus, De justif. Lib. 4. cap. 2. aut justos, non esse liberos ab observatione legis divinae, quatenus illa exigit obedientiam perfectam, qua ex debito justus aliquis pronunciatur.

XXVIII. Nam quas opponunt nobis conditiones Pontificii in Novo Testamento ad vitam requisitas, ut, nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum et Pharisaeorum, etc. Mat. 5, 20. item, si vis ad vitam ingredi, serva mandata, Mat. 19, 17, sunt comminationes aut promissiones

legales, non Evangelicae, et quae proprie ad Nov. Testam. non pertinent, sed ad foedus operum et Vet. Testam. stricte acceptum; et in Evangelio proponuntur, ut arguatur justitiariorum hypocrisis; et legis ἀδυναμίᾳ indicata, via sternatur ad promissionem gratiae quae propria est Novi Testam. Sic juvenem ex operibus justitiam quaerentem prius docere voluit Dominus, neminem coram Deo censeri justum, nisi qui legi satisfecerit (quod impossibile est) ut infirmitatis suae convictus ad fidei subsidium se conferret.

XXIX. Deinde, non omnem conditionem negamus in Evangelio et N. Test. requiri ad salutem, requiritur enim conditio fidei et novae obedientiae, quae ubique urgetur. Sed hae conditiones a Deo gratis donantur, neque imperfectione sua, si modo sincerae sint, impediunt salutem, quae ab alia causa manat. At non ita sentiendum de conditione totius legis implendae, quam statuunt illi salutis causam, et quae a Deo nemini in hac vita donatur talis, ut judicium Dei sustinere possit; cum in multis labamur omnes, et qui deliquit in uno, factus sit omnium reus, Jac. 3, 2. et 2, 10. Etsi enim Christus etiam regenerantem gratiam attulerit, qua legem suorum cordibus inscribit, non tamen in ea, salutis causa versatur, aut proprie Novi Test. ratio, sed in hac promissione, propitiabor iniquitati eorum et peccati eorum non memorabor amplius, Jer. 31, 31.

XXX. Quae cum ita sint, intolerabilis est Pontificiorum arrogantia, qui non solum perfectiorem illam legem quam sibi imaginantur, prae morali lege a Deo per Mosem tradita, se posse implere, idque facili negotio, praesumunt, eam cum Christi leni jugo confundentes; sed praeterea contendunt, addita esse legi a Christo in N. Testam. consilia quaedam, quae ipsi Evangelica appellant, quibus se abundantiorem operum justitiam consequi posse pertendunt, quam quae in lege praescripta est, et ex ea gradus in coelo promereri praeter beatitudinem essentialem; ita ut non servata, poenam non afferant, servata majus praemium mereantur: qualia sunt tria illa quae vocant pertectionis substantialia, continentia, paupertas et obedientia, et alia plura, ut, non vindicare se ipsum, injurias patienter ferre, etc.

XXXI. Haec doctrina legi divinae injuria est, perfectionem

in hominum traditionibus potius quam in praeceptis Dei constituens, aut libere observari vel violari posse insinuans, quae vere Dei praecepta sunt in utroque Testamento tradita, omnesque homines obligantia; qualia sunt privatae vindictae abstinentia, dilectio inimicorum, juramentorum temere susceptorum detrectatio, et si quae similia sint, aut praecepta singularia, pro ratione donorum et vocationis Dei suscipienda. Quicquid enim homo habet boni, cum id a Deo habeat, ei debitor est a quo habet, et inutilem servum se profiteri debet, qui quod debuit facere, fecit, Luc. 17, 10.

XXXII. His corruptelis rejectis, acquiescimus divinae huic dispensationi, qua ita legem et promissionem disposuit Deus, ut illam respiceremus condemnantem, hanc quaereremus consolantem; illam reposcentem, hanc ignoscentem, illam plectentem, hanc amplectentem: et in utroque Testamento nihilominus, eandem et unicam salutis viam proposuit per gratiam in Christo mediatore, mutatis tantum circumstantiis, et dispensationis modis, sine ulla dispensantis mutatione. *παρ᾽ ᾧ οὐκ ἔστι παραλλαγὴ, ἢ τροπῆς ἀποσκίασμα,* apud quem non est transmutatio, aut conversionis obumbratio, Jac. 1, 17. qui variis seculis, variis quoque modis pro summa sua sapientia, suis prospexit, pro uniuscujusque conditione, ut nota nunc fiat per Ecclesiam imperiis et potestatibus quae in coelis sunt, *ἡ πολυποίκιλος σοφία τοῦ Θεοῦ,* multiformis illa sapientia Dei, Eph. 3, 10.

Ὦ μόνῳ δόξα.

COROLLARIUM.

Inter Veteris et Novi Testamenti dispensationem medium intercessit Johannis Baptistae ministerium, quod ut excellentia cessit Apostolico, sic praecelluit Prophetico; cujus baptisma a Deo institutum, remissionem peccatorum obsignasse, idemque substantia et significatione fuisse cum baptismate jam in Ecclesia recepto, statuimus.

DISPUTATIO XXIV.

DE

Divina Praedestinatione.

Praeside D. ANTONIO WALAEO.

Respondente ISAACO BISCOPIO.

Thesis I.

Quamvis doctrina de aeterna Dei praedestinatione, sit ardua ac difficultatis plena; non ideo tamen de ea in Ecclesia Christi silendum, ut quidam praepostere cauti arbitrantur; quia Spiritu Sancto prudentiores esse nec possumus, nec velle debemus; qui eandem doctrinam, tam in prophetiis, quam concionibus, et epistolis ad totas Ecclesias scriptis, frequenter proponit; et quia materiam comprehendit plenam consolationis, et aliorum fructuum ad Ecclesiae aedificationem servientium, quemadmodum postea a nobis ostendetur.

II. Agnoscimus tamen, cum omni moderatione ac prudentia spirituali de ea agendum, et hoc ante omnia sedulo curandum, ne ultra id quod scriptum est, hic sapiamus, sed solius verbi divini ductum sequamur, in cujus obsequium veri Christi discipuli se libenter captivant, et licet rationem factorum Dei et profunditatem judiciorum ejus penetrare non possint, manifestissime tamen sciunt, et verum esse quod dicit, et justum esse quod facit, ut Prosper ad excerpta Genuens. resp. 8. recte loquitur.

III. Praedestinare ergo (ut a voce ordiamur) graece προορίζειν, id est, praefinire, duo omnino significatu suo comprehendit; primo certi aliquid de re aliqua agenda apud mentem suam constituere; deinde eandem rem ad certum eventum ac finem destinare. Unde et Augustinus Lib. 2. de bono persev. cap. 17. In sua quae falli mutarique non potest praescientia, opera sua futura disponere, id omnino neque aliud quicquam est praedestinare. Et Fulgentius ad Monimum L. 1. Praedestinatio nihil est aliud, quam praeparatio operum Dei, qui in aeterna sua dispositione, aut misericorditer se facturum praevidit, aut juste.

IV. Sumitur autem haec praedestinationis vox, vel generalius de actionibus divinae providentiae, tam in bono quam in malo, ut videre est, Act. 4, 28. et 1 Cor. 2, 7. vel de ordinatione personarum ad certum et supernaturalem finem.

V. Posteriori modo (sicuti et nos hic sumimus) intellecta vox, in Sacra Scriptura Novi Testamenti, non nisi de gratuito electionis decreto usurpatur, quia totum hoc quantumcumque est, sive media sive finem spectemus, a solius Dei misericordi dispositione atque efficacia pendet.

VI. Fatemur interim, ex communi usu Augustini et aliorum veterum scriptorum, atque analogia loci Act. 4, 28. nomen praedestinationis tam de reprobatione quam de electione recte usurpari; non tamen tamquam genus per omnia synonymum, sed analogum tantum, quia licet reprobationis actus sit a Deo, tamen omnia circa quae reprobatio versatur, ex reprobatione non sunt, ut in sequentibus clarius videbitur.

VII. Haec divina praedestinatio etiam Angelos respicit, quorum aliqui electi vocantur, 1 Tim. 5, 21. reliqui vero aeternis vinculis ad judicium magni diei sub caligine dicuntur servari, Jud. v. 6. Nos vero de hominum praedestinatione hic tantum agemus, quia haec Ecclesiam Christi peculiariter spectat, et Sacra Scriptura de illa frequentius ac copiosius agit.

VIII. Ut autem tota haec doctrina, quantum sufficere judicamus, a nobis pertractetur, primo electionis materia, deinde et reprobationis negotium a nobis ordine explicabitur.

DE ELECTIONE.

IX. Electio Graece ἐκλογὴ ex vocis nativa proprietate et communi usu, selectionem aliquorum prae aliis et ex aliis notat; unde et electi dicuntur qui ad munus aliquod Politicum aut Ecclesiasticum selecti sunt, 1 Sam. 10, 24. Luc. 6, 13. item populus aliquis in externam Ecclesiam a Deo prae aliis segregatus, ut Deut. 4, 37. 1 Cor. 1, 27. Ergo et illa electio, qua alii prae aliis ad aeternam salutem electi dicuntur, non aliter intelligenda est. Quemadmodum Christus testatur, Mat. 20, 16. Multi vocati, sed pauci electi, et Apostolus Rom. 11, 7.

Electi assecuti sunt, reliqui occalluerunt, nec sine ejusmodi ad alios respectu electionis vox in Sacra Scriptura usurpatur.

X. Haec electio ad salutem duobus modis consideratur; primo, prout ab aeterno facta est in Dei eligentis decreto, deinde prout in tempore electi Dei, reipsa e mundo evocantur atque eximuntur, et Christo per fidem inseruntur; de qua Christus loquitur, Joh. 15, 19. Vos e mundo non estis, sed ego vos elegi ex mundo, quam utramque Augustinus eleganter conjungit, De Praedestin. sanct. cap. 17., cum inquit: electi sumus ante mundi constitutionem, ea praedestinatione, qua Deus sua futura facta praevidit; de mundo autem electi sumus, ea vocatione, qua Deus id quod praedestinavit, implevit.

XI. Licet autem utraque haec electio ex eodem fonte nascatur, et posterior sit proprius prioris effectus, de prima tamen haec nostra disputatio peculiariter instituitur; ac proinde ipsius naturam, circumstantias, causas atque usus in sequentibus sigillatim exponemus.

XII. Ad naturae ejus intelligentiam voces aliquae, quae *συνωνύμως* a Scriptura nonnunquam usurpantur, breviter indicandae sunt; quarum prima est vox *προγνώσεως*, praecognitionis, qua utitur Apostolus Rom. 8, 29. et 1 Pet. 1, 2. et supremum in hac electionis scala gradum semper obtinet. Ea autem non pro notitia simplici, qua etiam rejectos novit, sed pro notitia approbativa ae sapientissimo Dei consilio, quo eos pro suis agnoscit, sumitur. Quemadmodum Joh. 10, 14. Christus de ovibus suis inquit, ego cognosco oves meas, et cognoscor a meis. Altera vox *προορισμοῦ*, i. praedestinationis, qua utitur Apostolus Rom. 8, 30. et Eph. 1, 4. etc. ipsam determinationem tum mediorum tum finis, in eisdem personis jam praecognitis denotat. Quemadmodum liquet ex Rom. 8, 30. quos vero praenovit, illos et praedestinavit conformandos imagini Filii sui, etc. Denique vox *προθέσεως*, propositi, in hac materia frequenter usurpata, firmitatem immutabilem divini hujus consilii indicat, et simul gratuitum fontem unde id consilium fluit. Quemadmodum ex duorum locorum collatione liquet, nempe Rom. 9, 11. Ut propositum Dei, quod est secundum electionem, maneret, non

ex operibus, sed ex vocante; item 2 Tim. 1, 9. Servavit et vocavit nos vocatione sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum proprium, et gratiam quae data est nobis in Christo Jesu ante tempora secularia.

XIII. Ut vero hujus decreti ac divini consilii natura plenius explicetur, definitionem ejus pleniorem proponemus, et ejus praecipua membra deinceps examinabimus.

XIV. Definimus ergo electionem illam aeternum atque immutabile Dei decretum, quo ex universo genere humano, e primaeva integritate in peccatum et exitium sua culpa prolapso, certam hominum singularium multitudinem, ceteris nec meliorum nec digniorum, ex solo beneplacito suo, ad salutem in Christo Jesu elegit; eosdemque Filio suo dare redimendos, et peculiari atque efficaci operandi modo ad fidem vivam in ipsum, et in eadem viva fide perseverantiam certam, perducere constituit, idque ad demonstrationem gratuitae suae misericordiae, et laudem gloriosae suae gratiae.

XV. Decretum hoc esse aeternum, demonstratur, quia regnum quod benedicti illi Patris possidebunt, a fundatione mundi iis fuit paratum, Matt. 25, 34. et omnium clarissime ad Eph. 1, 4. Elegit nos in ipso ante jacta mundi fundamenta, ut essemus sancti et inculpati coram eo in caritate.

XVI. Immutabilitas ejusdem decreti ex ipsa Dei natura satis evincitur. Qui enim consilium suum mutat, vel propter defectum sapientiae in deliberando, vel propter defectum potentiae in exsequendo, id mutare solet; quorum neutrum Deo sine blasphemia attribui potest, unde et David Psal. 33, 11. exclamat, Consilium Jehovae in seculum consistet, cogitationes ejus in aetatem et aetatem.

XVII. A veritate igitur omnino aliena est illa quorundam divisio, qua electionem distinguunt in completam et incompletam, revocabilem et irrevocabilem. Quia Sacra Scriptura unam tantum electionem aeternam novit, quae cum certo et infallibili eventu semper est conjuncta; quemadmodum locus Mat. 24, 24. evincit, Si fieri posset, seducerentur electi, et 22. Propter electos decurtabuntur dies; item scala Apostoli Pauli Rom. 8, 29. Quos praenovit, eos praedesti-

navit, etc. eosdemque vocavit, justificavit ac glorificavit, et asseveratio ejusdem Apostoli Rom. 11, 2. Non abjecit Deus populum suum, quem praenovit, item vers. 7. Electi assecuti sunt, reliqui occalluerunt, et similia plurima.

XVIII. Etsi vero libenter concedamus, electionem ad salutem, et salutis media, distincte posse considerari, sicuti Scriptura quoque nonnunquam distincte proponit, negamus tamen, propterea hos actus in Dei decreto revera esse diversos, quia unico et simplici actu haec omnia determinavit, quemadmodum unico et simplici actu omnia ab aeterno cognovit; sed haec tantum nostro considerandi modo dicuntur, propter multitudinem objectorum, quae hoc uno eligendi actu comprehenduntur; inter quae objecta ordinem aliquem in aeternitate dandum esse agnoscimus. Quemadmodum qui multas res simul videt, uno quidem obtuitu omnes videt, inter res visas tamen ordo aliquis constitui potest et solet.

XIX. Quum ergo nobis objicitur, supervacuam esse mediorum ordinationem, quando electi jam actu aliquo antecedente ad salutem absolute sunt destinati, id ex Orthodoxae sententiae mera ignorantia oritur, quia Deus nunquam quemquam absolute ad salutem elegit, si τὸ absolute excludat media, quae Deus ad salutis consecutionem ordinavit; sed ordinatio illa ad salutem in Dei proposito, considerationem mediorum, quae ad salutem necessaria sunt, ab aeterno, in eodem illo actu semper habuit conjunctam. Unde et Paulus 2 Thess. 2, 13. inquit, Deus nos elegit ab initio ad salutem in sanctificatione Spiritus et fide veritatis, et Petrus 1. Epist. cap. 1, 1. et 2. Electis secundum praecognitionem Dei Patris, in sanctificatione Spiritus, ad obedientiam et aspersionem sanguinis Christi.

XX. Quod vero homo, cum finem certum sibi jam proposuit, tum demum de mediis consultat, aut priusquam inter multa media unum prae aliis eligat, deliberationem interponit, id ex imperfectione intellectus ejus oritur, qui non nisi successive haec cogitare atque seligere potest. In infinito vero actu divinae sapientiae ejusmodi successiva actio locum non habet, sed sicuti tam finis optimus, quam media ad eum consequendum aptissima, simplici intelligentiae Dei, etiam ante omne decre-

tum, simul ab aeterno fuerunt praesentia, ita quoque sapientia et voluntas divina finem hunc et media, misericordiae ac justitiae suae convenientissima, in eadem aeternitate, sine ulla deliberatione aut consultatione, simul selegit atque ordinavit.

XXI. Materia ex qua Deus quosdam gratiose elegit, est genus humanum e primaeva integritate in peccatum sua culpa prolapsum, ac proinde et coram eo condemnationis reum. Nam Deus non instituit hanc electionem ex alio hominum genere, quam quale erat propagandum. Jam vero Scriptura testatur totum mundum jacere in malo, 1 Joh. 5, 19. item Judaeos et Graecos omnes esse sub peccato, ac non esse justum ne unum quidem, Rom. 3, 9. et 19. omne os esse obturatum et totum mundum esse ὑπόδικον τῷ Θεῷ, divinae condemnationi obnoxium; unde evidenter consequitur, ex eodem hominum genere Deum suos ab aeterno eligere statuisse.

XXII. Demonstrant illud etiam omnes fere loci qui de aeterna hac electione agunt. Electi enim sumus in Christo, ut essemus sancti, Eph. 1, 4. et praedestinati in adoptionem filiorum, vers 5. ergo antea eramus extra Christum, injusti, et ab adoptione filiorum alieni. Electi sumus ad salutem in sanctificatione Spiritus et fide veritatis, 2 Thess. 2, 12. ergo sanctificatione Spiritus et fide veritatis destituti. Quos praecognovit, eos imagini Christi conformandos praedestinavit, imago ergo Dei in iis non erat. Rom. 8, 30. electi sunt vasa misericordiae, quemadmodum reprobi vasa irae, Rom. 9. Deus autem proprie miseretur miserorum, quemadmodum non nisi in peccatores iram aut odium demonstrat, Rom. 1, 18. ut jam omittamus, quod Sacra Scriptura ab electione ad redemptionem aut vocationem nostri semper transitum facit; nunquam vero ad creationem ad imaginem Dei, aut lapsum ac peccati permissionem atque ordinationem, ut qui altius ascendunt, coguntur statuere.

XXIII. Interim fatemur, nec hominem ambiguo fine fuisse creatum, nec lapsum hominem sine speciali Dei providentia accidisse, nam si ne passer quidem cadat in terram sine Patre nostro, multo minus totum genus humanum, sed Deus voluit primo ostendere, quid in homine possit liberum arbitrium, deinde vero quid possit suae gra-

tiae beneficium. Infinito igitur scientiae suae lumine Deus praevidens fore, ut homo ad imaginem suam conditus libero arbitrio cum tota posteritate abuteretur, quo justitiae et misericordiae admirandae via manifestior aperiretur, putavit ad omnipotentissimam suam bonitatem potius pertinere, de malo benefacere, quam malum esse non sinere, ut recte Augustinus monet.

XXIV. In hoc electionis decreto, cum tota vetustate et nonnullis reformatae Ecclesiae magnis auctoribus primum locum Christo tamquam capiti atque redemptori Ecclesiae assignamus, quemadmodum Esaiae 42, 1. idcirco electus ille Dei servus appellatur, quem benigne accipit anima ejus, seu puer ille in quo animae ejus complacuit, ut Matt. 12, 18. hunc locum citat, et 1 Pet. 1, 20. dicitur agnus praecognitus ante jacta mundi fundamenta.

XXV. Neque cum hoc pugnat quod Christus Ecclesiae redimendae causa sit electus, nam etsi agnoscamus, Deum Patrem, ex quo sunt omnia et qui nos sibi reconciliavit per Christum, 2 Cor. 5, 18. voluntatem seu affectum habuisse quorundam miserendi, quum Christum in eadem aeternitate redemptorem constituerit, quia redemptor sine redimendis cogitari non potest; tamen haec voluntas aut effectus solus in Scripturis electio nondum vocatur, quia misericordia illa a justitia impediebatur, quominus peccatoribus actu completo salutem destinaret, nisi satisfactione interveniente: et quia electio haec non tantum finem, sed et media ad salutem necessaria complectitur, ut Thesi 19. est ostensum.

XXVI. Sed tum demum electio vocatur et est, cum Christus eligendorum caput et mediator est constitutus, et ipsi in illius membra sunt destinati; atque hoc respectu in Christo Jesu electi dicimur Eph. 1, 4. et per ipsum in adoptionem filiorum praeordinati, vers. 5. et praedestinati ut ejus imagini conformaremur, quod ipse esset primogenitus inter multos fratres, Rom. 8, 30.

XXVII. Atque hoc pacto inter Christum tamquam caput et electos tamquam destinata et donata ei membra, quae vivificanda ac in unum corpus redigenda accepit, certus aliquis respectus est ac mutua relatio, etiam antequam per fidem ei plene uniuntur; sed cum in sese ejus adhuc sunt inimici, quemad-

modum inter sponsum et sponsam, quam sanguine suo sibi debuit redimere, atque inter regem et subditos, qui per illum ad obedientiam erant reducendi.

XXVIII. Inde est, quod electi in Scripturis vocentur populus Christi, etiam antequam a peccatis eum servasset, Mat. 1, 21. et qui nondum ad ipsum erat conversus, Act. 18, 10. Item oves ejus pro quibus ponit animam suam, licet nondum ad ipsum essent adductae, Joh. 10, 26. Hinc vocantur Christi Ecclesia, quam dilexit, et pro qua sese tradidit, ut eam sanctificaret, ergo et antequam sese tradidit pro ea et antequam eam sanctificavit, Eph. 5, 25. Imo et servavit nos et vocavit nos vocatione sancta, non ex operibus, sed secundum propositum proprium, et gratiam quae nobis est data in Christo Jesu ante tempora secularia, 2 Tim. 1, 9. Si vocationis hujus gratia nobis data est in Christo, ergo necessario data est nobis in eo, antequam ut fideles consideraremur, quia fides ex hac vocatione et gratia est.

XXIX. Licet ergo Christi meritum non sit electionis nostrae causa, quia et ipsum Christi meritum ex electione est; tamen electio nostra citra respectum ad futurum Christi meritum peracta non est, quia Christi futurum meritum et tota mediatio ejus inter hujus electionis objecta est, et simul fundamentum omnium illorum beneficiorum, quae nobis per electionem sunt destinata.

XXX. Numerus electorum Deo notus, in hac vita nobis ignotus est, etsi vero respectu reproborum is nonnunquam dicatur grex pusillus, et inter multos vocatos pauci electi Mat. 20. et pauci sint qui porta arcta et via angusta ad salutem contendunt, respectu multitudinis, quae per viam spaciosam et portam latam ad perditionem ruit, Mat. 7. tamen per se considerati tanta sunt multitudo, ut omnibus admirationi sit futura, sicut videre est Esa. 49. item 60. et 66. capite, imò vero praeter eos qui ex Judaeis notati erant 144000, tanta Johanni monstrata fuit eorum turba, ex omni gente, populo et lingua, ut eam numerare nemo posset, Apoc. 7, 9.

XXXI. Explicatis jam plerisque definitionis nostrae membris, restat ut hujus electionis causam quae Deum ad certas personas eligendas movit, inquiramus.

XXXII. Notum enim est, nonnullos statuere, causam electionis impulsivam esse futura bona opera, quae Deus eligendos vel fecisse, vel si supervicturi erant, facturos fuisse praevidit.

XXXIII. Sed haec sententia Pelagiana a veteri Ecclesia recte fuit haereseos condemnata; quia diserte contradicit Apostolo Paulo Rom. 9, 11. Nondum natis pueris, cum necdum boni aut mali quicquam fecissent, ut propositum Dei quod est secundum electionem, maneret, non ex operibus, sed ex vocante, dictum est, major serviet minori, et rursum Rom. 11, 5. Ita etiam hoc tempore reliquiae secundum electionem gratiae facta sunt; si vero ex gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia non est amplius gratia. Et, si nec vocatio, nec justificatio ex operibus sunt, ut ubique testatur Scriptura, certe nec ipsa electio, quae ad haec omnia est, ex operibus esse potest. Quia vero haec opinio in Ecclesiis reformatis, paucos sectatores hactenus habuit, in ea refutanda diutius non insistimus.

XXXIV. Altera opinio, quae plures fautores inter eos qui Ecclesiae reformatae membra esse volunt, reperit, est eorum, qui volunt, Deum neminem peremptorie ad salutem elegisse, nisi ex fidei ac perseverantiae praevisione antecedanea, saltem ut qualitate praerequisita, et causa sine qua non; adeo ut electio haec nihil aliud sit, quam assignatio ultimi praemii ex conditionibus requisitis omnibus antea impletis.

XXXV. Haec sententia, si fidem et perseverantiam in fide merum Dei donum esse agnosceret, ex speciali gratia salvandis concessum, in ordine decreti, et modo loquendi tantum a nobis differret, in re ipsa et fundamento esset consensus; sed quia manifestum est, eos talem fidem et perseverantiam in ea praeexigere, quae partim quidem ex Dei dono, partim vero ex libera voluntate hominis ortum habet, a Pelagianismo nulla ratione liberari potest; et pugnat cum eo quod Apostolus dicit, ejus laudem non esse ex hominibus sed ex Deo, Rom. 2. vers. ult. et non esse currentis, nec volentis, sed miserentis Dei, Rom. 9, 16. et quis prior dedit ei quod retribuatur ei, nam ex ipso, per ipsum et in ipso sunt omnia, Rom. 11, 36. Item I Cor. 3, 6. Paulus plantat, Apollo rigat, sed Deus est qui incrementum

dat, non ergo qui plantat, est aliquid, nec qui rigat, sed qui incrementum dat Deus, et similia plurima, in quibus Scriptura omnia homini adimit, ut totum transcribat Deo, ut qui gloriatur, non in se ipso sed in solo Domino glorietur.

XXXVI. Quid, quod haec sententia incidit in opinionem illam quam Thesi 33. refutavimus, et quam ipsi aliquando in scriptis suis condemnant, nempe electionem quoque esse factam secundum praevisa opera, nam nulla fides est salvifica, nisi quae per caritatem operatur, Gal. 5, 6. nulla quoque ad salutem perseverat, nisi quae fructibus suis est ornata, Matt. 13. et bonis operibus conjuncta, Jac. 2. et praemium ultimum quoque dabitur in illo die secundum id quod unusquisque gessit in corpore suo sive bonum sive malum, 2 Cor. 5, 10. Unde evidenter consequitur, si electio est facta secundum fidei ac perseverantiae praevisionem, eam etiam esse factam secundum praevisionem operum, quae unusquisque partim ex gratia, partim ex propria voluntate ac libertate (ut ipsi sentiunt) facturus fuit.

XXXVII. Adde quod haec ipsorum electio plane est supervacua, et nullum fructum homini electo affert, nec in hac vita, nec in futura. Non in hac vita, quia perseverantiam ultimam in fide et fidei obedientia omnia beneficia ad credendum et perseverandum requisita, necessario antecedunt. Nec in futura vita, quia vita aeterna perseverantibus in fide debetur ex vi generalis decreti, Quicunque credit et ad finem usque perseverat, salvabitur, quod generale decretum hanc electionem peremptoriam certarum personarum antecedere, ipsimet agnoscunt. Quemadmodum si magistratus aliquis supremus decretum generale condidisset, quo piratis omnibus intra certum tempus in patriam redeuntibus venia concederetur, supervacua atque ab omni sapienter agendi ratione aliena essent decreta alia, per quae singulis eorum, quos domum redituros norunt, venia denuo decerneretur.

XXXVIII. Ut jam sigillatim non vindicemus plurima atque evidentia Sacrae Scripturae loca, in quibus et fides, et sanctitas, et perseverantia in iis, ex electione manifesto deducuntur, ut Matt. 24, 24. Fieri non potest ut electi seducantur, Actor. 13, 48. Crediderunt quotquot erant ordinati

ad vitam aeternam. Rom. 8, 29. Quos praecognovit, eos praedestinavit, etc. quos praedestinavit, eos vocavit. Item Rom. 9, 11. Nondum natis pueris, antequam boni aut mali quicquam fecissent, etc. sic Rom. 11, 4. Reservavi mihi septem millia, et vers. 5. Ita etiam nunc reservatio secundum electionem gratiae facta est, etc. Electi sumus in Christo ante jacta fundamenta mundi ut essemus sancti, Eph. 1, 4. et plurima alia, passim in scriptis Propheticis et Apostolicis occurrentia; quae nullis exceptionibus aut explicationibus contrariis hactenus labefactari potuerunt, sicuti facile nobis esset demonstrare, si intra Thesium modum nos continere non cogeremur.

XXXIX. Statuimus ergo ex Sacrae Scripturae plurimis et manifestis locis, causam quae Deum ad nos prae ceteris eligendos movit, esse solum ejus beneplacitum et indebitam gratiam. Nam miseretur cujus miseretur, et commiseratur quem commiseratus fuerit, Rom. 9, 9. 15. et 16. Non est volentis, nec currentis, sed miserentis Dei, et denuo vers. 18. Cujus vult, miseretur, unde et vers. 11. dixit, propositum hoc secundum electionem manere, non ex operibus, sed ex vocante, id est, sola vocantis εὐδοκίᾳ, sicuti hujus vocis usus ubique postulat. Inde quoque Rom. 11, 5. haec electio electio gratiae appellatur, et Eph. 1, 5. Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, nos praedestinasse dicitur, in filiorum adoptionem per Jesum Christum in se ipsum, secundum beneplacitum voluntatis suae.

XL. Nec propterea sequitur, hanc Dei εὐδοκίαν vel fatalem esse vel temerariam, id est, sine certa ratione factam, quia Dei voluntas nunquam a sua sapientia, ac proinde nec a recta ratione est sejuncta, sed cum ea semper conspirat, etsi nobis in sola Dei benigna erga nos voluntate sit acquiescendum. Quemadmodum id recte ab Augustino monetur epist. 105. Quia universa ista massa merito damnata est, contumeliam debitam reddit justitia, honorem donat indebitum gratia, non meriti praerogativa, non fati necessitate, non temeritate fortunae, sed altitudine divitiarum sapientiae et scientiae Dei, quam

non aperit, sed clausam miratur Apostolus, clamans: O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei, quam inscrutabilia sunt judicia ejus et impervestigabiles viae ejus! quis enim cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit? etc.

XLI. Usus hujus doctrinae multi et insignes sunt in Ecclesia Christi; nam verae humilitatis est magistra, solidae in Deo fiduciae fundamentum, fons gaudii spiritualis et spei Christianae, materia certa consolationis in adversis, tolerantiae in cruce, confirmationis contra aliorum apostasiam, calcar gratitudinis erga Deum, caritatis erga proximum, et cetera plurima, quorum omnium illustria exempla ex sacris literis afferri possunt, nisi brevitati studeremus.

XLII. Sed usus hi tum demum plenam suam habent efficaciam, cum electi de sui electione certiores redduntur. Quod contingit, non ex aliquo enthusiasmo, aut divinorum judiciorum scrutatione temeraria; sed ex certis ejus effectis et notis, quas profani quidem ignorant et contemnunt, pii vero in serio sui examine cum gaudio in se deprehendunt, vel si tempore tentationis, aut negligentia ipsorum forte in ipsis langueant, per preces, verbi auditum, sacramentorum usum, colloquia cum sanctis, et caritatis opera, etc. in se denuo excitare omnibus modis satagunt. De quibus effectis et notis ampli tractatus a viris piis conscripti sunt, qui tamen omnes sub vocatione secundum propositum, justificatione per fidem, sanctificatione per Spiritum, et ejusdem Spiritus Sancti, tamquam arrhabonis, haereditatis nostrae obsignatione, comprehendi possunt, sicut ab Apostolo Paulo certa serie referuntur in Epistola ad Rom. 8, 14. et deinceps.

XLIII. Quorum omnium supremus finis est, demonstratio gratuitae misericordiae Dei, et manifestatio divitiarum gloriae ejus, erga vasa misericordiae, quae praeparavit ad gloriam, Rom. 9, 23. et Eph. 1, 6. in quo fine et nos libenter finimus.

DE REPROBATIONE.

XLIV. Explicato hac ratione primo hujus praedestinationis membro, reliquum est, ut de altero quoque agamus. Nam licet

ex antecedentibus doctrina reprobationis magna ex parte innotescat, cum illius natura sine hac cognosci atque explicari vix possit; tamen ne quid hic desideretur, et quia haec pars ingenio humano maxime videtur adversa, nos paucis, quid de hoc quoque membro ex Scriptura sentiendum sit, deinceps proponemus.

XLV. Reprobum, Graece ἀδόκιμον proprie vocatur, quod improbatur et rejicitur, quemadmodum Jer. 6, 30. de populi maxima parte Deus inquit, Argentum reprobum vocabuntur illi, quia Jehova abjecit vel reprobavit eos. Utitur hac voce in simili significatione Apostolus 2 Tim. 3, 8. Heb. 6, 8. et alibi.

XLVI. Reprobationis vero illius aeternae, cui temporaria respondet, cum Deo omnia sua opera ab aeterno sint nota, Act. 15, 8. duplex enunciationis modus occurrit in verbo Dei. Primus est negativus, alter affirmativus, uterque vero reprobationem esse evincit, et uterque synecdochice pro tota reprobatione nonnunquam ponitur.

XLVII. Negativum primo, ipsa vox electionis infert, ut antea notavimus; qui enim aliquos tantum eligit, reliquos praeterit ac relinquit. Hinc Apostolus Rom. 11, 7. electos opponit reliquis, cum inquit, electi assecuti sunt, reliqui occalluerunt. Sic Christus Matt. 7, 23. operariis iniquitatis inquit, nunquam novi vos, cum electi Rom. 8. et alibi, praecogniti a Deo appellentur. Sic Joh. 10, 26. de iisdem ait, sed vos non creditis, non enim estis ex ovibus meis, sicut vobis dixi, oves meae vocem meam audiunt, et ego cognosco eas, etc. Sic quoque Joh. 15, 19. ego elegi vos ex mundo, propterea odit vos mundus, et 17, 9. non rogo pro mundo, sed pro iis quos dedisti mihi, quia tui sunt. Item Apoc. 13, 8. et 20, 15. inscripti in libro vitae opponuntur iis, quorum nomina non sunt scripta in libro vitae agni.

XLVIII. Affirmativum quid et magis poenale includunt alii loquendi modi, qui subinde occurrunt. Tales sunt, Major serviet minori; item, Esau odio habui, Rom. 9, 12. 13. et vers. 18. Quem vult, indurat; vasa facta ad dedecus, vers. 21. vasa irae ad interitum coagmentata, vers. 22. Ita Petrus 1. Epist. 2, 8. dicit, eos impegisse in lapidem offen-

diculi, εἰς ὃ καὶ ἐτέθησαν, ad quod etiam positi sunt, et Judas in Epistola sua, vers. 5. vocat eos, homines jam olim descriptos ad hunc interitum.

XLIX. Ex hoc gemino loquendi modo, oritur distinctio a magnis Theologis in hoc negotio usurpata, in reprobationem negativam et affirmativam, quam alii praeteritionem et praedamnationem vocant; ex quorum explicatione hujus dogmatis natura magis innotescet.

L. Negativa reprobatio dicitur, actus aeternus divinae potestatis et judicii, quo secundum consilium voluntatis suae, reliquorum, quos non elegit, eousque misereri non constituit, ut peculiari illa et indebita electionis gratia eos donaret. Affirmativa vero, quo eosdem in perditionis massa juste relictos, aut naturae et Evangelii lumine diversis modis ex proprio arbitrio abutentes, commeritis tandem poenis afficere constituit.

LI. Uterque hic actus hominem peccatorem et condemnationis reum pro objecto habet, sicuti tota vetustas recte sensit, et supra de electione a nobis est demonstratum, quemadmodum et Apostolus testatur Rom. 9, 21. An non habet potestatem figulus ex eodem luto faciendi aliud vas ad decus, aliud ad dedecus. Quod et hinc liquet, quod Deus non nisi peccatum odit, non nisi peccatores certo judicio indurat, quod non nisi peccatoribus irascitur, non nisi dignos et merentes ad interitum aptat, aut ad judicium proscribit.

LII. Nec tamen id sic est capiendum, ac si hi duo actus revera essent diversi, (nam Deus unico actu omnia ab aeterno apud se determinavit, ut supra quoque monuimus) sed id propter diversas res eodem decreto contentas, et propter diversos ejus respectus, termini scilicet a quo, et ad quem, sic a nobis enunciatur. Terminus enim a quo reprobationis, est derelictio in communi corruptione et reatu. Terminus vero ad quem, est non tantum communis damnatio, sed certus quoque damnationis gradus. Unde necessario infertur, quemadmodum praeteritio praesupponit commune peccatum, ita praedamnationem in divina praescientia praesupponere insuper omnia quoque reliqua peculiaria peccata, tam adversus legem, quam adversus Evangelium committenda, quae ejusmodi poenam erant commeritura.

LIII. Neuter ergo hic actus injustitiae argui potest, quia dignum rejectione, indebita gratia non donare, non injustitiae,

sed judicii liberi actus est, quemadmodum Apostolus indicat, cum dicit, An non habet potestatem figulus ex eodem luto faciendi aliud quidem vas ad decus, aliud vero ad dedecus? Rom. 9, 21. et, Quis prior dedit ei, quod retribuatur ei? Rom. 11. 35. Rursum autem, ex peccati singularis et praevisi incremento ad certum quoque gradum poenae quempiam destinare, justitiae vindicatricis, non injustitiae actio est, quemadmodum id Apostolus ibidem notat, Quid si Deus volens ostendere iram, et notam facere potentiam suam, multa lenitate pertulit vasa irae coagmentata ad interitum? Rom. 9, 22. si pertulit multa lenitate, ergo et in sua praescientia abutentes divina lenitate pertulit, et sic tandem ad interitum justum ordinavit.

LIV. Hoc ut recte intelligatur, diligenter notandum est, hanc praeteritionem non omnem gratiam in praeteritis tollere aut negare, sed eam tantum quae electis est peculiaris. Ea vero quae per communis providentiae administrationem, sive sub lege naturae, sive sub gratia Evangelica, hominibus vario dimenso dispensatur, per hunc praeteritionis actum non adimitur, sed potius praesupponitur: quia non electi, sub illa communi providentiae divinae gubernatione, et arbitrii sui exercitio, relinquuntur.

LV. Haec autem communis providentiae administratio eam beneficiorum externorum atque internorum communicationem semper conjunctam habet, quae in natura quidem integra ad salutem sufficiebat, ut in Angelis rejectis, et genere humano toto, in primo parente ante lapsum considerato, manifestum est; in natura vero corrupta, tanta reliqua facta est, aut naturae sub Evangelio superaddita, ut omni excusationis praetextu coram divino judicio nudati ac privati sint, quemadmodum Apostolus testatur, Act. 14, 27. Rom. 1, 20. et 2, 1. Item Joh. 15, 22. 1 Cor. 4, 3. et alibi.

LVI. Atque ideo recte Synodus Arausicana, can. 25. definivit: Aliquos divina potestate ad malum praedestinatos esse, non tantum non credimus, sed si quis sit qui tantum malum credere velit, ei cum omni detestatione Anathema dicimus. Nam peccata communia Deus in illis invenit, non fecit, ut antea monuimus; et licet Deus ex justo suo judicio, etsi nobis occulto, eos amplius deserat et

induret, Rom. 9, 18. tamen ipsi primi per arbitrium suum occallescunt, Rom. 11, 7. ac communis providentiae beneficia deserunt, et lenitate Dei abutuntur, ut Paulus testatur Rom. 1, 18, 26. et 28. item Rom. 9, 22. 2 Thess. 2, 11. et alibi. Ac licet Apostolus quoque Petrus 1. Epist. cap. 2 dicat, eos ad hoc esse positos, ut in lapidem offensionis impingant, tamen non nisi antecedenti aliqua ingratitudine id merentes, ad hoc positi sunt; idque eo modo ac ratione, quae justitiae omnem laudem Deo, ipsis vero solis culpam omnem relinquat; de quo indurandi modo alias per Dei gratiam agemus. Quod vero electos vel praeveniat, ne eodem modo arbitrio suo abutantur, vel si abusi sunt, ut resurgant et resipiscant, id ex gratia ac misericordia singulari quae nulli debetur, non ex ipsorum arbitrio causam habet.

LVII. Unde liquet, etsi peccatum sit conditio in reprobandis praesupposita (quam causam sine qua non vocare licet) tamen cum illi quorum Deus misertus est, quoque peccatores essent, et non minus quam reliqui suo arbitrio abusi, aut abusuri, nisi electionis gratia antevertisset, supremam et adaequatam reprobationis causam esse Dei liberam potestatem, et justam nullique obligatam voluntatem, quemadmodum Apostolus loquitur Rom. 9, 18. Cujus vult, miseretur, et quem vult, indurat. et v. 21. An non habet potestatem figulus, etc. item v. 22. Quid si Deus volens ostendere iram, et notam facere τὸ δυνατὸν αὐτοῦ, potestatem suam, etc.

LVIII. Nec voluntas haec est absoluta, quasi ratione careat, aut tyrannica (absit verbo blasphemia) sicut quidam vocem absolute intelligunt, cum hinc nobis invidiam creare conantur; sed sapientissima est, ordinatissima et sanctissima. Nam primo tyrannidis accusari non potest, qui jus suum ab uno delinquente et reo exigit, etsi id ab aliis pariter reis non exigat; deinde qui id in bonos et sanctos fines facit, si enim utrique liberarenter, lateret quid peccato per justitiam deberetur, si nemo, quid gratia largiretur, ut Augustinus Epist. 105. convenienter Apostolo loquitur, Rom. 9, 22. et 23.

LIX. Imo vero ne quidem absoluta est, quasi nulla divinae sapientiae constet ratio, cur hunc potius quam illum rejecerit, etsi ea ratio in diversitate meritorum quaerenda non sit; sicuti

Augustinus de bono perseverantiae, cap. 11. recte monet, Universae autem viae Domini, misericordia et veritas: impervestigabilis ergo est misericordia, qui cujus vult, miseretur, nullis praecedentibus meritis; et impervestigabilis veritas, quia quem vult, obdurat ejus quidem praecedentibus meritis, sed cum eo cujus miseretur, plerumque communibus. Et Prosper de libero arbitrio ad Ruffinum, Omnibus in Adae praevaricatione prostratis, nisi quosdam assumeret misericors gratia, maneret super universos inculpata justitia; quae autem sit illius discretionis in consilio Dei causa vel ratio, et supra facultatem humanae conditionis inquiritur, et sine fidei diminutione nescitur, modo confiteamur, neminem immerito perdi, neminem merito liberari.

LX. Imo et ipse Calvinus ac Beza hoc quoque nonnunquam inculcant, contra eos, qui talem aliquam absolutam in Deo voluntatem hic comminiscuntur, quales quidam inter Scholasticos fuerunt. Sic loquitur Calvinus de occulta Dei providentia statim in initio: Quamquam mihi Dei voluntas summa est causa, ubique tamen doceo, ubi in consiliis et operibus causa non apparet, apud eum tamen esse absconditam; ut nihil nisi juste et sapienter decreverit. Itaque quod de absoluta potestate nugantur Scholastici, non solum repudio, sed etiam detestor, quia justitiam ejus ab imperio separant. Et Beza Colloquio Mompelg. pagin. 162. Hanc tamen voluntatem, sive hoc decretum ipsius, nunquam a justitia et vera rectaque ratione sejungimus, et semper ordinatissimam, quamvis ipsis etiam Angelis inscrutabilem, esse credimus, et propterea miramur et adoramus, nec aliam absolutam in Deo voluntatem agnoscimus.

LXI. Concidunt ergo sua sponte omnes calumniae, quibus haec doctrina a nonnullis gravatur. Ac proinde in Ecclesia Christi, cum omni tamen sobrietate, de ea nonnunquam ex Scriptura Sacra agendum asserimus; quia ex hac comparatione Dei benignitas eo magis erga nos elucet, ut Paulus Rom. 11, 22. monet; et quia hinc nos sub Dei judiciis tanto magis humiliamus, ut justitiam et sapientiam ejus, licet nobis aliquando oc-

cultam veneremur et adoremus, sicut idem Apostolus nobis praeit, Rom. 9, 20. et 11, 33. ac deinceps.

DISPUTATIO XXV.

DE

Filii Dei Incarnatione et Unione personali duarum naturarum in Christo.

Praeside D. ANTONIO THYSIO.

Respondente NICOLAO BALBIANO.

THESIS I.

POSTQUAM de Lege et Evangelio, et iis cohaerente Veteri et Novo Testamento, eorumque inter se convenientia et discrimine, itemque de Praedestinatione, quae primo Christum, inde in eo membra ejus spectat, actum est; consequitur ut de objecto Evangelii, novique foederis fundamento, Christi persona, seu Incarnatione Filii Dei, et personali duarum naturarum in Christo unione, sigillatim agamus.

II. Hoc mysterium, post illud de S. S. Trinitate, trium scilicet in una essentia personarum, quo tres personae realiter inter se distinctae unam eandemque essentiam habent, et in una numero essentia uniuntur, summum est, quo quidem duae perfectae naturae in una persona Filii Dei uniuntur; unde Apostolus hoc mysterium, quod Deus manifestatus est in carne, magnum pietatis mysterium appellat, 1. ad Timotheum 3, 16.

III. Quare etiam humana ratione doceri aut accipi non potest quod nullum ejus in tota natura, perfectum et omnino respondens exstet exemplum, quamvis cum recta ratione non pugnet; verum divinitus e Scriptura doceri et probari, oculisque fidei accipi debet. Atque in eo indicium est, sublimis et plane divinae doctrinae verbi Dei, ut quod superiora humanae rationi de Deo ejusque oeconomia nobis prodat et pandat, quae fide, testimonio

Dei de se verissime testantis, firmissime accipere necesse est.

IV. Est autem Incarnatio opus Dei, quo Filius Dei, secundum oeconomiam divini consilii Patris et sui, et Spiritus Sancti, sese humilians, veram, integram, perfectam sanctamque carnem ex virgine Maria, Spiritus Sancti operatione et efficacia, in unitate personae sibi assumsit: ita ut caro illa nullam propriam subsistentiam extra Dei Filium habeat, sed ab illo et in eo vere sustentetur et gestetur; duabus perfectis naturis inter se ἀτρέπτως καὶ ἀσυγχύτως, ἀδιαιρέτως καὶ ἀχωρίστως unitis, unde constituitur persona Christi Θεανθρώπου; hoc fine, ut mediatoris partibus plene apud Deum fungi, homines Deo reconciliare atque unire posset, et electos Deo reconciliaret et uniret, justitiam, sanctitatem vitamque aeternam conferret, ad justitae Dei demonstrationem et laudem misericordiae suae.

V. Ad hujus theseos seu definitionis ἔκθεσιν, primum est σαρκώσεος et ἐνσαρκώσεος, seu incarnationis vox, ex eo facta, quod sermo ille dicitur factus caro, Joh. 1, 14. Utuntur et Graeci ἐνανθρωπήσεως vocabulo, ex Epist. ad Philip. 2, 7. factus in similitudine hominis. Atque secundum hanc phraseologiam, Pater dicitur misisse Filium in carnem, Rom. 8, 3. et ipse missus et venisse in carnem, vel carne 1 Joh. 4, 2. formam servi accepisse, Phil. 2, 7. assumsisse semen Abrahae, Heb. 2, 16. et factus particeps carnis et sanguinis. Item dicitur habitare in Christo tota Deitas corporaliter, Col. 2. manifestatus in carne, 2 Tim. 3, 16. habitu corporis compertus ut homo, Phil. 2, 8.

VI. Accepta porro incarnationis voce active, est Dei opus; et quidem, ut omne opus et operatio Dei ad extra, ut vocant, id est, quod relationem extraneam a Deo habet, commune est toti Trinitati, servato tamen ut in personis divinis, sic et in actionibus ordine ac subordinatione; ita ut fons actionis sit a Patre, adeoque referatur ad Patrem, medium in Filio, nempe sapientia Patris, terminus in Spiritu Sancto, utpote virtute et potentia Dei altissimi, per quem exterius profertur; idque intelligendum, tum ratione decreti, tum operis ipsius. Atqui termini illius respectu peculiariter Spiritui Sancto appropriatur, Matt. 1, 18. 20. Luc. 1, 35. unde in Symbolo dicitur conceptus de Spiritu Sancto.

VII. Opus autem est oeconomicum, id est, divinae voluntatis gratiosa actio, certo et sapiente consilio, pro ratione ordinis et actionis peragendae, scilicet ad salutis nostrae reparationem, conveniente dispositione seu dispensatione in personis divinis facta, initum susceptumque; ita ut Pater mittentis, Filius missi et venientis in carnem et in mundum, Spiritus Sanctus efficientis et Filio corpus aptantis, partes singulariter teneat.

VIII. Haec oeconomia relata ad Filium (quo nomine veteribus Patribus ex Apostolo Eph. 1. Incarnatio appellatur) seu Incarnatione passive et subjective accepta, non Pater aut Spiritus Sanctus, sed solus Dei Filius incarnatus seu homo factus est, ut passim Scriptura testatur, Luc. 1, 35. Joh. 1, 14. Rom. 1, 3, Gal. 4, 4. Phil. 2. Quamvis secundum voluntatem et beneplacitum S. S. Trinitatis sit incarnatus.

IX. Proinde persona Filii Dei, non natura, quae tribus personis communis, proprie loquendo incarnata est, Joh. 1, 14. nisi naturam consideremus qua Filii est, singulari τῆς ὑπάρξεως τρόπῳ distincta. Non quod alia atque alia sit Deitas Patris et Spiritus Sancti, sed quod modo habendi distincte consideretur, 1 Tim. 3, 16. Deus manifestatus est in carne. Col. 2, 9. In eo inhabitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter.

X. Filius ergo Dei, qui ab aeterno fuit ὑφιστάμενος, Prov. 8, 22. 23. etc. ὁ λόγος, sermo qui erat a principio, qui erat apud Deum, et qui erat Deus, Joh. 1, 1. qui erat antequam Abraham esset, Joh. 8, 58. ὑπάρχων, existens in forma Dei, Phil. 2, 6. ille, inquam, Patri ὁμοούσιος, ἴσος καὶ συναΐδιος, coessentialis, aequalis et coaeternus, factus est in tempore caro, Joh. 1, 14.

XI. Caro cum factus dicitur, non ejus phantasma, sed verum corpus, carne et ossibus et sanguine constans intelligitur, Matt. 14, 26. Luc. 24, 39. Hebr. 2, 14. Synecdochice vero integer homo, corpore et anima rationali, partibus essentialibus naturae humanae, constitutus.

XII. Quin perfectus homo, naturalibus, et quidem essentialibus proprietatibus, quae necessario et inseparabiliter ei insunt, praeditus; ut sunt totius quidem humanae naturae, quod creata et finita, alterius vero partis, puta animae, quod incor-

porea, invisibilis, impatibilis, intelligens, volens etc. corporis, quod quantitate et certis lineamentis constans, partemque extra partem habens, certa magnitudine circumscriptum, et quod qualitate effigiatum, visibile et palpabile etc. sit, Luc. 24, 39. Joh. 20, 27. 1 Joh. 1, 2.

XIII. Accedunt Accidentariae proprietates, quae separabiliter insunt, et mutari abolerique possunt; ut in anima, sapientiae incrementum, Esa. 7, 6. Luc. 2, 40. ejus passiones, ut tristitia usque ad mortem, Matt. 26, etc. In corpore, incrementum staturae, Luc. 2, 40. fames, sitis, esus, potus, lassitudo, somnus, dolores corporis, lacrymae, sudor sanguinis, etc. Matt. 4, 2. Joh. 4, 6. Matt. 11, 19. Matt. 8, 24. Luc. 19, 19. Luc. 22, 44.

XIV. In summa, sub nomine carnis non modo verus, integer et perfectus homo intelligitur, nobis ὁμοούσιος sed etiam humilis, misera ac infirma hominis conditio (quae tamen in eo pro ratione primi status duntaxat fuit ad tempus) comprehenditur; unde et formam servi accepisse, Phil. 2, 7. factus ex domino servus, Joh. 13, 13. 14. ex divite pauper, 2 Cor. 8, 9. ὁμοιοπαθὴς, similiter affectus et nobis per omnia similis, Heb. 2, 17, et 4, 15. dicitur; quae quidem omnia lubens volensque subiit.

XV. Talis ergo homo factus est Filius Dei; et quidem homo, quoad originem ex homine, ut noster frater esse posset, sc. non immediate a Deo ut primus homo ex terra creatus, aut e coelo substantia sua delapsus, sed ex uno eodemque sanguine Adami progenitus, Act. 17, 26. anima corpori ordinario modo increata et conjuncta unitaque. Unde et genealogiam ad Adamum ducit, Luc. 3, 38. Filius hominis, Matt. 8, 20. et 10, 23. et Frater noster, Heb. 2, 17. appellatur.

XVI. Secundum promissionem autem, singulariter, semen et Filius mulieris, Gen. 3, 15. Abrahami, in cujus semine benedicendae promittuntur omnes gentes, Gen. 12, 3. et 22, 18. Gal. 3, 8. Isaaci, Gen. 26, 5. Jacobi, Gen. 28, 14. Inde Judae, et ex ejus tribu, Gen. 49, 10. Heb. 7, 14. Davidis, 2 Sam. 7. adeoque surculus et flos Jessae, Esa. 11, 1. et prognatus e lumbis Davidis, Act. 2, 30. imo et David, propter originem et typum, vocatur.

XVII. Verum peculiariter ejus genus ad Abrahamum et

Davidem, ut genearchas, propter promissionem singulariter ipsis factam, refertur, Matt. 1, 1. Ac ab Abrahamo in Davidem per Solomonem legaliter, per Nathanem naturaliter ducitur, Matt. 1. Luc. 3. ut ita divina promissio suum complementum acciperet.

XVIII. Veruntamen nomine carnis non intelligitur, caro corrupta, qualiter fere accipitur Spiritui opposita, Joh. 3, 6. sed labis communis exsors, Luc. 1, 35. Heb. 4, 15. Non enim conveniebat humanam naturam peccato obnoxiam Filio Dei uniri. Quamvis venit in similitudine carnis peccati, seu peccato obnoxiae, Rom. 8, 3. ut cujus vestigia in fragilitate gessit.

XIX. Quare etiam non ex sanguinibus, aut libidine carnis aut viri, id est, ratione seminali, sed sine interventu viri, vi Spiritus Sancti, ex muliere (cujus semen dicitur Gen. 3.) et virgine, Esa. 7. progignendus praedicitur. Et nominatim ex muliere virgine beata Maria, desponsata quidem Josepho, ad famam, salutem et curam ejus, Matt. 1, 19. 20. sed ab eo non cognita, v. 25. ex cujus substantia progenitus est, Gal. 4, 4. Matt. 1, 18. 20, cujus ipse ventris fructus, Luc. 1, 42. et ipsa ejus mater, et ille, hujus Filius, et quidem primogenitus, dicitur. Adeoque ut secundum divinitatem ἀμήτωρ, sine matre, ita secundum humanitatem ἀπάτωρ, sine patre, declaretur, Heb. 7, 3.

XX. Supernaturaliter itaque conceptus est, scilicet ex Spiritu Sancto, id est, vi ejus immediate operante, qui in et ex virgine Maria sanguinem et semen decerptum, atque utero conceptum fecundavit, ut ineptum alias, aptum semen foret generationi; ac proinde ejus respectu singulariter non genitus sed factus dicitur, Rom. 1, 3. Gal. 4, 4. Atque illud insuper ab omni labe et immunditia, quae, ut in ceteris hominibus, ita et Maria fuit, Job. 4, 4. Ps. 51, 7. mundavit et sanctificavit, et sanctum porro conservavit; ideoque, quod in ea genitum, sanctum dicitur, Luc. 1, 35.

XXI. Atque hujus conceptionis supernaturalis modi et efficientiae Spiritus Sancti respectu, prior et posterior Adam seu homo, ut qui singularis homo, suo quodam modo conferuntur et opponuntur: et ille ex terra factus, et hic de coelo descendisse dicitur, scilicet, non quoad corporis materiam, sed

conceptionis modum, Rom. 5, 14. 1 Cor. 15, 45. 47. Joh. 3, 13. et 6, 41. etc.

XXII. At quoad cetera, naturaliter, seu consueto naturae ordine in utero Virginis Mariae conformatus, fotus, altus, novem gestatus mensibus, opportuno partus tempore, naturae repagulis reseratis, seu aperto utero, natus editusque, ac inde nutritus educatusque est, Es. 7, 14. 15. Luc. 1, 56. et 2, 6. 23. 40. 42. 52. et 11, 27.

XXIII. Natus est autem homo, tempore et loco a Deo designato, idque tempore opportuno, novissimo scilicet mundi tempore, Es. 2. atque adveniente ejus plenitudine, Gal. 4, 4. Sceptro a Juda ablato, utpote Augusto Judaeis imperante, Genes. 49, 10. Luc. 2. sub finem 70. Hebdomadarum a Daniele praedictarum, Dan. 9. atque in Judaea, civitate Davidis Bethlehem, Mich. 5, 2. Matt. 2, 1. 5. Luc. 2, 4.

XXIV. Modus porro quo Filius Dei unigenitus factus est caro, est per immediatam unionem personae Filii Dei ad humanam naturam, seu assumptionem humanae naturae, in unam eandemque personam, Phil. 2, 7. Hebr. 2, 16. Ita ut Filius Dei secunda S. S. Trinitatis aeterna persona, non personam praeexsistentem, sed ἀνυπόστατον propriae hypostaseos seu subsistentiae expertem, jam inde a conceptionis momento assumpserit in personae unitatem, eamque sibi propriam effecerit, adeoque caro illa extra Filium Dei subsistentiam non habeat, sed in eo exsistat, subsistat et ab eo gestetur et sustentetur.

XXV. Unde revera Filius Dei Filius hominis esse coepit, manendo quod erat, et incipiendo esse quod non erat, non quod ei quicquam ad perfectionem accesserit: et Filius hominis Filius Dei factus est, scilicet quod Filius Dei erat per naturam, id Filius hominis factus est per unionis gratiam. Atque hinc Maria Mater Domini, Luc. 1, 35. et Veteribus θεοτόκος, Deipara appellatur.

XXVI. Cum hac unione immediata personae assumentis, et naturae assumptae cohaeret, ut ejus proprietas, naturarum inter se unio seu unitio; qua duae perfectae naturae, divina et humana, non naturaliter in unam naturam, id est, essentiam et essentiales proprietates, sed hypostatice, id est, mediante Filii Dei hypostasi, in unam personam inter se unitae sunt.

Quae hypostasis ex divina et humana natura ita constituta, non autem composita, Christus, Emanuel, seu θεάνθρωπος, Deus homo appellatur.

XXVII. Haec autem duarum naturarum (non naturalis) sed personalis (non personarum) unio, facta est primo ἀσυγχύτως et ἀτρέπτως, inconfuse et immutabiliter; ita ut duae naturae, earumque essentiales proprietates et actiones, inter se non confundantur, neque una cum altera misceatur, aut una in alteram mutetur, aut quomodolibet aboleantur, id est, neque Deus in hominem, neque homo in Deum mutetur, aut homo a Deo absorbeatur, aut ex homine et Deo tertia componatur; sed salvae et integrae maneant, ita ut in Christo duplex sit natura, adeoque et facultates, sapientia et scientia, voluntas, potentia, actio et operatio, divina scilicet et humana, Joh. 2, 24. 25. Marc. 13, 32. Luc. 2, 52. Joh. 10, 30. Luc. 22, 42. Est enim in Christo ἄλλο καὶ ἄλλο, aliud et aliud.

XXVIII. Deinde ἀδιαιρέτως καί ἀχωρίστως, indivise et inseparabiliter, ita ut una natura ab altera re ipsa non dividatur aut separetur (quod enim semel assumpsit et sibi univit, nunquam aut usquam, ne in morte quidem, dimittet) sed utraque in persona in perpetuum unita maneat, adeoque duo Christi non constituantur, quorum unus sit Dei, alter Mariae filius, sed unus sit Dei Filius in carne manifestatus. In Christo enim non est ἄλλος καὶ ἄλλος, alius et alius.

XXIX. Ex unione porro consequitur naturarum κοινωνία, communio, ut illius affectio ab illa dependens eique respondens. Ut enim duae naturae et earum proprietates vere et realiter, mediante persona, inter se uniuntur, ita una cum altera communionem et societatem habet, atque ita, ut unio, ita et communio realis est. Et sane tam haec conjuncta sunt, ut μετοχή, communio, pro unione veteribus non raro ponatur, ex Epist. ad Hebr. 2, 13.

XXX. Quare ὁ λόγος persona assumens, non modo humanae naturae assumptae, unionis gratia, gratis id dedit, ut in eo subsisteret; sed et virtutis suae efficacia, ad tanti muneris exsecutionem, Spiritum ac spiritualia et excellentia dona, eaque sine mensura, revera effudit et communicavit, Esa. 11, 1. 2. 3. Joh. 3, 34. Luc. 2, 53. Ita ut in Christo homine, subjective et habitualiter (ut loquuntur) insint. Unde et habitualis haec

gratia dicitur. Quae quidem dona, ut sint φυσικὰ, naturalia et ὑπερφυσικὰ, supernaturalia, quibus natura perficitur, non tamen ἀντιφυσικὰ, contra naturam, quibus aboletur.

XXXI. Quin in actibus officii, et quae cum eo cohaerent, (quae competunt Christo secundum utramque naturam) una natura communicat et agit cum communione alterius, salvis nempe naturae cuique suis proprietatibus et agendi ordine; ut sint ἐνέργειαι, operationes cuique suae, sed ἀποτέλεσμα, opus perfectum. unum θεανδρικὸν, Dei virile. Sic servator, mediator, caput Ecclesiae, etc. est secundum utramque naturam.

XXXII. Atque hinc oritur Phraseologia rei ipsi respondens: eaque est vel propria vel impropria. Propria est, qua naturae alterutri, illud quod illius est, discretis vocibus (quibus naturae per se sigillatim significantur) vel personae, sive ab altera natura denominatae, ejusdem proprietas vel actio in concreto (quo natura cum persona connotatur) tribuitur: ut ὁ λόγος erat in principio, erat apud Patrem, erat Deus, per eum omnia condita sunt, Joh. 1. Puer natus est nobis, Esa. 9. Filius hominis traditur in manus peccatorum, crucifigitur et resurgit, Matt. 17, 12. et 20, 19. et 26, 2. etc.

XXXIII. Similiter propria est, cum personae ab utraque natura denominatae, id quod utriusque, seu commune utrique naturae est, attribuitur, ita ut praedicatum subjecto sit aequale, qualia sunt ea quae officium vel statum ejus denotant, utpote Christus est Servator, Propheta, Sacerdos, Rex Ecclesiae suae, etc. Quae omnia καθ' ἑαυτὸ praedicantur.

XXXIV. Impropria vero est, cum qua personae ab altera natura denominatae, proprietas utrique communis, vel vicissim ab utraque proprietas vel actio alterius naturae, quin et contraria in concreto attribuuntur. Quae quidem Synecdochica locutio est; unde et distinctivā particulā aliquā expresse additā, vel subintellectā, inaequalis attributio indicatur, ut, Christus ex Israëlitis est, secundum carnem, Rom. 9. Ex lumbis Davidis τὸ κατὰ σάρκα, quantum ad carnem, Act. 2. Passus est, mortificatus est carne, vivificatus est Spiritu, 1 Pet. 3. et 4. 2 Cor. 13. etc. Item Christus Filius est Davidis, Christus Dominus est

Davidis, Matt. 22, 42. etc. Unde vulgata Theologis distinctio, inter totum Christum et totum Christi, seu Christum ὅλον et ὅλως, totum et totaliter.

XXXV. Tum qua de persona, ab alterutra natura appellata, praedicatum alterius naturae propter personae unitatem in concreto enunciatur, ut personae a divina natura, humana omnia. Utpote, Filius Dei factus ex sanguine Davidis secundum carnem, Rom. 1. Dominus gloriae crucifixus. 1 Cor. 2. Deus redemit Ecclesiam suo sanguine, Act. 20. etc. vel ab humana, divina omnia, ut, Filius hominis descendens de coelo est in coelo, Joh, 3, 23, et 6, 62. Dominus est e coelo, 1 Cor. 15. Ps. 47. quae omnia κατ' ἄλλο καὶ ἄλλο intelligenda sunt.

XXXVI. Haec porro enunciandi ratio variis appellationibus a veteribus appellatur, nempe nominum ἐναλλαγὴ, alternatio; ἀλλοίωσις, permutatio; ἐπίζευξις, conjunctio; κοινότης seu κοινωνία, communio, et ἀντίδοσις seu τρόπος ἀντιδόσεως, mutua positio, seu modus positionis unius pro altero. Cassianus Synecdochen vocat, et quidem duplicata Synecdoche est, in subjecto primum, inde praedicato. Scholastici, Communicationem idiomatum, seu proprietatum, vocant.

XXXVII. Quod quidem genus enunciationis, in persona reale est et proprium, ut summa illa duarum in uno Christo naturarum conjunctio significetur, in natura seorsim considerata ne verbale quidem; at vero de persona, cum respectu naturae verbale, id est, pertinens ad phraseos explicationem, improprium, aut ut alii volunt, inusitatum est.

XXXVIII. Huic autem vicinum est illud, quo personae tribuitur, quod ei per se secundum neutram naturam convenit, sed cum σχέσει ad alteram naturam: ita Filius Dei, aut Filius hominis descendisse dicitur de coelo, Joh. 3. et 6. et Dominus e coelo, 1 Cor. 15., quod primo ac primario respectu unionis hypostaticae intelligendum est, exinanitus et exaltatus, Christo data omnis potestas in coelo et in terra, Matt. 28. Quod enim habet Filius Dei ab aeterno, id datum Filio hominis, et accepisse in tempore intelligitur.

XXXIX. Atque ex his, humanae scilicet naturae a Filio Dei

assumptione, utriusque naturae unione et communione, ac denique respondente phraseologia, discrimen quod est inter Christum hominem et reliquos, etiam sanctissimos, apparet; In ipso enim inhabitat omnis plenitudo Deitatis σωματικῶς, Col. 2. Filius enim hominis Filius Dei est, et quicquid est Filii hominis Filii Dei est.

XL. Finis denique incarnationis, est officii sibi a Patre impositi praestatio, et salutis nostrae procuratio, Es. 6, 9. Luc. 2, 7. Homo, et quidem verus homo esse debuit, ut vera homini, qui peccaverat, per hominem praestaretur salus. Totus et integer, scilicet anima et corpore, et eorum essentialibus proprietatibus constans, ut totus homo, et corpore, et imprimis anima repararetur. Humilis ac fragilis et mortalis, ut pati, sanguinem effundere, et mori (sine quo non est redemptio, et in quo redemptionis est pretium) posset. Homo ex homine, seu filius hominis, ne aliena natura lueret. Ex virgine supernaturaliter vi Spiritus Sancti factus et sanctificatus, ut singularis et segregatus a peccato, tollere peccatum et salvare nos posset, Es. 53. Matt. 1, 21. 23. Hebr. 2, 9. 14. 16. et 7, 26. etc.

XLI. Filium Dei esse oportuit, seu Filium Dei naturam humanam in personae unitate assumere, atque naturas inter se ita uniri, et unam cum altera communionem habere, ut a Deitate, actionis passionisque ἀξίωσις, et meritum infinitum esset, opus redemptionis omnino perfectum, applicatioque in electis efficax foret; adeoque homines a Deo per peccatum disjuncti, intermedio mediatore, ejusque justitia et sanctitate, Deo unirentur, filiationis jus acciperent, et haeredes vitae aeternae fierent, Joh. 6, 35. 51. et Act. 2, 28. Hebr. 9, 14. etc.

XLII. Finis remotus, est sapientiae, justitiae et misericordiae Dei ac φιλανθρωπίας, amoris erga homines ejus eximia demonstratio, ad ejus laudem et aeternam gloriam.

ANTITHESES.

I. Rejiciuntur primo Judaei, qui Messiae in carne adventum negant, et finem adventus in beneficiis temporalibus collocant.

II. Inde Pseudochristiani. Tum qui aeternam Filii Dei personam, veramque ejus Deitatem inficiantur; utpote,

1. Arrius, et qui nostro aevo Arrianismum renovavit Ochinus, qui λόγον ante secula factum, corpori conjunctum, et pro anima corpori infusum voluit.

2. Samosatenus ac Photinus, et qui nostra memoria, impietatem illius reposuerunt, Servetus ac Socinus, qui Christum ψιλὸν hominem, sed θεοφόρον asserentes, hypostaticam illam unionem negant.

3. Sabellius et Praxeas, et hodie Libertini et Anabaptistae quidam, qui Trinominem Deum statuentes, et personarum realem distinctionem tollentes, modumque tantum patefactionis varium inducentes, Patrem incarnatum passumque revera, statuunt.

4. Denique veteres Tritheitae, et qui eorum haeresin revocavit Valentinus Gentilis; qui essentiam Dei distribuentes, ut personam, ita et essentiam simpliciter incarnatam volunt.

III. Tum qui humanam in Christo naturam evertunt. Utpote,

1. Marcion et similes, qui φάντασμα et speciem, hominem Christum docuerunt.

2. Valentinus et Manes, qui e coelo, seu coeleste, vel elementare corpus in Mariam illatum volunt; quorum errorem Anabaptistae quidam reduxerunt.

3. Apollinaris, qui animam ejus rationalem negavit, et Filium Dei pro anima supposuit.

IV. Tum, qui hypostaticam ejus unionem impugnant. Ut,

1. Nestorius, qui, ut duae naturae sunt in Christo, ita et duas personas statuit, unitionemque factam non καθ' ὑπόστασιν, personam, sed κατὰ παράστασιν, assistentiam, ἐνοίκησιν, inhabitationem, et σχέσιν, habitudinem.

2. Eutyches, qui contra, ut una est persona, ita naturas in Christo unam docuit, eas inter se confundens et commiscens, et tota illa Eutychetis propago, Monophysitae, Monotheletae et Acephali.

3. Denique, vicini his hodie Anabaptistae, Mennonistae, Swencfeldiani et Ubiquitarii, qui hypostaticam unionem divinarum proprietatum, nempe Omnipotentiae, Omniscientiae et Omnipraesentiae, reali in carnem effusione et communicatione, definiunt.

V. Tum postremo, qui fines incarnationis evertunt, ut infaustus ille Faustus Socinus, aliique qui meritum vitae et passionis Christi evacuant.

AMBROSIUS,

Lib. de Fide contra Arrianos, cap. 8.

Exinanivit semetipsum, formam servi suscipiendo; non quod aliud quam quod erat, fieret, id est, non ut mutaretur ab eo quod erat, sed ut seposito interim majestatis suae honore, humanum corpus indueret, quo suscepto, salus gentium fieret. Ut enim sol cum nube tegitur, claritas ejus comprimitur, non secatur, et lumen illud, quod toto orbe dispersum, claro splendore cuncta perfundit, parvo obstaculo nubis includitur; sic homo ille, quem Deus induit, Deum in homine non intercepit, sed abscondit.

DISPUTATIO XXVI.

DE

Officio Christi.

Praeside D. JOHANNE POLYANDRO.

Respondente NICOLAO REUSIO.

Thesis I.

Omnis de Jesu Christo disputatio in duabus potissimum quaestionibus posita est, quarum prior est de Christi persona, quae nuperrime fuit agitata; posterior de ipsius officio, quam nunc explicabimus.

II. Officium Christi dupliciter considerari debet, aut generatim et universe, secundum rationem totius, aut sigillatim, secundum rationem cujusque partis. Si universe consideretur, est unicum,

nempe mediatorium; si sigillatim et secundum partes, est triplex, Propheticum, Sacerdotale et Regium.

III. Officium Christi mediatorium est, quo ex decreto sacrosanctae Trinitatis se Patri suo, nobis perduellionis reis offenso, sponsorem ac propitiatorem pro nostris peccatis ultro obtulit, ut eorum expiatione per obedientiam suam nostro loco in ara crucis peracta, nobis in ipsum credentibus, justitiam aeternam conferret, qua nos in gratiam Patris sui, atque in haereditatem vitae sempiternae, ex qua per lapsum Adami excideramus, penitus restitueret, 1 Joh. 2, 2. Col. 1, 20.

IV. Hoc officium nec Angelis, nec hominibus, sed soli Christo Immanueli imponere sacrosanctae Trinitati visum est. Non Angelis, quia potentia sua finita, et a sola gratia Dei eam conservantis pendente, molem irae ipsius infinitae sustinere, justitiaque sua ex se mutabili justitiam aeternam, in qua Deus prorsus acquiescat, peccatorum nomine ipsi offerre non poterant. Non hominibus, quoniam omnes sub peccati reatu conclusi, nullum insontem ex suo sanguine producere poterant, qui non sua potius, quam aliorum delicta lueret. Soli Christo Immanueli, quia secundum naturam suam humanam poenas nobis debitas subire, secundum divinam, illas superare atque in salutem nostram convertere solus potuit.

V. Officium hoc sibi impositum Christus nostri misertus, suscepit, ut pace cum Patre suo per sanguinem crucis ejus facta, gratiaque adoptionis nostri impetrata, nos ex filiis Adami ac gehennae, filios ac haeredes Dei efficeret, Col. 1, 20. Joh. 1, 12. et 20, 17.

VI. Mediationis ergo Jesu Christi causa efficiens seu constituens est Dei decretum; προηγουμένη, seu Deum ad eam Christo demandandam in sese impellens, est ipsius erga nos εὐδοκία, seu propensa voluntas et dilectio, Luc. 2, 24. Joh. 3, 16. 1 Joh. 4, 9. 10.

VII. Convenientissimum autem Deus summae suae dilectioni erga nos testandae existimavit, si Filio suo proprio atque unigenito non parceret, sed eum pro nobis omnibus ad supplicium traderet, ut propitiatio esset pro nostris peccatis, nosque per sanguinis ipsius ἱλαστήριον sibi reconciliatos filios adoptionis sanctificatos, in gloriam aeternam cum ipso adduceret, Joh. 3, 16. Rom. 8, 31. 1 Joh. 4, 9. Rom. 2, 5. Hebr. 2, 10.

VIII. Convenientissimum quoque sapientiae, veritati, justitiae, misericordiae ac potentiae suae conjunctim nobis declarandae judicavit, si in Filio suo in forma, consimili carni peccato obnoxiae, ad nos misso, nostra peccata juxta legis suae comminationem exsecrabili morte digna, sic plecteret, ut ea simul ad nostri redemptionem jurisque sui impletionem in carne ipsius condemnaret, ac prorsus aboleret, Gen. 2, 17. Gal. 3, 10. Rom. 3, 25. et 8, 3. 4.

IX. Ad quaestionem, An Deo alius modus defuerit, quo nos a miseria mortalitatis hujus liberaret? sic respondendum putat Augustinus, Sanandae nostrae miseriae modum divinae dignitati convenientiorem alium, quam per mediatorem Dei et hominum Jesum Christum, non fuisse, nec esse oportuisse; tametsi Deo, si ipsius infinitam, nobisque inexplicabilem sapientiam atque absolutam potentiam spectemus, cui cuncta aequaliter subjacent, alius modus possibilis non defuerit, Lib. de Trinitate 13. cap. 10.

X. Etsi haec pia et prudens sit Augustini responsio, ideoque a nonnullis Theologis orthodoxis approbetur, nullam tamen causam video, cur nos in quaestione illa enodanda anxie fatigemus, cum unicum illum nos per Christum redimendi modum, aeterno atque immoto Dei decreto tantummodo determinatum esse, sacrae literae passim attestentur.

XI. Ut ergo quaestionem illam breviter perstringamus, alium praeter eum quem ex Verbo Dei supra demonstravimus, salutis nostrae procurandae modum, nec sine temeritate indagari, nec sine impietate excogitari posse respondemus. Quam vero periculosa sit quaestionis illius olim Augustino propositae, ac nunc silentio potius praetermittendae, quam intempestive revocandae, in utramque partem velitatio, vel ex novissimo Scholasticorum exemplo aestimari potest, qui de ea Peripateticorum more inter se dissertantes, aliis mediationis Christo assignatae veritatem ac necessitatem in dubium vocandi, aliis negandi causam praebuerunt.

XII. Horum Coryphaeus est impius ille et infaustus Socinus, qui Deum absque tali satisfactionis modo, qualem Sacra Scriptura mediatori nostro Jesu Christo ascribit, non tantum posse peccata nobis remittere, sed etiam debere, hoc nostro seculo sustinere non dubitavit. Duplicem enim necessitatem hypothe-

ticam genus humanum ea, quam Thesi 3. ex Sacra Scriptura definivimus, via ac ratione cum Deo reconciliandi negat Christo esse impositam, quarum prima ab immutabili pendet Dei decreto, altera ab infallibili divinarum praedictionum veritate. Unde illam immutabilitatis, hanc infallibilitatis necessitatem nuncupamus.

XIII. De posteriore necessitate sic loquitur Christus Luc. 24, 25. ut ad priorem quoque respiciat, cum suos discipulos his verbis affatur: O amentes et tardi corde ad credendum omnibus quae locuti sunt Prophetae? Nonne haec oportuit pati Christum et introire in gloriam suam?

XIV. Nulla tamen coactus necessitate, sed libera sua ac propensa ad nostram salutem motus voluntate arduum illud opus amplexus est, promptaque erga Deum obedientia in carne sua peregit; sicuti de ipso testatur Esaias, cap. 53. vers. 10. Jehova (inquit) ipsum conterere delectatus est, quoniam sacrificium pro reatu semetipsum exposuit. Et Apostolus Phil. 2, 6. Cum esset in forma Dei, non duxit rapinam parem esse cum Deo sed ipse se exinanivit, forma servi accepta, factus Deo obediens usque ad mortem crucis.

XV. Cum itaque Christus mortem illam crucis ad quam fuerat praeordinatus, et necessario, et sua sponte subierit, falsa est haec nonnullorum opinio, quod praeordinata necessitas et voluntatis libertas in eodem subjecto ad idem opus producendum concurrere nequeant, sed una earum introducta, altera prorsus expellatur.

XVI. Quamvis hic Jesus Christus communi totius Trinitatis decreto, noster Mediator sit constitutus, ipsius tamen ad munus suum exsequendum nobis dati ac missi consecratio, Deo Patri, ordinis respectu, ab ipse κατ' ἐξοχὴν, ac peculiariter attribuitur, Luc. 2, 49. Joh. 5, 36. et 6, 27. et 8, 42. et 10, 27. Quam consecrationem Deus, tum suo, tum legatorum suorum testimonio, sub utroque foedere sancire voluit: Suo, Ps. 110, 4. Legatorum suorum, nempe, Prophetarum, Es. 53. et Zach. 12. Angelorum, Luc. 1, 31. 32. et 2, 10. 11. Johannis Baptistae et Apostolorum, Act. 10, 38. 39.

XVII. Haec Jesu Christi consecratio, vel secundum naturam ipsius divinam, vel secundum humanam expendenda est. Illius

respectu, quatenus est sermo Patri suo coaeternus, ad munus mediatorium destinatus. Hujus respectu, quatenus est homo nobis consimilis factus, ad idem munus in plenitudine temporis a Deo praestituti sanctificatus unctione Spiritus Sancti.

XVIII In opere, quod ex muneris illius functione exsistit, utraque Christi natura partes suas agit, non separatim, sed conjunctim, nec confuse, sed distincte. Ad commune etenim ἀποτέλεσμα θεανδρικὸν producendum, talem divina natura societatem init cum humana, ut quemadmodum anima in nudo homine agit principaliter, corpus instrumentaliter, sic in actione Christi Θεανθρώπου divina natura causae principalis, humana autem minus principalis ac ministrae rationem habeat.

XIX. Inde est, quod idem opus, ad quod duae in Christo naturae concurrunt, toti Christo Sacra Scriptura ita attribuat, ut infinitam officii mediatorii dignitatem et efficaciam virtuti Deitatis in ipso corporaliter habitantis, quam nomine Spiritus denotat, penitus attribuat, ut cum Rom. 1, 3. 4. dicitur, Christum secundum Spiritum sanctificationis declaratum fuisse potenter Filium Dei per resurrectionem ex mortuis. Et 1 Pet. 3, 18. Eum Spiritu vivificatum, per Spiritum olim profectum spiritibus immorigeris praedicasse. Item Marc. 2, 8. Eum Spiritu suo cognovisse quid Scribae apud se in cordibus suis ratiocinarentur. Et Heb. 9. 14. Eum per Spiritum aeternum semetipsum Deo inculpatum obtulisse, ut nostram conscientiam emundaret ad serviendum Deo vivo.

XX. Errant ergo Judaei et Sociniani qui in Christo Mediatore divinam naturam non agnoscunt, quorum errorem alibi refutavimus, in Disputatione de Trinitate et Filio Dei.

XXI. Atque haec causa est, cur Judaei et Sociniani, non minus doctrinam nostram de Christi mediatione, quam de ipsius Deitate oppugnent. Judaei enim Christum esse Messiam olim Patribus suis sub Veteri Testamento promissum inficias eunt. Sociniani non quidem tam aperte, ac Judaei, sententiae orthodoxae de officio Christi mediatorio contradicunt, sed eam oblique et per cuniculos evertere conantur, cum Christum non proprie, sed metaphorice se ipsum Deo obtulisse asserunt.

XXII. Si vera est haec Socinianorum assertio, ergo et typi-

cae oblationes sub Veteri Testamento, non proprie oblationes vocatae fuerunt, sed metaphorice, et nostrae oblationes spirituales quae nobis in Novo Testamento praescribuntur, metaphorice sic dictae, Christi oblationi sunt hac in parte coaequales. Quarum utraque conclusio ex illa Socinianorum assertione recte deducta, manifestissimis Sacrae Scripturae testimoniis repugnat.

XXIII. Errant quoque Andraeae Osiandri discipuli, qui officium mediatorium soli naturae divinae Jesu Christi attribuunt. Nam secundum Dei praescriptum nobis verbo ipsius declaratum, Christus non tantum Ecclesiam suam intus Spiritu suo regere atque adversus omnes hostes potenter conservare, sed externa quoque Evangelii sui praedicatione docere ac consolari, nec tantum per Spiritum suum aeternum Dei iram aeternam sistere, sed etiam sanguinis sui effusione nobis placare debuit.

XXIV. Errant etiam Doctores Pontificii qui docent, ut liquet ex scriptis Bellarm. si sermo sit non de ipso supposito Jesu Christo, sed de formali actionum ipsius principio, hoc principium esse humanam Christi naturam, non divinam, Bellarm. Lib. 5. de Christo Mediat. cap. 1. et 3. Ad quorum refutationem praecipua ac firmissima argumenta ex thesi superiori 19. deduci possunt.

XXV. His enim positis ac concessis axiomatibus:

1. Christum esse operis mediatorii suppositum ac principium commune, non qua Deus est, nec qua homo tantum, sed qua simul Deus et homo est.

2. Humanam Christi naturam ad illud opus cum divina concurrentem, divinae tamquam causae superiori ac principaliter agenti inservire.

3. Infinitam mediationis Christi dignitatem atque efficaciam Deitati ipsius in sacris Bibliis ascribi; Ex iis haec necessario sequuntur:

1. Opus Christi mediatorium, non ex virtute unius tantum naturae, sed ex vi utriusque secundum suam proprietatem agentis proficisci.

2. Humanam naturam in opere Θεανδρικῷ divinae administram, nec tantummodo vocari posse principium actionis mediatoriae, nec proprie formale, sed materiale potius, vel instrumentale.

3. Christum hominem absque Deitatis suae praesidio atque auxilio, nec sapientiae divinae mysteria ex Patris sui sinu proferre, nec ipsi λύτρον sufficiens pro nostris peccatis offerre, portasque inferorum sua morte confringere olim in hisce terris potuisse, nec etiamnum in coelis posse electorum suorum ubivis terrarum degentium preces exaudire simul et Patri suo commendare, eosque voti compotes ab omni malo tueri.

XXVI. Etsi Christum secundum naturam divinam nostrum esse Mediatorem affirmemus, non inde tamen adversus nos recte concluditur, quod totam quoque Trinitatem mediatoris officium suscepisse a nobis concedi oporteat. Natura enim ipsius divina humanae opposita, non in genere accipienda est pro essentia tribus personis communi, sed singulariter, pro secunda Trinitatis persona quae carnem nostram assumpsit.

XXVII. Hoc igitur loco per Christi naturam divinam non indeterminate naturam Deitatis, sed determinate personam Deitatis proprio subsistendi modo ab aliis distinctam, Dei Patris scilicet Filium intelligimus, sicuti e contrario carnis appellatione, non hominis personam, sed naturam humanam cum Dei Filio unitate personae indissolubiliter conjunctam designamus.

XXVIII. Nec quia mediatio ad opera Dei ad extra refertur, quae sunt indivisa, ideo ea tribus personis absolute communis est, cum partim sit essentialis, quatenus a totius essentiae principio promanat, partim personalis, quatenus in persona ordine secunda, tamquam in termino essentiae divinae, οἰκονομία seu dispensatio spectatur. Eodem enim respectu hic Filio Dei potius quam Patri aut Spiritui Sancto, mediatio tribuitur, quo incarnatio ac generis humani redemptio ipsi sigillatim assignatur.

XXIX. Tametsi ob istam mediationem Filius Dei minor sit Patre, non propterea ipso minor est quoad Deitatem. Mediationem enim suam a Patre accepit per communem et voluntariam totius Trinitatis, atque adeo sui ipsius, dispensationem. Deitas vero ipsa a solo Patre per genituram naturalem communicata est. Illam in altero seculo deponet, cum sceptrum suum Patri tradet; hanc cum Patre in aeternum immutabilem retinebit, 1 Cor. 15, 17. 18.

XXX. Eadem gratiae dispensatione qua Dei Filius mediationem sibimet ipsi una cum Patre et Spiritu Sancto ab aeterno

destinavit, eadem in sua carne tempore praestituto eam apud semetipsum quoque obire voluit, nimirum analogice, et ad se reductive, id est, Deitatem sibi cum Patre et Spiritu Sancto communem etiam ad se referendo ex jure communitatis.

XXXI. Quemadmodum igitur Christus secundum naturam Deitatis tribus personis communem, secundum quam Patri et Spiritui Sancto est ὁμοούσιος, sui ipsius etiam est mediator, sic secundum singularem ac sibi propriam personalitatem, et secundum gratiae dispensationem qua factus est Θεάνθρωπος, apud Patrem et Spiritum Sanctum Mediatoris munere fungitur, etiamsi in sacris literis ratione ordinis oeconomici functio ipsius ad Patrem tantummodo verbis expressis referatur; in qua non tantum legati et internuncii, sed etiam obsidis nostri culpam morte sua expiantis officium sic praestitit, ut in ipsa cruce de morte aliisque hostibus suis prostratis palam triumphaverit, Col. 1, 15.

XXXII. Aliorum internunciorum atque obsidum exempla quae ad hujus exempli illustrationem ex variis historiis proferuntur, plus quam toto genere ab eo differunt, cum aut insontes mortis poenam pro aliis sontibus non subierint, aut eam pro aliorum crimine subeuntes, ex ejus discrimine victores non evaserint.

XXXIII. De mediationis subjecto Jesu Christo, ejusque causa efficiente ac movente, satis egimus; objectum ejus est Deus offensus, et homo offensae reus. Quod Apostolus clarissime testatur, cum ait, Unus est Mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus, 1 Tim. 2, 5.

XXXIV. Exsistit hoc loco quaestio de bonis Angelis, utrum Christus ipsorum quoque Mediator sit appellandus. Nos iis astipulamur, qui Christum quidem conservationis bonorum Angelorum causam mediam vel mediantem esse affirmant, sed Christum propterea eorundem Mediatorem vocandum esse pernegant.

XXXV. Nunquam enim Christus respectu conservationis, sed semper respectu reconciliationis cum Deo offenso, electorum suorum Mediator in S. Scriptura nuncupatur. Nulla autem fuit, nec erit inter Deum et bonos Angelos discordia. Ideo Christus ipsos non assumpsit, sed semen Abrahae, ut inter Deum Patrem suum, secundum divinam naturam, et inter nos fratres suos secundum carnem ex semine Abrahae assumptam,

tamquam propitiator inter duas partes dissidentes interveniens, nos in gratiam Patris sui in se ipso reconciliaret, Heb. 2, 16.

XXXVI. Cum ergo beati Angeli, nunc filii, nunc electi Dei in sacris literis nominantur, ita accipiendum est, quod ipsi in Christo capite ac principe suo electi manu ipsius potentissima, secundum perpetuam electionis divinae gratiam, in sua quam per ipsum acceperunt, origine ac veritate conserventur, ut in ea immutabiliter permanentes, beata atque immediata Dei visione in sempiternum perfruantur, Job. 1, 6. et 2, 1. 1 Tim. 5, 21. Col. 2, 10. Heb. 12, 22. Joh. 8, 44. Jud. 6.

XXXVII. Forma officii mediatorii in tribus illius partibus ac functionibus, quas ex se solus exsequitur, liquido apparet, nimirum, in Prophetica, Sacerdotali ac Regia.

XXXVIII.. Ratione triplicis illius functionis in ipso solo conjunctim animadvertendae, dicitur nobis a Deo factus sapientia, justitia, sanctificatio, redemptio, 1 Cor. 1, 30. Sapienta nobis factus est, ut nos corde amentes, institutione sua prophetica sapientes reddat ad salutem. Justitia et sanctificatio, ut secundum duplicem muneris sui sacerdotalis conditionem, primum laesae Majestati divinae suo pro nostris peccatis sacrificio expiatorio satisfaciat, ac deinde pro nobis apud illam interpellet. Redemptio, ut secundum regiam suam potestatem nos a servitute peccati liberatos freno suae disciplinae in officio contineat, suoque praesidio ab omni hostium injuria custodiat.

XXXIX. Prophetia est functio qua Christus populum suum in veritate doctrinae legalis et Evangelicae instituit, atque utramque miraculis obsignatam a falsorum Doctorum corruptelis repurgat, tum per se ipsum immediate, tum per alios verbi sui administros donis ad eam rem necessariis instructos, mediate; quorum priores, synecdochice Prophetarum, posteriores, Apostolorum nomine comprehenduntur, Matt. 5, 25. et sequentibus. Joh. 17, 8.

XL. Populus Dei, quem prophetiae Christi objectum facimus, est vel sub Veteri, vel sub Novo Testamento considerandus. Sub illo omnes ferme erant Judaei, sub hoc partim Judaei, partim Gentiles. Illi in sapientiae divinae institutione his fuerunt praepositi, ut promissiones Abrahae ceterisque Patriarchis factae in filiis eorum circumcisis primo loco implerentur. Quae

causa est cur et Christus minister circumcisionis potissimum oves perditas domus Israëlis ad se vocaverit, Matt. 15, 24. Rom. 15, 8. His aeque atque illis post Christi ascensionem ad coelos Evangelium ipsius per Apostolos annunciatum fuit, ut ipse non solum esset gloria populi Israëlis, sed et lux Gentium, juxta vaticinia, Es. 49, 6. Luc. 2, 32.

XLI. Modum institutionis Propheticae duplicem statuimns, immediatum et mediatum. Priore Christus plerumque usus est, aut secundum divinam tantum naturam sub veteri foedere erga Prophetas, aut secundum utramque erga Apostolos. Utrosque enim sol ille justitiae, radiis luminis Prophetici quod in se habet, suapte virtute illustravit. Posteriore usus est, cum servis suis Prophetis atque Apostolis imperavit, ut populo suo omnia sapientiae suae mysteria ad salutem scitu necessaria, tum concionibus, tum scriptis suis patefacerent. Qua Ecclesia Dei mota consideratione omnes traditiones repudiat, quae sacro Codice non continentur. Priore docendi modo, et mentes hominum absque posterioris adminiculo intus illustrati, et corda ipsorum ad fidei obedientiam inflecti possunt. Posteriore neutrum eorum effectum absque prioris subsidio produci potest.

XLII. Sacerdotium Christi est functio qua coram Dei apparet, ut legem ab ipso acceptam nostro nomine observet, seipsum victimam reconciliationis pro nostris peccatis ipsi offerat, suaque apud eum intercessione opem ipsius perennem ac donationem Spiritus Sancti nobis impetret atque efficaciter applicet, Heb. 10, 7, 8. et seq.

XLIII. Haec triplex coram Deo veniendi ratio per summum Sacerdotem Leviticum olim fuit adumbrata, qui juxta Dei mandatum, tabulas legis in arca foederis repositas asservabat, ac pro populo cum victimarum et precum oblatione se tamquam Mediatorem Deo sistebat.

XLIV. Idem Christi Sacerdotium olim quoque fuit Melchisedeciano, sed alio fine, praefiguratum, nimirum, ut illius praestantiam prae Levitico ex triplici praerogativa denotaret, 1. aeternitatis, cum, ut Melchisedecus typice, sic Christus secundum rei veritatem absque patre et matre, absque ortu et interitu Dei Sacerdos nuncupatur. 2. duplicis officii, cum uterque Regis et Sacerdotis titulo insignitur. 3. eminentiae snpra ordinem Leviticum, cum a Melchisedeco ipse Levi in Abrahamo, in

in cujus erat lumbis, decimatus fuisse dicitur, Heb. 7, 3. 9.

XLV. Legem Dei Christus duobus modis implevit, generali scilicet omnium mandatorum Dei observatione, et poenarum quibus nos miseri peccatores secundum legis comminationem obnoxii eramus, voluntaria persolutione. Utraque legis impletio in sequentibus disputationibus de Christi satisfactione et nostri justificatione fusius explicabitur.

XLVI. Sucrificium Christi, tum ratione τοῦ λόγου victimam offerentis, tum ratione carnis, seu victimae oblatae, a Sacerdotibus et sacrificiis Leviticis per Apostolum in Epistola ad Hebraeos his notis distinguitur.

1. Quod persona offerens sit unicus Sacerdos secundum ordinem Melchisedeci in perpetuum permanens, ideoque nullum alium ad muneris sui societatem, aut successionem admittat, Heb. 7, 3.

2. Quod hic Sacerdos per se sit inculpatus atque ab omnibus peccatoribus separatus, Heb. 7, 26.

3. Quod oblatio ipsius semel facta sit omnibus numeris sufficiens ad nos perfecte servandos, atque ideo nunquam iteranda, Heb. 7, 24. 25.

4. Quod caro, seu victima oblata, sit cum τῷ λόγῳ eam offerente personaliter unita, Heb. 9, 12.

5. Quod vigor hujus victimae ac valor apud Deum sit sempiternus, Heb. 7, 24. 25. et 10, 14.

XLVII. Qua Apostoli quintuplici distinctione traditiones Pontificiorum de Pontificis sui, tamquam vicarii Jesu Christi, primatu, et de Missae sacrificio per secundarios Novi Testamenti Sacerdotes Deo etiamnum offerendo, funditus evertuntur. Haec utique axiomata sunt ἀσύστατα, seque invicem evertentia; Christum solum nostrum esse Pontificem: Papam interim Romanum ipsius esse vicarium. Item, Sacrificium Christi cruentum, quod per Spiritum suum aeternum in propria sua carne Deo semel obtulit, tantummodo esse expiatorium; Et, Missae sacrificium incruentum, quod sacrificuli per Spiritum suum humanum in aliena, nempe Christi, ut putant, carne Deo offerunt, similiter esse expiatorium Adhaec, Sacrificium expiatorium proprie sic dictum, non potuisse Deo olim offerri ab hominibus mor-

talibus et peccato obnoxiis sub Veteri Testamento, ac propterea a solo Filio Dei Patri suo, quoad essentialem immortalitatem ac sanctitatem coaequali, offerri debuisse: Nunc vero ab hujusmodi hominibus, quales erant Sacerdotes sub Veteri Testamento, sacrificium vere expiatorium et debere et posse offerri. Et similia, quae postea plenius excutientur.

XLVIII. Intercessio Christi est functio, qua se in Sacrario coelesti sistens Deo Patri, tum misericordiam ipsius ac remissionem peccatorum merito sacrificii sui expiatorii impetratam, tum opem ipsius ac dona Spiritus Sancti nostro nomine efflagitat, quibus indies magis ac magis ad omnia obedientiae atque εὐχαριστίας officia parati reddamur.

XLIX. Fit illa intercessio a Filio Dei secundum voluntariam gratiae dispensationem ac rationem mediationi suae convenientem, non quod jam statu suae exinanitionis deposito, flexis genibus, ante Patrem suum in coelis devolvatur, sed quia instar sacerdotis atque advocati se in conspectu ipsius sistens, non minus ardenter, secundum naturam suam humanam, quam efficaciter secundum divinam ab ipso gratiae atque opis nobis necessariae continuationem postulat.

L. Non magis haec Christi intercessio cum sanctis Angelis ac beatorum hominum Spiritibus, quam sacrificii ipsius oblatio cum Sacrificulis Romanensibus communicari potest. Nam sicuti redemptionis, sic et intercessionis solus Mediator est, ac proinde Pontificii qui sanctos Angelos atque homines hac vita defunctos, Christo, tamquam secundarios intercessores associant, non exigua ipsum injuria afficiunt, ut deinceps, Deo dante, declarabitur.

LI. Regium Christi munus est, quo Ecclesiam sanguine suo acquisitam, tamquam unicum illius caput, gubernat, atque adversus omnes hostes tam internos, quam externos, potenter tuetur, suoque ductu in hoc pulvere militantem idoneis armis instruit, ut tandem promissae victoriae particeps facta, cum ipso in coelis de hostibus debellatis perpetuum triumphum agat, Deumque de hac parta victoria indesinenter celebret. Solus enim Christus, et ordinis dignitate, et regendi, vegetandi, conservandique virtute, et donorum spiritualium multitudine ac perfectione, super omnia mystici sui corporis membra singulari

modo atque infinito eminet, Rom. 8, 29. Col. 1, 18. Joh. 3, 34. ut hoc in disputatione 41. de Christo unico Ecclesiae capite, adversus Pontificios expresse demonstrabitur, qui Christum universalem Ecclesiae suae gubernationem, in unum Petrum, tamquam in vicarium suum, deinde Petrum eandem gubernationem, in unum Pontificem Romanum, tamquam in successorem suum legitimum, contulisse falso affirmant.

LII. Ceterum ut Ecclesiae Christi duplex est status, unus gratiae in hoc seculo, alter gloriae in futuro, ita praesens Ecclesiae gubernatio a futura est distinguenda. In hac enim vita Christus Ecclesiam suam mediate regit per Ecclesiasticam fidelium pastorum, ac protegit per politicam piorum Magistratuum administrationem; in altera vita eam immediate absque ejusmodi externis adminiculis reget secundum Deitatem sibi cum Patre et Spiritu Sancto communem, ut cum utroque sit omnia in omnibus fidei domesticis, quos proxima jucundissimaque sui visione ac communitate in coelis beabit, 1 Cor. 15, 28. Apoc. 21, 22. 23.

LIII. Hinc Christus, ubi omnes suos electos sibi unitate consummatae fidei agglutinatos, et ab hostium metu plene liberatos tradiderit, ipsi suum quoque sceptrum mediatorium seu oeconomicum traditurus dicitur, ut imperium mere divinum eadem gloria ac majestate cum Patre, erga suos electos in aeternum exerceat, quam ab aeterno cum ipso habuit, 1 Cor. 15, 24. 26. etc.

LIV. Sceptri illius mediatorii traditio fiet extremi judicii die, postquam Christus, secundum judicandi potestatem personalem sibi a Patre datam, amicis suis ex gratia immerita praemium vitae, hostibus vero ex ultione merita supplicium mortis aeternae adjudicaverit.

DISPUTATIO XXVII.

DE

Statu Humiliationis Christi.

Praeside D. ANDREA RIVETO.

Respondente SAMUELE RIVETO.

Thesis I.

Redemptionis nostrae necessitas ex iis quae de lapsu primi parentis, peccati propagatione, et legis divinae exactione, hactenus dicta sunt, adeo perspicue demonstrata est, ut a nemine in dubium possit revocari, nisi ab eo qui peccati et maledictionis aeternae sensu nullo tangitur. Sed nihil actum esset, nisi etiam nobis innotuisset ille in quo, qui in se ipsis damnati, mortui et perditi sunt, justitiam, liberationem, vitam et salutem quaererent. Itaque de Christo aeterno Dei Filio, in tempore homine facto, tamquam proxima efficiente redemptionis hujus nostrae causa, respectu personae in qua duae naturae coeunt, et respectu officii mediatorii, in genere vel per partes considerati, hactenus disputatum est.

II. Superest ut de modo et ratione agamus, qua abolitis peccatis Christus dissidium inter Deum et nos sustulit, justitiam acquisivit, quae eum nobis faventem et benevolum redderet, eam nobis quotidie efficaciter applicando; atque ita Salvatoris nomen ipsi a Deo per Angelum impositum, Matt. 1, 21. gereret, et rem nomine significatam, ipso facto praestaret. Hic modus aut ratio in duplici mediatoris statu consideratur, nempe humiliationis et exaltationis, in quibus tota illa salutis nostrae dispensatio, et triplicis officii Christi exsecutio consistit.

III. De hoc statu humiliationis ut nunc dicamus, ordinis ratio postulat. Quo nomine in genere, intelligitur tota illa oeconomia, qua Christus accepta forma servi, Patri fuit obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, Phil. 2, 7. et lata significatione totam Filii incarnati humilitatem, omnesque ejus gradus comprehendit; proprie vero extremam illam submissionem, seu ultimum vitae actum usque ad mortem, quae vulgo etiam recepta in Scripturis significatione, κατ' ἐξοχὴν passio appellatur.

IV. De hac postrema nobis instituenda est disputatio, cujus gradus tres considerantur: I. Crucifixionis antecedanea cum ipsa crucifixione et subsequente morte. II. Sepultura. III. Descensus ad inferos. Passionis hujus initium proprie a captivitate sumimus, etiamsi quae ante ipsi acciderunt, et quae προπάθειαι aliis dicuntur, huc referri possint et debeant, quando obedientiae illius partem faciunt, quae in suo complemento intelligitur; cujus rei causa, in symbolo fidei, a Christi natalibus, fit transitus ad mortem quae reliquam obedientiam secum trahit.

V. Crucifixionis praecedanea fuerunt, Judae proditio, Christi captivitas, deductio ad Sacerdotum consessum, variae derisiones; traditio in manus gentium, Pilati nominatim; ejusdem sub Pilato examen, flagellatio, condemnatio denique, quam subsecutum est supplicium ignominiosissimum crucis, qui violentae ejus mortis modus fuit, ut fieret maledictum et execratio, idque non humana tantum opinione, sed divinae legis decreto, pronunciantis, execrabilem esse qui in ligno pendet (Deut. 21, 23. Gal. 3, 13.) quod praeterea acerbissimum fuit, et cum summis doloribus conjunctum, quia in membris maxime nervosis, et exquisito sensu praeditis, scilicet manibus et pedibus confixus, sic aliquandiu cum diuturno dolore totus pependit.

VI. Praeter gravissimos illos cruciatus corporis intimum animi dolorem summum fuisse in Christo, ne Catechismus quidem Romanus negat (in 4. artic. symbol.) Animam ejus apprehendisse omnes tristitiae causas, fatetur Aquinas (part. 3. q. 46. artic. 5. et 6.) omnemque assumpsisse tristitiam, maximam quantitate absoluta, nempe cum non solum in se contumelias, opprobria, flagra et ignominiosa supplicia ad mortem usque pertulit; sed etiam ardorem inimicitiae, iraeque Dei adversus homines, patientia, obsequio atque durissimae castigationis toleratione placavit. Quae adeo horrenda et acerba fuerunt, ut vel aestimatione ipsa et agitatione mentis, metum summum et tristitiam in horto contraxerit, precibus conditionatis poculum illud deprecatus sit, sudorem tamquam sanguinis grumos emiserit, Angelicae consolationis usum non detrectaverit, et in cruce se a Patre derelictum exclamaverit, Matt. 26, 37. et 38. Marc. 14, 33. 34. Matt. 26, 39. 42. 44. Marc. 14, 36. 39. Luc. 22, 42. 43. 44. Matt. 27, 46.

VII. Cum enim in locum sceleratorum sponsorem se et vadem submisisset, dependere atque persolvere debuit omnes, quae ab illis erant exigendae, poenas, ac proinde cum inferorum copiis, et aeternae mortis horrore, quasi consertis manibus luctari, et non modo corpus suum redemptionis pretium tradere, sed etiam in anima sua, diros cruciatus pati, cum se ad tribunal Dei stare cognosceret nostra causa.

VIII. Hisce doloribus non solum naturali morte, sed etiam supernaturali quodam modo defunctus est; affectione commodi a Deo separatus, non affectione justitiae, non separata quidem divinitate ratione unionis hypostaticae, sed divina virtute in eo sese ad momentum occultante, ut in tanta necessitate, nulla appareret virtutis divinae exhibitio, nulla esset majestatis offensio. Quae derelictio ad poenas infernales peccatoribus debitas referri debet. Ideo de Christo intelliguntur loci illi, in quibus Propheta typice conqueritur, circumdatum se fuisse doloribus inferni, animam suam repletam fuisse malis, et vitam ad infernum appropinquasse. Et tandem agnoscit, Deum redemisse animam suam ab inferno inferiori, Ps. 18, 5. Ps. 16, 3. Ps. 83, 3. Ps. 86, 16.

IX. Dicimus tamen, eum extremitatem poenae passum esse, non aeternitatem, et in illa passione animae, nihil ἔσωθεν quod Scholastici dicunt ab intrinseco, fuisse in Christo inordinatum, etsi ἔξωθεν, ab extrinseco, impetitus fuerit; inde sequitur, a damnatione illa absoluta immunem fuisse, in qua manent, qui propter sua ipsorum peccata, aeternis poenis mancipantur, in quibus mors illa cum desperatione conjuncta est; quam ut Christo tribuamus, absit, etsi hoc nomine ab adversariis calumniam patiamur.

X. Imo etiam quaecunque sive in corpore, sive in anima pertulit Christus, cum Damasceno ad illam οἰκείωσιν, appropriationem, referimus; non quae est φυσικὴ καὶ οὐσιώδης, secundum quam naturam nostram, et naturalia cuncta assumpsit; sed quae προσωπικὴ καὶ σχετικὴ, qua nostram subinde personam, secundum quam maledictionem et derelictionem nostram ᾠκειώσατο, appropriavit sibi, τὸ ἡμέτερον ἀναδεχόμενος πρόσωπον, ut ait idem Damasc. (Orthod. fid. Lib. 3. cap. 2.) neque enim innuimus, Deum fuisse unquam Filio adversarium, vel iratum. Nam quomodo dilecto Filio, in quo anima ipsius acquievit,

irasceretur? aut quomodo Patrem aliis sua intercessione placaret, quem infensum sibi haberet? ut scite Calvinus, calumniam retundens, quam salutaris hujus doctrinae nomine patiebatur.

XI. Ex dictis sequitur, injuriam Deo facere tamquam injusto, Christo tamquam imprudenti, qui asserere audent, minimum sanguinis Christi guttulam, minimam lacrymulam, minimum pectoris gemitum, sufficere potuisse ad redemptionem generis humani, qui omnia, quae Christus ultra pertulit, hac praepostera dignitatis ejus praedicatione superflua reddunt, et mortem non necessariam innuunt, quae tamen omnes illos dolores corporis et animae secuta est; in qua fuit vera, non δοξαστὸς, corporis et animae Christi a se invicem separatio, secundum unionem naturalem, secundum effectus et secundum locum; manente nihilominus hypostatica duarum naturarum unione, corpus et animam sustentante: nam cum in symbolo confiteamur, Filium Dei fuisse mortuum et sepultum, quae de eo dici non possunt, nisi secundum humanam naturam, quae autem sunt humanae naturae vel partium ejus, non dicuntur de Filio Dei nisi ratione unionis, consequens est, etiam in morte verbum mansisse conjunctum partibus separatis.

XII. Mortis vero tempore Christum fuisse hominem, quod asseruit sententiarum magister, Lib. 3. dist. 23. secundum sermonis proprietatem, hac ducti ratione negamus, quia Christus vere mortuus est, et ad mortem hominis pertinet, ut per mortem desinat esse homo, vel animal, separatione animae quae utriusque rationem complebat. Quocirca tum simpliciter hominem non dicimus, sed hominem mortuum per determinationem alienantem, suumque determinatum interimentem. Ne cum Apollinari sentiamus, λόγον corpori unitum fuisse ut formam materiae, quod veri hominis rationem destrueret.

XIII. Mortem veram excepit vera sepultura Christi, secundum suum idem unius corpus; quod in sepulcro corruptum non fuit per incinerationem aut resolutionem in sua elementa, quam Damasc. Orth. fid. L. 3. cap. 27. διάλυσιν καὶ ἀφανισμὸν vocat, etsi per separationem formae viventis desierit esse vivum corpus, Ps. 16, 10. et Act. 2, 21. et cap. 13, 35. Habet vero sepultura certae mortis rationem, quae in monumento novo facta fuit, ne postea aliquis alius resurrexisse fin-

geretur; cui etiam, ita providente Deo, sigillum custodesque fuerunt appositi, quibus imprudenter hostes, et nihil tamen cogitantes, resurrectionis ejus veritatem obsignarunt, ingenti saxo ad speluncae os advoluto, quo simul calumniae os obturatum est.

XIV. Huc pertinet, quod conscio et concedente Pilato fuit facta; ut de vera ejus morte ambigi non possit, cum ejus certitudo sancita fuerit publico judicis testimonio, post inquisitionem a centurione factam. Ideo etiam viri non e vulgo ad eam rem, divina providentia dispensante, adhibiti fuerunt, qui non clam, sed palam, hoc officium sacrosancto corpori exhiberent, ut nihil fraudis in eo commissum fuisse cuilibet innotesceret.

XV. Sepulturam secuta est detentio corporis Christi in sepulcro, usque ad tertium diem, quo tempore velut in potestate ac vinculis mortis versatus est Dei Filius, quasi devictus et exanimis jacens, cum tamen mortem vinceret, et ejus vincula disrumperet. Est autem illud detentionis triduum ita intelligendum, non quasi tribus integris diebus, et totidem integris noctibus, in sepulcro mansisset; sed duabus noctibus integris, scilicet diei sextae et septimae, et una die, nempe Sabbathi; ac proinde per synecdochen intelligi debere, quod de figura Jonae scribitur Matt. 12, 40. fuisse Filium hominis tribus diebus et tribus noctibus in corde terrae, sicut Jonas in ventre ceti; quia extremae parti diei naturalis, constantis die et nocte, tribuitur nomen totius, atque ita νυχθήμερον integrum tantum in sepulcro moratus est Dominus, delibatis duorum reliquorum dierum partibus.

XVI. Sic actum est de passione, morte et sepultura Christi; sequitur, ut eorundem causas indagemus. Passionis Christi efficiens causa, vel remota est, vel propinqua; et haec quidem, vel directe, vel indirecte efficiens. Remota est decretum Dei aeternum, sive ordinatio divina, hoc negotium ab aeterno sic disponens et regens, quia neque fortuito, neque ex fatali necessitate, sed ex Dei Patris decreto per hunc modum, sapientiae divinae convenientissimum, Christus, ut genus humanum redimeret, passiones illas sustinuit, Act. 4, 28.

XVII. Propinqua causa efficiens directe, fuerunt omnes Christi hostes, Satan hostili odio insequens mulieris semen, et omnia

Satanae instrumenta, Judas, Sacerdotes, Annas, Caiphas, Pilatus, et plebs promiscua, qui omnes graviter peccarunt, sed tamen inaequaliter secundum gradus, pro ratione cognitionis et malitiae, vel majoris vel minoris. Qua ratione peccatum principum, qui ex invidia Christum tradiderunt crucifigendum, fuit omnium gravissimum; Judae peccatum fuit minus, si hoc spectetur quod ex avaritia magistrum vendiderit; sed aliis aggravatur circumstantiis, utpote antegressa Apostolatus dignitate, domestica cum Christo familiaritate, et similibus. Minus propter easdem rationes peccarunt Judaei de plebe, et gentiles qui ex Pilati mandato Christum crucifixerunt.

XVIII. Causa efficiens propinqua sed indirecta, fuit Pater aeternus, qui Filio proprio non pepercit, sed pro omnibus tradidit illum, Rom. 8, 32. Fuit autem causa, 1. non impediendo passionem ejus, sed eum exponendo potestati persequentium, et deserendo eum, quomodo supra exposuimus. 2. praecipiendo ipsi Christo ut passionem illam pro hominibus sustineret, eique reatum nostrorum peccatorum imputando. 3. inspirando illi mentem et voluntatem patiendi.

XIX. Ad efficientem etiam causam indirecte, refertur voluntas ipsius Christi, passionem acceptantis et patienter sustinentis, ex obedientia erga mandatum Patris, qua voluntarie mortem suscepit, quam alias, si absolute consideretur, effugere potuisset, quamvis non ex hypothesi praesupposito mandato Patris. Nemo tollit animam meam a me, Joh. 10, 18. Item, ut cognoscat mundus quia diligo Patrem, et sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio; surgite, eamus hinc, Joh. 14, 30. Qua ratione passio Christi fuit sacrificium gratissimi odoris; quae illata ab hostibus fuit gravissimum peccatum.

XX. Materia in qua, sive subjectiva, ut vocant, est Christus Filius Dei secundum humanam naturam, qua sola potuit pati, in anima et corpore, ut ostendimus, ita tamen ut vere dicere quis possit, totum Christum esse passum, non totum Christi, et per Idiomatum communicationem, Dominum gloriae fuisse crucifixum, 1 Cor. 2. 8. et Deum sanguine suo ecclesiam acquisivisse, Act. 20, 28. Materia quam objectivam dicunt, sunt poenae omnes Christo impositae, de quibus in passionis descriptione actum est.

XXI. Forma externa consistit in ipsa passione et tolerantia

gravissimarum poenarum; interna, in obedientia illa, quam exhibuit Patri usque ad mortem crucis, qua sacrificium suum in ara crucis oblatum maxime commendavit, in quo idem sacerdos et victima unica, pro peccatis idonea, seipsum totum Patri obtulit et immolavit, Heb. 9, 14. Joh. 17, 19.

XXII. Hinc de fine mortis Christi dijudicare facile est; qui duplex constituitur: 1. Expiatio peccatorum nostrorum per satisfactionem infiniti valoris et pretii. 2. Corporis peccati mortificatio et abolitio, quae in ejusdem sepultura significata est, cujus consortes facti fideles una cum Christo peccato mortui, sepeliuntur, ut in novam vitam resurgant, Rom. 6, 4. et Col. 2, 12.

XXIII. Hujus autem finis, omnibus ad quos Deus pro beneplacito voluntatis suae mittit Evangelium annunciati et propositi, soli in Christum credentes fiunt participes; adeoque etsi ad omnium redemptionem sufficientissimum sit passionis et mortis Christi pretium, tamen ex liberrimo Dei consilio et gratiosissima voluntate et intentione, vivifica et salvifica ejus efficacia, se in solis fidelibus exserit, ad eos fide justificante donandos, et per eam ad salutem certo perducendos; servator enim est populi sui, corporis sui, Mat. 1, 21. Eph. 5, 23. pro ovibus animam posuit, Joh. 10, 15. et filiorum quos in gratiam adduxit, princeps salutis per afflictiones consecratus est, Heb. 2, 10.

XXIV. Ad humiliationem etiam pertinet, quod in symbolo fidei additur, Christum ad inferos descendisse, qui articulus, etsi lectus olim non fuerit, in Ecclesiae Romanae, aut Ecclesiae Orientalis symbolis, et a vetustissimis quibusdam Patribus, dum vel summam fidei Christianae colligunt, vel Apostolorum symbolum exponunt, fuerit omissus, nec quando insertum sit symbolo, certo constitui possit; non est tamen nihili si ad fidei analogiam exigatur ejus interpretatio.

XXV. Nomen שאול scheol, cui respondet graecum ᾅδης, et latinum infernus, duas habet significationes, unam propriam, alteram figuratam: propria significatione in Scriptura accipitur, pro omni quod superficie terrae inferius jacet, una annotatione absumendi et excipiendi omnia quae viva antea fuerint; atque ita quia interitum spectat, quantum ex illius natura est, fit ut omnis hominum de hac vita mortali exceden-

tium status, inferni nomine saepe in sacris literis indicetur. Metaphorica autem accipitur pro extremis doloribus et angustiis quales sentiunt damnati. Hinc alii descensum realem Christi ad inferos statuerunt, alii figurate sic dictum.

XXVI. Qui realem descensum ratione loci, pro varia, seu vera, seu imaginaria locorum ratione, varie etiam sentiunt. Nonnulli ad corpus referentes, nihil aliud intelligunt quam vel sepulturam, vel moram corporis Christi in sepulcro; alii ad animam referunt, idque varie. Nam quidam volunt animam Christi descendisse ad loca damnatorum, ut praesentia sua poenam eorum augeret, et ab eo descensu triumphum suum inchoaret. Alii ad locum quem in inferno fabricarunt, in quo volunt animas Patrum ante Christi mortem fuisse detentas, cui limbi nomen imposuerunt. Alii ad locum quidem damnatorum descendisse, et ad limbum Patrum, ut vocant, at non reali animae praesentia, sed tantum efficacia divinitatis suae.

XXVII. Prima sententia in brevi symbolo admittit inutilem repetitionem, et interpretationem quae potius tenebras offunderet, quam praecedentem articulum illustraret. Secunda non minus absurda est, quia ad primum effectum inutilis erat; cum damnatis victoria Christi aliunde innotescere potuerit, quam ex animae ejus praesentia, quae tum a corpore separata, testata potius fuisset, eum adhuc esse sub potestate mortis: qua ratione absurditas secundi finis refellitur, quia durante illa separatione, non potuit incipere triumphus.

XXVIII. Tertia est merum humani cerebri inventum, quia locus ille nusquam in Scriptura comparet; nec ex ea usquam probari potest, patres, qui in fide mortui sunt, inferorum subterraneorum carceribus detineri, qui in sinu Abrahae recipiebantur in coelo, ubi, Christo teste, erant Abraham, Isaac et Jacob, Matt. 8, 11. Quem locum Augustinus dicit esse, requiem beatorum pauperum quorum est regnum coelorum, in quod post hanc vitam recipiuntur, Quaest. Evang. Lib. 2. cap. 38. Nec diffitetur Maldonatus Jesuita, posteriorum Theologorum obtinuisse opinionem, fuisse sub terra distinctum ab aliis poenarum locis, in Luc. 16, 21. qui certe a Marcione mutuati sunt, quod utramque mercedem sive tormenti sive refrigerii, apud inferos determinent; eis positam qui legi et

prophetis obedierint, Tert. contra Marcion. Lib. 4. cap. 14.

XXIX. Utraque sententia refutatur dicto Christi, Hodie mecum eris in paradiso, Luc. 23, 43. Nisi enim paradisum in inferno collocent, quod dictu horrendum est, necessario lacerabitur eorum limbus, praesertim fatente Maldonato in Matt. 17, 44. Christum de paradiso locutum fuisse, ubi tunc non erat; ne de Christo qua Deus est, vel de statu beatitudinis, dictum intelligant. Durandi opinionem de descensu efficaciae, ipsi refellunt Pontificii, et, si de limbo intelligatur, quatenus effectum statuit in re quae nusquam est, etiam cum priore illa ridicula est, nec de descensu efficaciae ad inferos, usquam est in Scriptura mentio, cum hic descensus ad humiliationem et abjectionem pertineat; et personae, non efficaciae ullibi tribuatur.

XXX. Supersunt aliae articuli expositiones, quae veritatem in re continent, et extra controversiam sunt apud omnes orthodoxos, si doctrinam in se spectemus, non item si de articuli sensu proprio agatur; alii enim alium aptiorem existimant, quae lis non est magni momenti, cum in re omnes conveniant, et jam indicatum sit, hunc articulum in symbolo apud omnes Ecclesias olim non fuisse. Quidam igitur volunt, hoc articulo contineri omnium quae de externa illa Christi humiliatione dicta sunt, ἀνακεφαλαίωσιν: qua, quae prius articulatim posita erant, velut in angustum in exitu contrahuntur; ut significetur totus humiliationis status, a primo usque ad infimum gradum. Quam eandem interpretationem amplectuntur, qui infernum pro morte, et descensum in infernum, pro descensu ad mortem accipiunt.

XXXI. Alii per inferos statum mortis, et per articulum, descensum intelligunt, quo mortis statum subivit Christus, qui propterea notant, nunquam asserere Scripturam, Christum resurrexisse ex sepulcro, sed ἐκ νεκρῶν, ut significet, eum qui antea fuerat inter mortuos, in statu mortuorum non semper mansisse, sed aliquando mortuum esse desiisse. Non longe ab eorum sensu distant, qui ad commorationem illam triduanam articulum referunt, quam a sepelitione diversam esse statuunt, et separatum beneficium contulisse, itaque separatum in symbolo articulum commeruisse, in qua Christus corporum nostrorum ignominiam degustavit, quam seminationem vocat Pau-

lus, 1 Cor. 15, 43. Nisi hoc discrimen statuatur, quod mortuorum status ad corpus et animam, quatenus a corpore separata est, referatur; commoratio autem in sepulcro, ad corpus tantum.

XXXII. Hi posteriores sensus, si articulorum consequentia consideretur, et rerum gestarum ordo, prout in Evangelica historia narratur, maximam habent probabilitatem, praesertim cum inter primas, et proprias hujus phraseos significationes, habeatur illa de mortis statu, ut initio dictum est. Nec tamen quae vulgo recepta est in publicis Catechesibus interpretatio, minus vera est aut apta; qua per descensum ad inferos, intelliguntur inferni dolores, et irae Dei gravitas ac velut desertio quam Christus in anima expertus est, ut supra exposuimus. Nec inconveniens est, hos duos descensus, quod nonnulli faciunt, conjungere: cum uterque ad extremam Christi humiliationem pertineat, et in phrasi fundamentum habeat: utriusque etiam doctrina vera sit et necessaria, ut ex dictis abunde liquet.

XXXIII. Sic de humiliatione Christi pro instituti ratione satis. Ex qua hi nobis fructus sunt colligendi, plenissimam nos habere in Christo pro omnibus peccatis nostris satisfactionem et expiationem; morti victoriam extortam esse et abolitum ᾅδου κέντρον; per ignominiam Christi, ad summam gloriam nos esse evehendos, et inferni sedem nobis debitam, mutatam esse in coeleste domicilium, quod suis praeparavit et disposuit Christus Dominus.

XXXIV. Praeter haec immensa beneficia illud etiam maximum sumus consecuti, ut in hac una passione, omnium virtutum clarissima exempla habeamus, patientiae, humilitatis, caritatis, mansuetudinis, obedientiae, etc., ut vere dicere possimus, Salvatorem nostrum, quaecunque vitae praecepta toto suae praedicationis tempore verbis nos docuit, ea omnia uno passionis die in se expressisse. Cui in aeternum gloria!

Tertull. Lib. de Carne Christi, cap. 5.

Natus est Dei Filius; non pudet, quia pudendum est. Et mortuus est Dei Filius; prorsus credibile est, quia ineptum est. Et sepultus resurrexit; cer-

tum est, quia impossibile est. Sed quae quomodo in illo vera erunt, si ipse non fuit verus, si non vere habuit in se quod crucifigeretur, quod moreretur, quod sepeliretur, et resuscitaretur, Carnem scilicet hanc sanguine suffusam, ossibus substructam, nervis intextam, venis implexam, qua nasci et mori novit, humanam sine dubio, ut natam de homine.

Ambros. de Incar. Dominic. sacr. cap. 6.

Secundum naturam se obtulit nostram, ut ultra nostram operaretur naturam. De nostro sacrificium, de suo praemium est.

DISPUTATIO XXVIII.

DE

Statu Exaltationis Jesu Christi.

Praeside D. ANTONIO WALAEO.

Respondente DANIELE SUAVIO.

THESIS I.

QUUM totum munus Christi Servatoris nostri, statu humiliationis atque exaltationis in Scriptura definiatur, ac de primo antecedente disputatione sit actum; reliquum jam est, ut de altero quoque statu, nempe exaltationis ejus, deinceps agamus.

II. Quemadmodum vero in statu Christi priore, tres diversi gradus antecedenti disputatione distincte sunt observati, nempe mors crucis, sepultura ejus, atque ad inferos descensus; ita in hoc posteriore, tres gradus oppositi distincte quoque nobis erunt explicandi, nempe resurrectio a mortuis, ascensus in coelos, et sessio ejus ad dextram Patris.

III. Resurrectionem ejus a mortuis, adversus Marcionitas, Libertinos, et similis farinae homines, qui Christo umbraticum corpus, et actiones umbraticas tribuere sunt ausi, definimus,

veram et actualem Christi in vitam resuscitationem, qua corpus ejus ab anima vere sejunctum, et tridui mora in sepulcro sine ulla corruptione naturali detentum, cum anima ejusdem, quae toto mortis tempore in Paradiso erat versata, rursum vere et naturaliter conjunctum fuit, atque in vitam hanc proprie dictam reductum, mortalitate tamen ac reliquis vitae hujus infirmitatibus plane depositis.

IV. Infirmitates illae, quas Christus resurgendo deposuit, sunt duorum generum: tum quibus ex prima creatione in vitam hanc animalem, humana natura fuit subjecta, de quibus Apostolus 1 Cor. 15, 44. et alibi Scriptura agit; tum quibus peculiariter tamquam sponsor noster propter peccata nostra seipsum subjecit, similiter nobiscum per omnia tentatus excepto peccato, Hebr. 4, 15.

V. Negamus tamen, propterea Christum vel essentiam, vel essentiales proprietates naturae humanae per resurrectionem suam deposuisse, non magis quam nos eas post hanc vitam deponemus; quum corpora nostra illius corpori glorioso sint futura conformia, Phil. 3, 21., quandoquidem ipse Christus etiam post resurrectionem discipulis suis testatus sit, corpus suum carne et ossibus constare, adeoque visui atque tactui esse expositum, Luc. 24, 39.

VI. Unde videmus, quam graviter illi errent, qui Christum post resurrectionem, ejusmodi corpus resumpsisse statuunt, quod omni quantitate ac dimensione careat, et instar spiritus quaevis alia corpora, sine eorum cessione aut apertione penetret; et quanto adhuc gravius errent illi, qui id in multis simul locis eodem temporis momento (quod ne quidem spiritibus concessum est) per reproductionem (ut hodierni Jesuitae loquuntur) adesse fingunt. Tolle enim spatia sua corporibus, nusquam erunt, et quia nusquam erunt, nec erunt; tolle ipsa corpora qualitatibus corporum, non erit ubi sint, et ideo necesse est ut non sint, ut Augustinus convenienter naturae ac Scripturae loquitur, Epist. 57. ad Dardanum.

VII. Causa efficiens principalis est, tum Deus Pater per Spiritum suum, Rom. 8, 11. qui ad demonstrationem veritatis ac justitiae suae Christum ex morte, a qua fieri non potuit ut detineretur, Act. 2, 24. resuscitavit. Tum ipse quoque Filius,

qui, ut se potenter Dei Filium secundum Spiritum sanctificationis declararet, Rom. 1, 4. et ut ex propria voluntate, secundum mandatum Patris se animam suam pro nobis posuisse ostenderet, se ipsum jam Satanae ac peccati per mortem victorem, Heb. 2, 14. propria ac divina sua virtute, in vitam revocavit, sicuti ipse testatur, Joh. 2, 19. et 10, 18.

VIII. Fines resurrectionis Christi, qui et ejus effectus ac fructus dici possunt, sunt multi ac varii: 1. ut plenissime pro peccatis nostris esse satisfactum, et justitiam aeternam esse reductam, hac sua de morte victoria testaretur, Rom. 4, 25. 1 Cor. 15, 17. et 57. 2. ut sicuti virtute mortis ejus, vetus noster homo est mortificatus, ita et virtute resurrectionis ejus, novus homo in nobis revivisceret, et imago Dei restauraretur, Rom. 6, 4. 3. ut ipsius resurrectio nostrae futurae resurrectionis esset certissimum pignus et causa, 1 Cor. 15, 22. ac denique, ut per resurrectionem suam sibi aditum patefaceret, ac reliqua munera sua pro nobis obeunda, per quae tamquam Propheta, Intercessor et Rex noster, vim mortis et sacrificii sui nobis in aeternum applicaret, Rom. 14, 9.

IX. Quemadmodum vero Christus proprio suo corpore resurrexit, etiam vulnerum, quae in cruce acceperat ad veritatem ejus testandam, vestigiis insignitum: ita et nostra corpora eadem numero ante ultimum judicium resuscitatum iri, adversus Marcionitas, Anabaptistas quosdam, et similes haereticos, hinc evidenter consequitur. Christus enim suscitatus est ex mortuis, et primitiae eorum qui obdormierunt, est factus, 1 Cor. 15, 20.

X. Resurrectionem Christi sequitur ejus in coelos ascensus. Nam postquam Servator noster dies 40. continuos cum discipulis conversatus, ea quae ad regnum ipsius spirituale erigendum spectabant, illis plenius explicasset, Act. 1, 3. et nova auctoritate ad illud per totum mundum inter omnes gentes propagandum eos instruxisset, Marc. 16, 15. tandem humanam suam naturam, relicto hoc mundo, spectantibus discipulis, et testibus Angelis, in coeleste sacrarium subvexit, Act. 1, 9.

XI. In hac ascensione Christi, tria praecipue ad veram hujus articuli notitiam sunt consideranda: I. locus in quem ascendit, II. forma seu modus quo ascendit, ac denique fines seu fructus hujus ascensionis.

XII. Locus in quem Christus ascendit, omnium Evangelistarum consensu est coelum. Quo non aërem aut coelos hos visibiles intelligimus, quos pertransiisse dicitur, Hebr. 4, 14. nec solum statum gloriosum ac coelestem, ut Ubiquitarii contra totius antiquitatis consensum commenti sunt, sed ipsum coeleste ac gloriosum beatorum spirituum habitaculum, quod supra omnes visibiles coelos a Scriptura constituitur. In quod Henoch et Elias, virtute ascensus Christi venturi, antea praecesserant, Hebr. 11, 5. et 2 Reg. 2, 1. et in quod corpora nostra postquam animabus suis unita rursum fuerint, virtute ejusdem Christi ascensus recipientur, Joh. 14, 2. Phil. 3, 21.

XIII. Demonstrant illud, praeter historiae Evangelicae literalem ac genuinum sensum, nomina quibus hoc coelum, in quod Christus ascendit, in Scripturis denotatur. Joh. 6, 58. vocatur coelum ex quo Christus descendit, et v. 62. ubi Christus prius (nempe quam veniret in hunc mundum) erat. Joh. 14, 2. vocatur domus Patris, in quam Christus profectus est nobis locum paraturus. Eph. 4. 10. dicitur ascendisse ὑπεράνω πάντων τῶν οὐρανῶν, supra omnes coelos. Phil. 3. vs. ult. dicitur coelum in quo est nostra civitas. Heb. 11, 16. patria supercoelestis, et 12, 22. Jeruzalem ἐπουράνιος. 2 Cor. 12, 4. Paradisus, et vers. 2. coelum tertium, in quod Paulus raptus Christum vidit et audivit. Quae omnia et similia de nullo alio coelo, quam beatorum aeterna sede et habitaculo, intelligi in Scripturis solent.

XIV. Modus hujus ascensus fuit verus et corporeus, sicut tota Evangelica historia testatur, non aliqua tantum disparitio ex oculis discipulorum in aëre, ut Ubiquitarii fingunt. Nam sic Christus in coelum ascendisset, priusquam vere ascendit; quandoquidem ex discipulorum conspectu, etiam antequam vere in coelum ascendit, nonnunquam miraculose subductus fuit, ut videre est Luc. 24, 32. Nec est ipsa corporis Christi glorificatio, quia Christus etiam ante passionem suam ad tempus fuit transfiguratus, Matt. 17, 2., unde sequeretur, eum ad tempus in coelum ascendisse et rursum descendisse, antequam vere ascendit: quae omnia sunt absurda et a Scripturae loquendi usu plane aliena.

XV. Modi loquendi, quibus Scriptura de hoc Christi in coelos ascensu passim utitur, evincunt quoque ascensum hunc fuisse

verum et realem, ut Marc. 16, 19. ἀνελήφθη εἰς τὸν οὐρανὸν, sursum receptus est in coelum. Luc. 24, 51. ἀνεφέρετο εἰς τὸν οὐρανὸν, sursum ferebatur in coelum. Act. 1, 9. ἐπήρθη, in altum sublatus est, et vers. 11. Ille ipse Jesus, qui sursum receptus est a vobis in coelum, ita veniet, quomodo vidistis eum proficiscentem in coelos. Sic Apost. Heb. 9, 12. dicit, pontificem nostrum semel ingressum esse in sancta. At secundum eos saepius ingressus esset, quotiescunque nempe, ex ipsorum sententia apparuit in terra et rursum disparuit; et vers. 24. Non enim in manu facta sacraria introivit Christus, quae sunt verorum ἀντίτυπα, sed in ipsum coelum, ut nunc compareat coram facie Patris pro nobis. Imo vero Joh. 16, 28. Christus testatur, se non tantum ad Patrem abire, sed et hunc mundum relinquere, quod non nisi de reali loci mutatione intelligi potest.

XVI. Nec vero propterea sequitur, ut quidam inter eos inepte colligit, si haec ascensio sit vera loci mutatio, Christum immani temporis spatio opus habuisse ad hoc iter versus coelum conficiendum. Nam si vel altissimae stellae, et coeli supremi mobilis quaelibet partes, intra quatuor horas tantum spatium, quantum inter supremum coelum et terram intercedit, naturali suo motu conficiunt, quemadmodum ex proportione radii ac circumferentiae in circulo est notum; quanto minori tractu temporis, corpus Christi jam immortale et glorificatum, habuit opus, ut e terra in coelum divina virtute eveheretur, quemadmodum spectantibus Apostolis factum esse testatur Scriptura, Act. 1, 10.

XVII. An Christus solus in coelum ascenderit, an vero cum aliquo comitatu et triumpho, a nonnullis disputatur. Etsi enim Act. 1. nulla illius comitatus fiat mentio, sunt tamen magni nominis Theologi, qui ex quorundam aliorum locorum comparatione id colligunt. Existimant enim, sanctos illos, qui cum Christo resurrexerunt, Matt. 27, 13. cum eo quoque in coelum ascendisse, tamquam vivificae resurrectionis ejus testes et comites; quo etiam ab aliis refertur locus, Eph. 4, 8. ascendens in altum captivam duxit captivitatem, id est, a morte captivorum multitudinem: sed cum hic locus alias quoque expositiones Orthodoxas admittat, nos hic malumus ἐπέχειν; etsi

non dubitemus, quin Christi in coelos ingressus, plenus gloria et congratulatione coelestium spirituum fuerit; quemadmodum in nativitate ejus est factum, ut clare id nobis, etsi allegorice, describitur Ps. 68, 18. Dan. 7, 13. atque alibi.

XVIII. Negamus tamen contra Pontificios, patrum omnium ante Christi ascensum defunctorum animas, in limbo aliquo subterraneo ad hoc usque tempus fuisse detentas, ac tum demum a Christo liberatas atque in coelum ab ipso traductas. Nam nulla id ratio, aut S. Scripturae locus evincit, et contra a nobis ostensum est, Henoch et Eliam in coelum esse translatos, ut 2 Reg. 2, 1. et 12. disertis verbis asseritur, et Christus omnibus persecutionem pro justitia patientibus, longe ante mortem suam, mercedem in coelis promittit, Matt. 3, 10. et 12. atque ipsi latroni in cruce pendenti, quod eodem die cum ipso futurus esset in paradiso, Luc. 23, 43.

XIX. Etsi vero Christus etiam post suum in coelos ascensum nonnunquam discipulis in Apostolorum actis, et nominatim Apostolo Paulo dicatur apparuisse, negamus tamen, propterea eum corpore suo reipsa extra coelum fuisse, quia comparitiones illae, vel ecstaticae fuerunt, vel in somnis, vel coelis apertis; Christum vero ipsum in coelis mansurum usque dum veniat judicatum vivos et mortuos, Scriptura diserte testatur, Act. 3, 21. et Phil. 3. v. ultimo, atque alibi.

XX. Fructus ascensionis Christi sunt multi ac magni. Ejus enim ingressu coeleste nobis sacrarium apertum est, Joh 14, 2. Hebr. 9, 8., spes futurae nostrae haereditatis in capite nostro plenissime confirmata, et nos cum eo in coelis collocati, Eph. 2, 6. Spiritus Sancti effusio nobis impetrata, Joh. 16, 7. ac denique ejusdem virtute, corda et affectus nostri sursum in coelum evecti, ut non quaeramus amplius ea quae in terris sunt, sed ea quae in coelis sunt, Col. 3, 1. 2. 3.

XXI. Postremus exaltationis Christi gradus est, ejus ad dextram Dei sessio, de qua nobis in sequentibus agendum.

XXII. Dextra Dei, hoc loco proprie accipi non potest, cum Deus sit Spiritus, ac proinde carnem et ossa non habeat; sed metaphorice sumitur, pro summo illo glorificationis gradu, in quem Christus a Patre, post passionem et ascensum ejus in coelos, est evectus.

XXIII. Metaphora autem haec est sumpta a consuetudine

Regum ac Principum; qui solio suo insidentes, aut coram tribunali suo jus dicentes, eos quos summo post ipsos honore afficiunt, aut quos regni sui participes faciunt, ad dextram suam collocare solent, quemadmodum hoc in omnibus principatibus consuetum. Sic Rex Salomon insidens solio suo Matrem suam ad dextram suam collocavit, 1 Reg. 2, 19. Sic Ps. 45, 10. Regina ad dextram Regis sui constituitur. Sic Mater filiorum Zebedaei, Matt. 20, 21. postulavit a Christo, ut unus ad dextram, alter ad sinistram illius, in ejus regno sederet.

XXIV. Significat ergo haec sessio Christi ad dextram Patris, non proprie gloriam illam et regnum naturale, quod Filio Dei cum Patre ab aeterno fuit commune, hoc enim pacto etiam Spiritus Sanctus ad dextram Dei sederet: sed regnum oeconomicum et voluntarium, in quo tamquam θεάνθρωπος, et Mediator noster, ad Ecclesiae suae collectionem ac defensionem a Patre est constitutus; unde Apostolus Paulus ei omnia a Patre esse subjecta asserit, excepto tamen eo qui ei omnia subjecit, 1 Cor. 15, 27.

XXV. Complectitur ergo sessio Christi ad dextram Patris, haec duo: Primo, gloriam illam et honorem supremum, quo nomen supra omne nomen accepit, et longe supra Angelos, atque alias quasvis creaturas est evectus et illarum haeres ac caput est factus, quemadmodum Apostolus id perspicue explicat, Eph. 1, 20. 21. 22. Phil. 2, 9. 10. 11. Hebr. 2, 7. 8, atque alibi, unde et ad Heb. 1, 3. dextra μεγαλωσύνης, id est, majestatis, Heb. 8, 1 dextra μεγαλωσύνης τοῦ θρόνου, et Hebr. 12, 2. dextra Throni Dei appellatur.

XXVI. Sed haec Christi capitis gloria, non est titularis, sed cum potestate et imperio in omnes creaturas etiam conjuncta; qua tamquam Rex et gubernator omnium, verbo et Spiritu suo Ecclesiam efficaciter e mundo colligit, et potentia sua adversus mundum et Satanam conservat ac tuetur; idque donec de hostibus omnibus plene triumphabit.

XXVII. Demonstrant illud, praeter locos supra citatos, comparatio Ps. 110, 1. cum 1 Cor. 15, 25. Nam pro verbis illis, quae Ps. 110, 1. sic enunciantur, Sede ad dextram meam, donec posuero inimicos tuos in scabellum pedum tuorum, Apostolus haec tamquam aequivalentia substituit, 1 Cor. 15, 25. Oportet ipsum regnare, donec posuerit

omnes inimicos sub pedibus suis, unde et Matt. 26, 64. Marc. 14, 62. vocatur dextra δυνάμεως, potentiae Dei et Matt. 28, 18. omnis potestas in coelo et in terra.

XXVIII. Quaeritur hic secundum quam naturam Christus proprie ad dextram Dei sedeat; et recte respondetur, secundum utramque. Nam quemadmodum Christus Mediator est constitutus secundum utramque naturam, divina faciente quod suum est, humana quod est suum: ita quoque secundum utramque Rex noster est constitutus, cum hoc tamen discrimine, quod divina natura nulla hic nova dona accepit, sed ejus gloriae ac potentiae quam ab aeterno possedit, novum usum ac manifestationem, secundum Patris voluntatem et salutis nostrae oeconomiam, ut Christus ipse rogat, Joh. 17, 5. Pater glorifica me apud temetipsum ea gloria, quam habui apud te antequam hic mundus esset; sed humana natura utrumque accepit a Patre, nempe gloriam ac potestatem atque usum eorum, ut ex Matt. 28. Phil. 2. Hebr. 2. atque aliis locis est colligere.

XXIX. Quaeritur etiam, an Christus hanc gloriam humanae naturae suae, per passionem et mortem proprie loquendo meruerit? Etsi vero adversus eos qui hoc asserunt, valde nolimus contendere, quum certum sit Christum dignitate meriti sui eam nobis acquisivisse, existimamus tamen, contrariam sententiam, quae est plurimorum reformatorum scriptorum, firmioribus argumentis niti; imprimis vero, quia haec gloria jure unionis hypostaticae, et tamquam vera Filii haereditas ei debebatur, Ps. 2, 7. et 8. Heb. 1, 2. ac proinde quemadmodum ipsa unio hypostatica, omnium Theologorum consensu, nullam meriti rationem subit, ita nec illa, quae eam necessario, et ex divino decreto sunt consecuta, unde et voce χαρίσασθαι, in hoc negotio Apostolus Paulus utitur, Phil. 2, 9.

XXX. Quod vero quidam inter Ubiquitarios contendunt, corpus Christi per hanc ad dextram Dei sessionem, omnibus locis in coelo atque in terra praesens esse factum, praeterquam quod reliquorum, qui hanc, quam fingunt omnipraesentiam, ex unione hypostatica arcessunt, fundamenta evertit, contradicunt diversis et perspicuis Sacrae Scripturae locis, qui unius tantum in hunc mundum reditus Christi mentionem faciunt, quando scilicet ad finem seculi in gloria sua apparebit.

XXXI. Fructus atque effectus hujus sessionis Christi ad dex-

tram Patris, quotidie sentit Ecclesia, et hostes Christi, ipseque adeo Satanas, velint nolint, admirantur et contremiscunt. Ecclesiam enim suam verbo ac Spiritu suo, illis frustra adversantibus, colligit, adversus totius mundi tyrannidem atque inferorum portas conservat, Antichristum spiritu oris sui conficit; et quemadmodum benignitatem suam, ac gratiae suae divitias veris Ecclesiae membris, tum in ipsorum conscientiis, tum in ipsorum externo statu, quotidie magis ac magis explicat, ita etiam manifesta judicii venturi signa, adversus istorum plurimos indies manifestat.

XXXII. Haec autem omnia nituntur intercessione illa, qua Christus non tantum in statu suo humili, sed vel imprimis in statu illo suo glorioso, apud Patrem intercedit, Rom. 8, 34. Heb. 7, 25. 1 Joh. 2, 1. etc.

XXXIII. Haec autem Christi intercessio in coelis ad dextram Dei, non est unica et sola actio sacerdotis Christi, ut impius Socinus fingit, sed actionum sacerdotalium una; qua postquam se ipsum in terris extra sacrarium coeleste, hostiam propitiatoriam pro peccatis nostris obtulit, in ipso coelo coram facie Patris interpellat, idque adversus Satanam atque ejus instrumenta, et pro Ecclesia atque ejus membris, quemadmodum utriusque egregius typus nobis proponitur Zach. 3, 2. et seqq.

XXXIV. Consistit autem haec intercessio seu interpellatio Christi in hisce tribus: I. Quod Christus hostiam suam propitiatoriam iu ipsum sacrarium coeleste, illud nobis sanctificaturus, intulerit, et ibi compareat coram facie Dei pro nobis, Heb. 9, 23. 24. II. Quod voluntate ac desiderio suo ardenti, quemadmodum in terris antea fecerat, Joh. 17, 11. 15. 24. etc. ita et in coelis apud Patrem, mortis suae vim atque efficaciam nobis ad salutem applicari postulet, ut Zach. 1, 12. et Joh. 14, 16. item Act. 2, 33. videre est. Denique, quod merito ac desiderio suo, nostras preces in nomine ejus effusas, Deo Patri gratas et acceptas reddat, Joh. 14, 6. et 13. item 1 Joh. 2, 1. et 2.

XXXV. Quorum omnium elegans typus, explicante ipso Apostolo Paulo, Heb. 7. et 9. fuit ingressus summi sacerdotis in sanctum sanctorum, ipso die propitiationis. Nam I. sacrificium expiatorium extra sacrarium offerebatur, et ejus sanguis deinde in sacrarium ab eodem inferebatur. II. suffitus sanguini illi con-

jungebatur, per quem vota ac preces figurabantur, ut explicatur Apoc. 8, 3. ac denique humeris, ac pectore suo, nomina tribuum Israëlis gestabat, pro quibus propitiatio typica procurabatur.

XXXVI. Extremus hujus regni sacerdotalis actus, erit judicium extremum; quando e coelo ad judicandum vivos et mortuos redibit, et omnes tam boni, quam pravi, coram ipsius tribunali comparere cogentur, ut unusquisque referat quod fecerit in corpore suo, sive bonum, sive malum, 2 Cor. 5, 10. ac tum denique deposita hac oeconomica regnandi forma, tamquam omnium victor ac triumphator, primo se ipsum, ac deinde hoc regnum tradet Deo et Patri, ut Deus deinceps sit omnia in omnibus, 1 Cor. 15, 24. et 28.

DISPUTATIO XXIX.

DE

Satisfactione Jesu Christi.

Praeside D. ANTONIO THYSIO.

Respondente ISAACO PLANCIO.

Thesis I.

Hucusque de Personae Filii Dei incarnatione, ejusque fine, nempe officio, officiique partibus actibusque, et ad illius exsecutionem vario statu, tum humili, tum glorioso, actum fuit; sequitur ut satisfactionem, quae a persona officioque ejus, imprimis sacerdotali, dependet, exsequamur.

II. Satisfactionis vocabulum in sacris ad homines relatum, raro occurrit, uti et satisfacere, Graecis ἱκανὸν ποιῆσαι, Marc. 15, 15. Est autem id tantum facere, quantum postulanti, aut laeso iratoque atque expostulanti satis est; seu desiderium alicujus implere, quod generaliter fit verbis vel factis. Ad debitum relatum, est illud exsolvere; quae solutio duplex: impropria et catachrestica, acceptilatio scilicet, quae ficta est et imaginaria solutio, dum acceptum refertur, et pro soluto habetur, quod revera non est solutum; vel vera et proprie dicta,

quae est plena et adaequata persolutio. Quo sensu hic a nobis accipitur.

III. Haec porro vox relata ad debitum nostrum erga Deum, quo obligamur ad debitum justitiae seu obedientiae ejus praestandum, vel ad debitum poenae, sive per nos, sive per alium ferendum, et, si fieri potest, exhauriendum, in Scriptura non occurrit; sed aequipollentes obviae sunt, ut λύτρωσις, ἀπολύτρωσις, redemptio, persolutio, atque similes, quae Christo vadi ac sponsori nostro tribuuntur.

IV. Est autem Satisfactio, Christi θεανθρώπου, id est, Dei et hominis actio, qua is ex divino, benevolo ac justo decreto, pro sua erga Patrem obedientia, et erga homines caritate, se ipsum ultro ac sponte vadem et sponsorem pro nobis, nostro scilicet loco et bono, sistens, pro nobis poenas omnes luit peccatis nostris debitas, easque perferendo et exhauriendo, divinae justitiae satisfecit, meritoque suo nos ab ira, maledictione Dei, ac morte aeterna liberavit, justitiam ac vitam aeternam acquisivit, ad justitiae misericordiaeque Dei declarationem nostramque salutem.

V. Causa efficiens ejus prima, est Deus voluntate, beneplacito et decreto suo, cum justo, tum benevolo; id justum, quod satisfactionem fieri voluerit; misericors quod taliter, videlicet, cum id a nobis exigere jure potuisset, Filium ei rei destinarit et dederit, Esa. 53, 10. Voluit Deus contundere ipsum, et impegit in eum omnium nostrorum peccata, et vers. 14. afflictus et percussus Dei dicitur. Joh. 3, 16. et Rom. 8, 32. Deus proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum. 2 Cor. 5. Deus erat in Christo reconcilians sibi mundum, etc. fecit eum pro nobis peccatum.

VI. Causa efficiens proxima, est ipse Christus, θεάνθρωπος, Dei et hominis Filius, adeoque Deus et homo, et oeconomiae mediator, qui solus, hac personae constitutione, comparatus et idoneus fuit ad hoc ipsum praestandum, Gal. 2, 20. Christus dedit sese pro nobis, et quidem secundum utramque naturam, unaquaque hic agente quod suum, humana quae sunt hominis, divina, quae Dei, et una cum communione alterius, ita ut salvis utriusque naturae proprietatibus, una natura cum altera concurrerit ad idem obedientiae, meriti, satis-

factionis ἀποτέλεσμα et opus θεανδρικόν. Ut enim incarnatus est, ut esset noster redemptor, ita etiam utriusque naturae proprietas huic actui deserviit, ab humana pretium, a divina hujus pretii quantitas et qualitas, infinitas scilicet, et ἀξίωσις, seu dignitas existit. Unde per Spiritum aeternum sese obtulisse Deo dicitur, Heb. 9, 14. et Dominus gloriae crucifixus, 1 Cor. 2, 8.

VII. Et quidem id praestitit volens et sponte sua, sine ulla coactione, Esa. 53, 7. Oblatus est quia ipse voluit. et v. 10. et 12. Posuit pro peccato, et tradidit in mortem animam suam. Joh. 10, 15. Ego pono animam pro ovibus. v. 15. Nemo tollit eam a me, sed ego pono eam a memetipso. Ipse potestatem habeo ponendi eam, et rursus assumendi. Deoque promptissimo obsequio obediens, Luc. 22. Pater, si fieri potest, transfer calicem istum a me. Veruntamen non mea voluntas, sed tua fiat. Joh. 18. An non bibam poculum quod dedit mihi Pater? Phil. 2, 8. Factus obediens usque ad mortem. Psal. 40. et Heb. 10, 7. Corpus aptasti mihi; Tunc dixi, ecce adsum ut faciam Deus voluntatem tuam.

VIII. Causa interna quidem quae Deum movit, tum ab una parte, est benignitas, gratia, misericordia ac φιλανθρωπία et supereminens caritas Dei erga homines, Joh. 3, 16. Ita dilexit Deus mundum, ut Filium suum daret. Rom. 5, 10. Commendat Deus caritatem suam erga nos, quod cum peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est; tum ab altera, Dei justitia, cui satisfieri oportebat, ut misericordia exerceri possit, et ejus effectum consequeretur. Est enim hic utriusque temperamentum, Rom. 3, 25. 26.

IX. Causa vero interna, quae Dei Filium Jesum Christum movit, fuit similiter ineffabilis ejus amor erga suos, et quos ei dedit Pater, Joh. 15, 13. Ego dilexi vos, majorem hac caritatem nemo habet, quam ut quis animam suam ponat pro amicis suis. Eph. 5, 2. Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem, et victimam Deo. et v. 25. Christus dilexit Ecclesiam, et tradidit se pro ea. Gal, 2, 20. Filius Dei amavit me, et tradidit semetipsum pro me, etc.

X. Causa externa satisfactionis, a Patre decretae, et a Filio susceptae, est miseria nostra, id est, peccata, et quidem aeternam poenam promerentia et exigentia, in quam miseratio Dei ferebatur, et ob quam poenas omnes nobis debitas subiit Filius Dei, ut per eum pristinae felicitati restitueremur, Esa. 43, 5. Et ipse vulneratus, seu dolore affectus est a praevaricationibus nostris, et attritus est ab iniquitatibus nostris, et v. 8. A praevaricatione populi mei plaga fuit; quibus locis מ' a vel ab, ex sermonis Hebraei proprietate, Lxx reddunt διὰ τὰς ἁμαρτίας καὶ ἀνομίας, propter peccata, iniquitates nostras, Rom. 4, 25. Traditus (Christus scilicet, in manus peccatorum et mortem) διὰ τὰ παραπτώματα, propter offensas nostras. Ubi διὰ cum accusativo causam notat antecedentem et impellentem. Atque ita accipitur plurimum, praesertim cum conjungitur cum perpessionibus.

XI. Similiter Scriptura Sacra hic utitur ὑπὲρ et περὶ, super, pro seu ob, eodem sensu, 1 Cor. 15, 3. Christus mortuus est ὑπὲρ ἁμαρτιῶν, pro peccatis nostris. Gal. 1, 4. Dedit semetipsum pro vel ob peccata nostra. Heb. 10, 12. Christus obtulit sacrificium pro peccatis. Et 1 Pet. 3, 18. Christus semel περὶ ἁμαρτιῶν, ob peccata passus est, justus, ὑπὲρ, pro injustis. Ubi ὑπὲρ et περὶ Latinis ob et pro, praesertim relatae ad rem, significant non minus causam impulsivam, quam finalem, quae etiam impulsivae rationem habet.

XII. Intelligenda ergo istis loquendi rationibus, a et pro peccatis, ob et propter peccata, causa impulsiva et quidem meritoria, id est, qua poenam peccatis nostris debitam respicit, peccatis nostris ita merentibus; non autem tantum occasio qualiscunque, ut infaustus ille Socinus nugatur. Quae tamen si in causis est, ad impulsivam referri debet. At talem expositionem Scriptura et communis loquendi usus non admittit.

XIII. Materia, seu pretium Satisfactionis sunt omnes miseriae et cruciatus, quos Christus a prima statim nativitate, usque ad extremum illum muneris sacerdotalis actum, passionis scilicet, sustinuit; praecipue vero mors crucis, exquisita illa, cruciatusque cumulate sumpti, quos Esa. c. 53. dolores, aegritudinem, plagam, vulnera, livorem, quin et mortem appel-

lat. Vere, inquit, languores nostros ipse tulit, et dolores nostros bajulavit, etc. 1 Petr. 2, 24. Cujus livore seu vibicibus sanati estis. Col. 1, 20. Ut reconciliaret per eum omnia sibi, pace per sanguinem crucis facta, et mox, in corpore carnis per mortem.

XIV. Haec porro mors in sacris literis cum hisce qualitatibus, et ut saeva ac cruenta, et ut ignominiosa ac maledicta proponitur. Utrumque supplicii, sanguinis et mortis crucis nomine indicatur, Phil. 2. Obedivit usque ad mortem, mortem autem crucis. Col. 1, 21. 22. Sigillatim quidem mors violenta et cruenta, voce sanguinis explicatur, Act. 20, 28. Deus acquisivit Ecclesiam suo sanguine, Rom. 3, 25. Quem proposuit placamentum in ipsius sanguine. Eph. 2. 13. Habemus redemptionem per sanguinem ipsius. Ignominiosa vero et maledicta, quae voce contemtus, Esa. 53, 3. Ps. 22, 7. et crucis denotatur, quae jungitur cum ignominia, Hebr. 12, 2. et cum scandalo, Gal. 5, 11. et maledictione, Gal. 2, 13. Maledictus omnis qui pendet in cruce.

XV. Veruntamen perpessionum nomine, intelligendi non tantum dolores corporis, qui in cruciatibus, et morte corporea, sed quoque animae, Esa. 53. Ubi laboraverit anima ejus, iique longe gravissimi, non tantum ab illis ipsis exquisitis doloribus, aut metu mortis ob *συμπάθειαν* utriusque orti, aut quoque a causae consideratione, quod ea pateretur justus pro injustis; sed immediate a Deo in animam ejus effusi, videlicet ira Dei horribilis, propter peccata in se suscepta, in eum accensa et effusa, qua Deus ipsum severissime ultus est.

XVI. Hos Propheta David Ps. 16, 10. et Actor. 2, 27. dolores mortis et inferni vocat, Non derelinques animam meam in inferno, et Symbolum Apostolicum, descensu ad inferos, comprehendit. Non quod in specie poenas infernales, ignis scilicet flammam, senserit; sed in genere, et aequipollentes, omniaque, quae cum iis conjuncta sunt, pertulerit.

XVII. Evangelistae vero, animae affectionibus ac passionibus exprimunt, utpote dolore ac tristitia: Tristis est anima mea usque ad mortem, et ejus actibus *λυπεῖσθαι*, et *ἀδημονεῖν*, id est, contristari et gravissime angi, Matt. 26, 37. *ἐκθαμβεῖσθαι*, expavescere. Marc. 14, 33. adeo, ut tertio

deprecatus sit poculum illud; imo in summo illo angore Angelica corroboratione opus habuerit, tantaque fuerit agonia, seu Christi luctantis angustia, ut ei praeter naturam sudorem sanguineum, instar grumorum descendentem in terram expresserit, Luc. 22, 43. 44. Quod sane non duntaxat de mortis terroribus (alioqui videri possent multi martyres Christo fortiores et constantiores) sed de terribili Dei Patris judicio et ira, quo nihil formidabilius cogitari potest, accipiendum est. Cujus extremus actus eo processit, ut se derelictum a Patre exclamaverit, Matt. 27, 46. In summa, execratio factus est, ut essemus benedictio Dei in ipso, Gal. 3, 13.

XVIII. Neque tamen desperare debuit. Desperatio ita poena est, ut et peccatum sit. Filium autem Dei peccati vindicem, peccati exsortem esse oportuit. Omnia enim tulit quae sine peccato ferre potuit.

XIX. Neque enim in aeternis quoad durationem poenis, morte scilicet tum corporali, tum spirituali, detineri debuit, aut potuit. Quia immensitatem quidem agonum et cruciatuum infernalium, cum desertione et abjectione a Deo, quod morti aeternae per se semper adest, sensit Christus a Deo desertus et abjectus ad inferos usque, alioqui id nobis sentiendum esset: at vero continuationem eorum, quod accidens est cum non fit liberatio, non item. Utrumque autem reprobi sentient.

XX. Hujus autem causa, quod peccatores condemnationis rei, iram Dei infinitam, seu universam simul effusam, utpote nudi homines, tolerare non valuerint (alias enim creatura mox absorbenda et abolenda fuerat) sed tantum partiatim et certa mensura, prout ferre poterat creatura, inferenda erat, adeoque successive et cum continuatione perferri debuit. At vero Christus in una hypostasi verus Deus et homo totaliter, et simul et semel, pro sua infinita potentia et virtute, eam totam exantlavit. Ita ut aeternis revera poenis haec temporaria aequipolleat, Heb. 9, 14. Joh. 2, 19. et 10, 18. Act. 2, 24. 25. et 3, 5.

XXI. Atque hae omnes peccatorum poenae, tam corporales, quam spirituales, peccatis in districto Dei judicio debitae, peccati nomine veniunt. Unde dicitur tulisse peccata nostra, id est, poenas peccatorum, factum esse peccatum, id est, subditum poenae, et execrationem, id est, execrabilem, et

poenae Legis obnoxium. Quin ipse Christus dicitur τιμὴ, pretium, quo empti sumus, 1 Cor. 6, 20. et 7, 22. λύτρον et ἀντίλυτρον, pretium redemptionis, Matt. 20, 28. 1 Tim. 2. 6. quod vicissim penditur, et adaequatum est. Quare et pretioso sanguine redempti sumus, utpote agni immaculati et incontaminati, nempe Christi, 1 Pet. 1, 18. 19. ita ut pretii hujus aequalitas a persona et re ipsa dependeat.

XXII. Forma satisfactionis Christi, est in modo actuque, scilicet in omni modo perfectissima, pro omnibus nobis, id est, vice nostra, proque omnibus peccatis nostris, ad ea luenda et eluenda, Deo facta persolutione. Ut enim materia est in adaequata poena peccatis debita, in quibus consistit satisfactio, ita forma est: Primo, quod eas voluntati Patris convenienter subierit, tulerit, toleraverit et exhauserit Filius Dei, Deus et homo, a cujus Deitate vis et potentia est ad sustinendum. Deinde quod id praestiterit pro nobis, personam et locum nostrum, ut noster sponsor, vas et praes tenens. Denique Deo, ut cui obligabamur, tamquam Deo, Creatori, Domino, Legislatori et Judici nostro, cui haec Satisfactio dependenda erat. In quibus plenaria Satisfactionis, qua talis, forma consistit.

XXIII. Satisfactionis seu praestationis hujus tres sunt actus. Ut enim sacrificium in atrio sacerdotum mactabatur et offerebatur, sanguis in sacrarium inferebatur coram Deo, populus in atrio ejus sanguine conspergebatur, Exod. 20. et 24., sic Christus, ut sacerdos in cruce, secundum eximium et extremum ejus actum, pro nobis se obtulit; utque intercessor, Deo in sacrario coeli antea oblatum praesentavit, perpetuoque sacrificii sui vigore etiamnum facit; ut Rex, e coelo in terram nobis applicat, Hebr. 2, 12. et 13, 10. 11.

XXIV. Ad hujus porro formae declarationem et probationem, facit, quod in ἱλαστικοῖς, id est, propitiatoriis, seu expiatoriis sacrificiis, bestia sisteretur pro peccatore ipso, qui imposita ei manu peccata sua super ea confessus, illa quasi in eam transferebat, eaque pro eo mactabatur, et Deo offerebatur, Lev. 1, 4. et 16, 21., quae hostia et inde חטאת (chatath) peccatum אשם (asham) delictum, non raro dicitur, id est, sacrificium piaculare, seu pro peccato, cui et peccatorum expiatio tribuitur, Num. 28, 22. Exod. 28. Quod typum et rationem habuit

ad sacrificium illud Christi vere piaculare et propitiatorium.

XXV. Quo respicit Propheta de Messia loquens, Esa. 53, 4. Vere languores nostros ipse נשא (nasa) tulit, et dolores nostros סבל (sabal) bajulavit, portavit, sustinuit; ubi posterior vox generalitatem prioris, quae et pro auferre usurpatur, restringit. Sic vers. 11. Notitia justi servi mei justificabit multos, et (id est, nam) iniquitates eorum ipse bajulavit. Et sana עון (gnavon) iniquitas, quae non modo culpam, sed iniquitatis poenam notat, cum bajulandi voce juncta, Hebraeis est poenas ferre: quo sensu et accipiendum quod mox subjicitur, vers. 12. et ipse חאט (chat) peccatum, id est, supplicium peccati multorum tulit.

XXVI. Eo facit quod est vers. 5. Castigatio (seu afflictio, quae mox labor dicitur) pacificationum, seu, pacis nostrae, super eum, id est, ei imposita est, et v. 6. הפגיע (hiphgiang) fecit occurrere in eum Dominus iniquitatem omnium nostrorum, hoc est, impegit seu conjecit in eum poenam iniquitatum nostrarum. Graeci interpretes, *παρέδωκεν αὐτὸν ταῖς ἁμαρτίαις ἡμῶν*, emphatice, vers. 10. Ponet delictum animam, id est, sacrificium pro delicto. Quibus in locis, culpae imputatio, et poenae vicaria tolerantia et exantlatio significatur, quodque nostram personam tenuerit, et poenas nostras nostro loco subierit ac luerit.

XXVII. Atque typi hujus Prophetiaeque luculentissima interpretatio in N. T. est. Eo respicit Joh. c. 1. v. 19. dum ait, Ecce agnus Dei, *ὁ αἴρων* qui tollit, scilicet in sese, seu gestat, atque ita tollit, id est, aufert peccatum mundi. Unde et passim in Apoc. agnus appellatur, et agnus mactatus, Apoc. 13, 8. et 1 Pet. 2, 24. Christus peccata nostra *ἀνηνέγκε*, (non dicit *ἤνεγκε*, quod tollere notat, Hebr. 9, 28. Sursum tulit in corpore suo super lignum, scilicet crucis) utriusque et corporis et ligni ratione, mox enim, ejus vibicibus sanati dicimur. Ubi adjuncta perpessionis et liberationis nostrae mentio, poenae alienae susceptionem indicat.

XXVIII. Quin illustres sunt illi loci, quibus pro nobis, id est, loco nostro haec omnia tolerasse pronunciatur, Matt. 20, 28. Filius hominis venit ut ministraret, daretque animam suam in pretium *ἀντὶ*, id est, vice multorum. Rom. 5, 6. 8. Christus *ὑπὲρ*, super, pro impiis, et pro nobis

mortuus est, quod versus consequens evincit. 2 Cor. 5. Eum qui non novit peccatum, pro nobis, hoc est, in nostra persona, peccatum fecit, tum imputando illi peccatorum nostrorum reatum, tum qua sacrificium factus est pro peccato, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso, id est, in persona ipsius. Item Gal. 3, 13. Christus nos redemit a maledictione legis, factus pro nobis κατάρα, execratio, quod est interprete Apostolo ἐπικατάρατος, execrabilis, et ὑπὸ κατάρας, execrationi obnoxius, vers. 10. Quibus in locis ἀντὶ et ὑπέρ, pro nobis, nostra vice, loco et in persona nostra primo denotat. Unde et utilitas nostra consequitur.

XXIX. Finis proinde Satisfactionis, ᾧ cui, seu objectum, sunt soli electi et vere fideles tam Veteris quam Novi Testamenti. Etsi enim ea quoad magnitudinem, dignitatem et sufficientiam pretii in se considerati, ad omnes homines sese extendere possit, attamen ea singulariter depensa iis est, quos Pater elegit, Filioque dedit, quique ex Dei dono in Deum ejusque Filium crediturí. Unde Scriptura passim dicit, quod pro suis, et nobis, pro ovibus, ecclesiaque sese impenderit, Matt. 20, 28. et 26, 28. 1 Joh. 3, 16. Act. 20, 28. etc.

XXX. Finis vero οὗ cujus gratia, seu usus rei, qui in actu positus effectus dici potest, respectu Dei quidem, seu supremus, est divinae justitiae et misericordiae ejus demonstratio. Justitiae, dum peccata nostra severissime punivit; misericordiae, dum non in nobis, in quibus merito potuit, sed in alio, Filio scilicet suo proprio, Rom. 3, 25. 26. Quem Deus constituit placamentum per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiae suae; per praetermissionem praecedentium peccatorum ex Dei tolerantia, ad ostensionem justitiae suae praesenti tempore, ut sit ipse justus et justificans eum qui sit ex fide Jesu. Ubi justitiae et justi vocabulis intelligitur communiter, tum qua Deus vindex et ultor peccatorum, ut vox placaminis et justificationis arguunt; tum qua clemens, verax et fidelis, ut quem constituit placamentum in sanguine ipsius. Ita hic simul severitas punientis, et gratia bonitasque servantis comprehenditur.

XXXI. Respectu Christi vero, seu finis intermedius est,

patefactio caritatis ejus summae, ut qui pro inimicis suis mortuus est, Rom. 5, 6.

XXXII. Quoad nos denique, et finis infimus seu proximus, est nostri pacificatio et sanitas, Es. 53, 5. Castigatio pacificationum nostrarum super eum, et livore ejus medicatum est nobis. Item justificatio, In scientia sui justificabit justus servus meus multos, etc. Qui finis disertius in N. Test. explicatur, utpote ἄφεσις, remissio peccatorum, Matt. 26, 28. ἀθέτησις, abolitio et sublatio peccati, Hebr. 9, 26. 28. πάρεσις, transmissio et laxatio, Rom. 3. Justificatio et servatio ab ira, Rom. 5, 9. Justitia Dei, 2 Cor. 5, 21. Benedictio, Gal. 3, 13. Redemptio in actu seu salvatio, Eph. 1, 7. Col. 1, 14. Reconciliatio cum Deo, Col. 1, 20. Eph. 2. Quae omnia liberationem a poena, seu impunitatem declarant.

XXXIII. Quin et justitia et sanctitas inhaerens comprehenditur, praesertim iis locis, in quibus communioribus vocibus Scriptura utitur, ut dum Christus ejusque sanguis, scilicet effusus, nos purgare, 1 Pet. 1, 2. mundare, 1 Joh. 1, 7. lavare, Apoc. 1, 5. a peccatis dicitur; quibus primo et primario liberatio a poena, inde et emendatio et sanctificatio animi significatur. Imo distincte utrumque conjungitur, Tit. 3, 14. Qui dedit semetipsum pro nobis ut redimeret nos ab omni iniquitate, et purificavit sibi ipsi populum peculiarem, studiosum bonorum operum.

XXXIV. Atque haec de satisfactionis causis; ex quarum consideratione apparet et ejus necessitas, eaque duplex: tum absoluta, quoad Dei naturam, qua non modo peccatum, ut sibi adversum, summe odit et execratur, sed et severissime punit, unde et sine satisfactione esse non potuit culpae et poenae remissio; tum hypothetica, qua, ut decrevit morte punire peccatorem, secundum illud, Morte morieris, ita et decrevit sic et hoc modo, per mortem scilicet Filii sui sibi satisfieri, et quidem huic atque illi illam impendi voluit; qui modus decreti divini est, et quidem eximie secundum sapientiae et justitiae suae rationem agentis. Ita ut Deus hic egerit non modo ut Rector sed et ut omnium justissimus Judex, Gen. 18, 15. Rom. 1, 32. et 3, 5. 6. 2 Thess. 1, 5. 6.

XXXV. Ceterum de Satisfactione quidem hic egimus, qua

est in poenae pro peccatis persolutione; at vero more Scripturae, propter συγγένειαν, cognationem, et necessariam cohaesionem, sub ea comprehendimus et alteram ejus partem; qua Christus sanctitatem et justitiam, quae in nobis requirebatur, et ad quam praestandam tenebamur, pro nobis et habuit, et toto vitae curriculo praestitit, ut in ipso Legi Dei per omnia essemus conformes, ac jus vitae aeternae nobis acquireret; quod totalis et debiti secundum Legem ratio, et obedientia justitiaque Christi, et fides quae totum Christum prehendit, exigit, Gen. 15, 6. Esa. 53, 9. Jer. 23, 5. 6. et 33, 16. Dan. 9, 24. Luc. 1, 35. Matt. 3, 15. Joh. 17, 19. Rom. 3, 22. et 5, 18. 19. 21. et 8, 3. 4. et 10, 3. 4. 1 Cor. 1, 30. Gal. 3, 14. 18. et 4, 4. 5. Phil. 2, 8. et 3, 8. 9. Hebr. 10, 7. 10. Ceterum haec sanctitas et justitia respicit quoque sacerdotale munus. Debuit enim et sacerdos legaliter esse sanctus et justus, et ipsa hostia integra et immaculata.

XXXVI. Quamvis autem Satisfactio haec Christi praestita sit pro nobis, nostra scilicet vice et utilitate, tamen, ut nostra sit, opus est insuper fide. Unde Scriptura traditionem et sanguinem Filii cum fide copulat, Joh. 3. Ita dilexit Deus mundum, ut dederit Filium, ut quicunque credit in illum, non pereat, sed habeat vitam aeternam. Rom. 3. Quem proposuit Deus, ut esset placamentum per fidem in sanguine ejus.

ANTITHESES.

Rejicimus itaque primo, impiam illam sententiam, quae impossibilem, adeoque nullam satisfactionem, seu eam Deo nec potuisse, nec debuisse fieri, statuit, quin Christi passiones et mortem tantum esse martyrium; item confirmationem et obsignationem liberalitatis Dei de remittendis peccatis; et exemplum, quo sanctissima et innocentissima vita et morte viam salutis aperuerit, atque ita credentibus, id est, obedientibus, remissionem peccatorum impetrarit.

2. Deinde illam injuriam quoque in Christi personam et meritum, quae acceptilationem, aut semiplenam, quae tamen id efficiat quod plena, pro satisfactione supponit.

3. Denique et eam, veritati tamen proximam, quae neces-

sitatem ejus facit hypotheticam tantum, seu pendentem duntaxat ex decreto Dei, non etiam absolutam, dependentem similiter ex divina natura justitiaque Dei naturali.

Origines, Hom. 3. in Levitic.

Si quis bene meminit eorum quae dicta sunt, poterit nobis dicere, quia sacrificium, quod Pontificem pro peccato diximus obtulisse, figuram Christi tenere posuimus, et conveniens non videtur vero Christo, qui peccatum nescit, ut pro peccato dicatur obtulisse sacrificium, licet per mysterium res agatur, et idem ipse Pontifex, idem ponatur et hostia. Vide ergo si et ad hoc possumus hoc modo occurrere: quia Christus peccatum quidem non fecit, peccatum tamen pro nobis factus est, dum qui erat in forma Dei, in forma servi esse dignatur, dum qui immortalis est, moritur, et impassibilis patitur, et invisibilis videtur; et quia nobis hominibus vel mors, vel reliqua omnis fragilitas in carne ex peccati conditione superducta est, ipse etiam qui in similitudine hominum factus est, et habitu compertus ut homo, sine dubio pro peccato quod ex nobis susceperat, quia peccata nostra portavit, vitulum immaculatum, hoc est, carnem incontaminatam obtulit hostiam Deo.

Idem, Hom. 24. in Numer.

Donec sunt peccata, necesse est requiri hostias pro peccatis. Nam pone, (verbi gratia) non fuisse peccatum: si non fuisset peccatum, non necesse fuerat Filium Dei agnum fieri, nec opus fuerat eum in carne positum jugulari; sed mansisset hoc quod in principio erat Deus verbum. Verum quoniam introiit peccatum in hunc mundum, peccati autem necessitas propitiationem requirit, et pro-

pitiatio non fit nisi per hostiam, necessarium fuit provideri hostiam pro peccato.

Ambrosius, de Josepho, Cap. 4.

Venditus est Joseph in Aegypto, quia Christus venturus ad eos quibus dictum erat: Peccatis vestris venditi estis. Et ideo suo sanguine redemit quos propria peccata vendiderant. Sed venditus Christus conditionis susceptione, non culpae; peccatique pretio non tenetur, quia peccatum ipse non fecit. Pretio igitur nostro debitum non suo aere contraxit: chirographum sustulit, feneratorem removit, exuit debitorem. Unus exsolvit, quod ab omnibus debebatur. Non licebat nobis exire servitio. Suscepit hoc ille pro nobis, ut servitutem mundi repelleret, libertatem Paradisi restitueret, gratiam novam consortii sui honore donaret,

Augustinus, de Trinitate, Lib. 13.
Cap. 10—15.

Sanandae nostrae miseriae convenientior modus alius non fuit, nec esse oportuit. Quid enim tam necessarium fuit ad erigendam spem nostram, mentesque mortalium conditione ipsius mortalitatis abjectas, ab immortalitatis desperatione liberandas, quam ut demonstraretur nobis quanti nos penderet Deus, quantumque diligeret, etc. Quae est igitur justitia, qua victus est Diabolus? quae nisi justitia Jesu Christi, et quomodo victus est? quam cum in eo nihil dignum morte inveniret, occidit tamen, in hac redemptione, tamquam pretium pro nobis datus est sanguis Christi, quo accepto, Diabolus non ditatus est, sed ligatus est, ut nos ab ejus nexibus solveremur, etc.

DISPUTATIO XXX.

DE

Hominum Vocatione ad Salutem.

Praeside D. JOHANNE POLYANDRO.

Respondente HENRICO GELDORPIO.

Thesis I.

Electionis ad salutem, de qua supra actum fuit, exsecutio, certis constat gradibus ac mediis, per quae Deus suos electos gratia sua salutari in hoc seculo, ac gloria sua sempiterna, in altero beare constituit.

II. Haec specialis hominum ad Redemptorem mundi Jesum Christum Vocatio, ab universali ipsorum ad Deum Creatorem suum vocatione, distinguenda est.

III. Universalis vocatio est, qua omnes ac singuli homines per communia naturae documenta ad Deum Creatorem suum cognoscendum ac colendum invitantur, Act. 17, 27. Rom. 1, 20. Quae propterea vocatio naturalis nuncupari potest.

IV. Communia illa naturae documenta, sunt partim interna, atque omnium hominum cordibus inscripta, partim externa, rebusque a Deo creatis insculpta; quorum illa Legis, Rom. 2, 14. haec sermonum gloriam Dei annunciantium titulo insigniuntur, Ps. 19, 5.

V. Vocatio specialis est, qua Deus aliquos ex universo genere humano ad supernaturalem Jesu Christi Redemptoris nostri cognitionem ac salutarem beneficiorum ipsius participationem per ministerium Evangelii ac vim Spiritus Sancti ex hujus mundi inquinamentis evocat; ideoque vocatio supernaturalis atque Evangelica appellari potest.

VI. Priore vocatione Dei cognitio potius theoretica, quam practica; posteriore, cognitio Dei tam practica quam theoretica, atque adeo fides justificans quorundam vocatorum animis ingeneratur.

VII. Hinc sapientes hujus seculi adminiculo prioris Vocationis ad Deum quasi palpando inveniendum invitati, veritatem mente conceptam cordis sui pervicacia in injustitia detinent, Rom. 1, 19. Filii vero lucis posteriori vocationi obtemperantes ad sortem

Sanctorum in luce participandam, sapientes redduntur ad salutem per fidem in Jesum Christum, Col. 1, 12. 13. 1 Tim. 3, 15.

VIII. Quocirca, sicuti fides justificans est unicum sortis sanctorum in luce participandae instrumentum; sic vocatio Evangelica est primus ad fidem aditus.

IX. Errant igitur qui non tantum Evangelicam, sed naturalem quoque vocationem salutis vestibulum faciunt, cum nonnulli quidem Evangelicae, nulli autem naturalis vocationis beneficio ad cognitionem Salvatoris nostri Jesu Christi (quae sola est ad vitam aeternam via) perveniant, Joh. 14, 6. et 17, 3.

X. Vocationis Evangelicae causa efficiens principalis est Deus Pater, in Filio, per Spiritum Sanctum, 1 Thess. 2, 12. Eph. 1, 17. et 4, 11. 12. Apoc. 3, 20.

XI. Filius enim, ut Mediator Dei et hominum, ac caput Ecclesiae, hos per Spiritum Sanctum et Verbum veritatis ad se vocat, Matt. 11, 28. Spiritus Sanctus verbi praecones donis instruit necessariis ad eos, ad quos a Patre in nomine Filii mittuntur, sua invitatione in Christo communionem attrahendos, 1 Cor. 12, 4. Heb. 2, 4.

XII. Causa προηγουμένη, qua Deus ex se intrinsecus movetur, est ipsius gratia atque εὐδοκία seu propensa voluntas ad suam salutem miseris peccatoribus in Christo offerendam.

XIII. Hujus socia fuit consultrix et provida Dei sapientia, qua Deus nonnullorum ex universa hominum peccatorum multitudine vocationem salutarem sic disposuit, ut suam erga illos misericordiam absque ullo, aut justitiae, aut libertatis suae praejudicio demonstrare posset.

XIV. Causa προκαταρκτικὴ, seu impellens externa, est expiatoria Jesu Christi pro vocandorum peccatis oblatio.

XV. Causa instrumentalis ordinaria est verbi divini per Evangelii praecones administratio, 2 Thess. 2, 14. De extraordinaria certi nihil ex Scriptura statui potest.

XVI. Materia circa quam, seu objectum vocationis, est genus humanum ob peccatum morti aeternae obnoxium, non universaliter, sed communiter ac distributive sumptum, Matt. 9, 13.

XVII. Proinde si communis hominum natura corrupta spectetur, omnes sunt pariter Dei vocatione ad salutem indigni, et ad respondendum inepti, ut qui pariter mortui sunt in peccatis, et filii irae, a vita Dei abalienati, ipsiusque inimici, Eph.

2, 1. 3. et 4, 18. Col. 1, 21. tametsi alii minus, alii magis, suam pravitatem extrinsecus patefaciant.

XVIII. Qui e contrario aliquam humanae naturae corruptae aptitudinem ad respondendum Deo vocanti attribuunt, ii, quae sunt distinguenda, confundunt, aptitudinis scilicet subjectum et aptitudinis modum. Illius respectu homo ratione praeditus, brutoque animali ἀντιδικκριτικῶς oppositus, recte ad Deo, a quo vocatur, auscultandum aptus dicitur; hujus vero respectu, eundem ad Dei vocantis auscultationem prorsus ineptum esse asserimus.

XIX. Modus etenim aptitudinis seu potentiae in peccatoribus ad Deo vocanti auscultandum, nec est a caeco mentis ipsorum oculo, nec ab obliquo voluntatis appetitu, nec a surdis carnis affectibus, sed hic iis a Deo inditur, quibus aures dat ad audiendum, oculos ad videndum, ac pedes ad investigandum ea, qnae nobis ad animae salutem in Christo exhibentur. Quo respiciens Bernardus ait, Deum tria in nobis operari, nimirum, cogitare bonum, velle bonum, et perficere bonum, Lib. de Grat. et Lib. Arbitr.

XX. Bonum illud, vel est salutis ac beatitatis aeternae nobis in coelis paratae, vel est justitiae Deo gratae, nosque ad beatitatem illam deducentis. Utrumque bonum homo animalis ignorat, teste Apostolo, 1 Cor. 2, 14. 2 Cor. 3, 5. ideoque nec de utroque bono recte dijudicare, nec utrumque apte eligere, nec serio persequi potest.

XXI. Quemadmodum utrumque illud bonum nobis per Evangelii praedicationem offertur, sic Spiritus Sanctus serias de utroque cogitationes ac pium utriusque desiderium in cordibus nostris accendit.

XXII. Illud boni desiderium ab eo differt desiderio, quod Philosophi voce beatitudinis in suis Ethicis definiunt. Hoc enim est ex instinctu naturali, illud ex assensu supernaturali, nempe fidei in Jesum Christum. Hoc omnibus commune est, qui in Adamo nascuntur, illud iis proprium est, qui in Christo renascuntur.

XXIII. Qui ex illo supernaturali fidei assensu per Spiritum Sanctum in cordibus nostris accenso, jam ante in iis naturale verae beatitudinis Evangelio patefactae desiderium latuisse conjiciunt, hi non minus inepte argumentantur, quam si aquae per

se frigidae nativam calefaciendi potentiam inesse statuerent, priusquam eam ab igne calefacta accipiat.

XXIV. Hunc fidei assensum nulli vocatorum ex innato beatitudinis, tamquam suae perfectionis, appetitu inesse, sed iis a Deo, quibus ipsi visum est, inspirari Evangelista Lucas, tum quorundam Gentilium, tum Lydiae exemplo demonstrat, Act. 13. et 16., ubi illi propterea quod ordinati erant ad vitam aeternam, haec, quia Dominus cor ipsius adaperuerat, Evangelio, quod plerisque Judaeis erat scandalo, credidisse dicitur.

XXV. Ad istum fidei assensum non omnes et singulos homines vocari per praedicationem Evangelii, luculentis Sacrae Scripturae testimoniis atque exemplis probari potest. Nam sicuti sub Veteri Testamento mysterium Christi Gentibus fuit absconditum, solique populo Judaico per Prophetas revelatum, sic illud sub Novo, non omnibus promiscue per Apostolos fuit annunciatum, sed quibusvis Judaeis et Gentibus, eo tantum loco et tempore, quo Deus illud manifestare constituerat.

XXVI. Id Paulus et Timotheus in itinere sunt experti, quod in Asiam ac Bithyniam paraverant, ut ibi Evangelium praedicarent; a quo proposito Deus ipsos per Spiritum suum impedivisse, atque in Macedoniam misisse dicitur, Actor. 16, 6. 7. 10.

XXVII. Hallucinantur ergo qui gratiam Dei vocantis ad omnes et singulos homines extendunt. Nam praeterquam quod illam Dei φιλανθρωπίαν, qua Deus omnes homines ut suas creaturas complectitur, cum ista confundunt, qua certos aliquos ex communi hominum peccatorum suo vitio pereuntium turba in gratiam suscipere atque in Filio dilectionis suae Jesu Christo prosequi decrevit; Deum nemini obstrictum omni spoliant libertate, ex perduellibus misericordia sua pariter indignis, quos vult, ab aliis segregandi, ut eos ex statu reatus, in statum gratiae transferat.

XXVIII. Quae tamen sententia de gratia universali nonnullis adeo blanditur, ut eam triplici argumento ex sacris literis probari posse persuasissimum habeant.

XXIX. Primum ipsorum argumentum iis nititur sacrorum Bibliorum testimoniis, quae Christum ex communi omnium hominum natura carnem suam assumpsisse asseverant; sed quam absurde ex hujusmodi communione naturali spiritualis eorundem

hominum cum Christo communio colligatur, ex ipsius Christi effato liquet, quo carnem suam ex se absque Spiritu ac veritate nemini ad salutem prodesse asserit, Joh. 6, 63. nec non ex limitatione Apostoli, qua omnes qui cum Christo sunt ex uno parente, ad eos restringit qui sunt hujus fratres in medio Ecclesiae, ac pueri huic a Deo Patre dati, Hebr. 2, 11. 12. 13.

XXX. Secundum argumentum sumitur ex Adami comparatione cum Christo, Rom. 5, 12. Quam comparationem ab ipsis perperam intelligi ex ipsa utriusque Adami descriptione ostendi potest. Prior enim Adamus, Christi typus, ut caput et principium omnium hominum in peccatis conceptorum, posterior, nempe Christus, ut caput hominum fide justificatorum ab Apostolo definitur, ut innuat, prioris peccatum ad omnes ipsius posteros per naturam communem promanare, posterioris vero beneficium solis credentibus ab illa communi sorte exemptis per gratiam specialem communicari.

XXXI. Tertium argumentum petitur ex promissionibus vocationis ad salutarem Dei cognitionem, signo tenus universalibus, quales sunt, Omnes docti erunt a Deo, Joh. 6, 45. Effundam ex Spiritu meo in omnem carnem, Act, 2, 17. et similes. Quo universalitatis signo, nimirum, Omnes, non singula generum, sed genera singulorum denotantur, ut patet ex thesi 15. et 26. nec non ex quotidiana experientia, atque ex iis Sacrae Scripturae locis, in quibus vox, Omnes, ad quosvis homines distributive refertur, qui absque ullo gentis, aetatis atque sexus discrimine ad salutarem illam Dei cognitionem per Evangelii ministerium evocantur, ut Rom. 14. Eph. 2, 17. I Tim. 2, 1. 3 4. Tit, 2, 2. 3. 6. 9. 11. etc.

XXXII. Modus vocationis opposite consideratus in externum et internum distinguitur. Ille foris per verbi et Sacramentorum administrationem, hic intus per operationem Spiritus Sancti peragitur.

XXXIII. Non semper Deus utrumque vocationis modum ad hominum conversionem sibi possibilem adhibet, sed quosdam interno tantum Spiritus Sancti lumine ac numine absque externo verbi sui ministerio ad se vocat. Qui vocationis modus per se quidem est ad salutem sufficiens, sed rarus admodum, extraordinarius, nobisque incognitus.

XXXIV. Nec semper Deus utrumque vocationis modum pari eademque ratione conjungit, sed utriusque concursus est in quibusdam efficax, in quibusdam inefficax.

XXXV. Consursus utriusque inefficax in triplici hominum genere conspicitur. Alii enim luce veritatis Evangelicae collustrati, ad eam amplectendam non afficiuntur. Hi semen Evangelii secundum viam tritam excipiunt, Matt. 13, 19.

XXXVI. Alii lucem veritatis animo conceptam curis ac voluptatibus hujus mundi suffocari permittunt. Hi semen Evangelii inter spinas excipiunt, Matt. 13, 22.

XXXVII. Aliis Spiritus Sanctus levem suae gratiae gustum praebet, quo corda ipsorum momentaneo laetitiae sensu afficiuntur. Hi semen Evangelii in terra petrosa excipiunt, Matt. 13, 20.

XXXVIII. Concursus utriusque ad salutem efficax ab iis percipitur, in quibus Spiritus Sanctus vivae fidei in Christo radicatae πληροφορίαν seu fiduciam ingenerat, qua promissionem gratiae interno ipsius testimonio obsignatam sibi firmiter ac perseveranter applicant. Hi semen Evangelii in terram bonam excipiunt, Matt. 13, 23.

XXXIX. Ob diversum illum vocationis internae concursum cum externa, hypocritae cum vere Israëlitis in Ecclesia visibili (quae est vocatorum coetus) permiscentur. Cujus permistionis respectu boni dicuntur et mali ad Filii et Agni Dei nuptias invitari, Matt. 22, 4. multique vocati, pauci electi, Matt. 20, 16.

XL. Quamvis dona nonnulla ex utriusque vocationis concursu profluentia, atque hyprocritis cum electis communia, nimirum, donum cognitionis ac gustus boni Dei verbi virtutumque futuri seculi, hypocritis ad salutem non sufficiant, in electis tamen sunt ad salutem προπαρασκευαστικὰ, ac secundum Dei erga ipsos εὐδοκίαν, praevia gratiae amplioris, qua alii jure merito destituuntur, propterea quod prioribus illis donis non recte utantur.

XLI. Priorum proinde donorum illorum abusu hypocritae coram Deo redduntur inexcusabiles, cum ex malae mentis ἀχαριστίᾳ, sese mundi inquinamentis, quae per Jesu Christi cognitionem effugerant, rursum implicant, 2 Pet. 2, 20.

XLII. Nullus vocationis modus motusque est coactus, aut violentus, sed suavis, et ad obliquam ejus, qui movetur, volun-

tatem in melius vertendam congruenter adhibitus, ut ex nolente fiat volens.

XLIII. Hunc vocationis modum ac motum Christus trahendi vocabulo designat, Joh. 6, 44. ne quis eum sibi, sed soli Deo acceptum ferat. Qui enim ad Christi communicationem aliunde trahitur, is ad eam desiderandam, non ex proprio suo fertur arbitrio, sed vi trahentis flectitur.

XLIV. Qua auctoritate Deus, quos vult, ad Agni sui nuptias invitat, eadem alios ex iis hora prima, alios tertia, alios sexta, vel nona, alios denique undecima in vineam suam vocat.

XLV. Forma vocationis efficacis, qua ab inefficaci distinguitur, in salutari consistit hujus beneficii applicatione, qua nonnulli peccatores ex natura communi ad gratiam singularem, ex societate infidelium ad communionem fidelium, atque ex regno tenebrarum ad regnum lucis aeternae transferuntur.

XLVI. Finis ultimus utrique Vocationi, tam inefficaci, quam efficaci communis, est misericordiae divinae erga eos, quos vocat, manifestatio. Finis vocationis efficacis subordinatus, eique proprius, est salutaris gratiae divinae communicatio; inefficacis autem vocationis finis accidentalis, est inobedientiae contumacis, ac prorsus inexcusabilis convictio in iis, qui Spiritui Sancto per os Evangelistarum loquenti petulanter resistunt atque obloquuntur. Ex quo discrimine Evangelium aliis esse dicitur odor vitae ad vitam, aliis odor mortis ad mortem, 2 Cor. 2, 15. 16.

XLVII. Effecta sunt fides, justificatio, sanctificatio et glorificatio, de quibus postea disputabitur.

XLVIII. Quod haec effecta non ab omnibus, sed quibusdam tantum vocatis percipiantur, id non fit ex virtutis Dei omnipotentis defectu, sed ex solo ipsius arbitratu. Sua enim virtute infinita Deus vitium infirmitatis humanae, non minus in illis, quam in his, si vellet, emendare posset, cum omnia, quae vult efficere, semper efficiat, Ps. 115, 3.

DISPUTATIO XXXI.

DE

Fide et Perseverantia Sanctorum.

Praeside D. ANDREA RIVETO.

Respondente PAULO TESTARDO.

Thesis I.

Etsi vocationis divinae ad salutem, remotus et ultimus finis sit electorum salus, et gloria Dei; finis tamen proximus est, ut vocanti Deo et Christo per Fidem respondeant. Nam postquam constituit nobis Christum Redemptorem misericors Pater, per eum hac lege succurrere nobis voluit, ut solida fide misericordiam ejus amplectamur. Nunc igitur postquam de Christo, ejus officiis, beneficiis, et vocatione ad eorum participationem, actum est, expendere convenit, qualis haec esse fides debeat, per quam regni coelestis possessionem adeunt, quicunque ad adoptionem filiorum vocati sunt.

II. Cum autem variae sint nominis fidei acceptiones, priusquam ad ejus naturam explicandam aggrediamur, removendae sunt quae ad institutum nostrum non pertinent. Et primum quia non de humana, sed divina fide agendum, omittimus vulgarem illam fidei acceptionem pro assensu, quo sibi mutuo fidem homines adhibent. 2. De fide non loquimur quam damus cum quid alicui asserimus, aut promittimus; quo sensu Deo ipsi fidem tribuimus, id est, veritatem et constantiam in dictis et factis. 3. Non agimus de fide quatenus accipitur pro objecto fidei, ut vocant, materiali, id est, pro rebus credendis, quae etiam fidei nomine aliquando in Scriptura intelliguntur. 4. Neque de fide quatenus per metonymiam accipitur pro signo et Sacramento fidei.

III. Quaestio tota est de Fide quam adhibemus, cum credimus Deo revelanti nobis veritatem alicujus rei, cui firmiter assentimur propter asseverationem ipsius, cujus communiter quatuor species traduntur; quae etsi uno nomine generali comprehendantur, univocae tamen non sunt. Discriminantur autem additis epithetis, Historicae, Temporariae, Miraculorum et Justificantis. At temporariam ab historica non sic

distinguimus ut diversam speciem proprie constituat, sed ejus duos quasi gradus vel actus facimus. Cum enim historica illa fides, quam Dogmaticam alii appellant, sit habitus quo quis credit vera esse omnia a Deo revelata; vel in eo subsistit, ut de veritate rei persuasus sit credens, sine ullo interiori affectu, vel in revelantem, vel in rem revelatam; et hic est primus gradus plane theoreticus; vel conjungitur haec theoria cum aliquo sensu et gustu, et cum gaudio, ejusque externis signis, qui secundus est gradus, ad Fidem quae πρόσκαιρος dicitur, pertinens. Hi duo gradus ita inter se conferuntur, ut secundus primum supponat, non contra primus secundum. Historicam autem fidem non appellamus, quod narrationes tantum pro objecto habeat; complectitur enim promissiones etiam, saltem ita ut credatur earum veritas in se et potentia promittentis; etsi qui historice tantum credit, eas sibi non applicet firmiter, neque de voluntate divina erga se certus sit.

IV. Fides miraculorum (quam alii latiori acceptione fidem promissionum particularium appellare malunt, quia etiam ea fide credimus particulares promissiones de bono aliquo temporali aut spirituali omnibus electis non communi, et quibusdam non electis communicato,) est qua firmiter statuimus eventurum ex Dei potentia, quod vel praedixerit Deus, vel fieri voluerit, sive a nobis, sive in bonum nostrum ab aliis, quae non ad universum Dei verbum, ut praecedens, se extendit, sed ad singularem quandam revelationem. Diximus, quod fieri voluerit sive a nobis, sive in bonum nostrum ab aliis, quod exprimere voluerunt qui eandem in activam et passivam distinxerunt. Activam appellarunt, peculiare Dei donum quo quis credit se divina potentia aliquid miraculose operaturum vel alias effecturum. Passivam, qua quis statuit se participem fore beneficiorum singularium, quae per miracula, aut alio modo ex speciali promissione Dei contingunt. Exemplum prioris habetur, 1 Cor. 13, 2. posterioris Act. 14, 9.

V. Recte autem Augustinus (de Fide et oper. c. 14.): Paulus non quamlibet fidem qua in Deum creditur, sed eam SALUBREM planeque EVANGELICAM definivit, cujus opera ex dilectione procedunt. Eadem est quam nos Justificantem et Salvificam appellamus; non enim (ut id obiter dicamus) probamus eorum sententiam qui aliam

volunt esse fidem Justificantem a Salvifica, quasi essent qui fide justificante donati, salvifica tandem destituerentur, cum Scriptura pro eodem accipiat, gratiā salvari per fidem, non ex operibus, Eph. 2, 8. Et justificari fide, vel justificari gratia, Gal. 2, 16. Tit. 3, 7.

VI. Estque fides illa salvifica, ex certa revelationis divinae notitia, firmus a Spiritu Sancto per verbum Evangelii animis nostris ingeneratus assensus, omnibus quae nobis Deus in verbo suo patefecit, sed praesertim promissionibus salutaribus in Christo factis, quo certa fiducia in Deo acquiescens, firmiter unusquisque fidelis statuit, non solum promissam esse credentibus in genere remissionem peccatorum, sed sibi in particulari concessam, aeternamque justitiam, et ex ea vitam, ex Dei misericordia propter unius Jesu Christi meritum donatam esse.

VII. Ex dictis liquet, differentiam esse inter illas fidei species aut acceptiones, nec unam et eandem esse, historicam, miraculorum, et promissionum fidem, ut vult Bellarm. cap. 4. lib. 1. de Justif. Primus enim historicae vel dogmaticae gradus, etsi notitia et assensu conveniat cum justificante, tamen quia caret gustu et effectu, et Diabolis etiam communis est, qui credunt et contremiscunt, Jac. 2, 19. non potest ad fidem salvificam pertingere. Secundus vero, etsi cum notitia et assensu mentis conjunctum habeat effectum aliquem, quia levis et momentaneus est, qualis est eorum qui amant tamquam aliquando osuri, ex causis caducis natus, ut jucunditate cognitionis hominum favore, terrenorum commodorum spe, etc. In iis, qui utut Christum amare videantur, aliud habent quod intus ament, fidei justificantis proprietate vera caret, quae sine sincero et firmo amore nulla est. Fidem autem miraculorum seu promissionum singularium, cum justificante eandem non esse, satis id evincit. 1. Quod concessa fuit iis quos Christus non novit, id est, approbavit, Matt. 7, 22. imo Judae perditionis filio, Matt. 10, 1. 2. Quod multi fidem justificantem habuerunt, quibus non est concessa gratia miraculorum, aut specialium promissionum. Cum ergo possint separari, et reipsa separentur, unum et idem esse non possunt.

VIII. Id tamen non imus inficias, si tres illae species in uno et eodem subjecto concurrant, ut in Apostolis et aliis quibus-

dam Christi servis accidit, tum non plures fidei habitus constituere, sed unum et eundem saltem aggregatione, ut sit eadem ferme analogia inter has fidei species seu modos quae inter animas vegetativam, sensitivam et rationalem, quae etsi diversas constituant viventium species, interdum ad unius animae constitutionem concurrunt. Et quemadmodum anima vegetativa et sensitiva in homine peculiarem habent rationem: sic et fides historica et miraculorum in justificato, quia ad fidem justificantem referuntur, et ab ea perficiuntur. In eo tamen discrimen est, quod anima rationalis necessario vegetativam et sensitivam supponit: Fides vero justificans etsi historicam semper habeat conjunctam, potest tamen a miraculorum fide separari.

IX. Hujus fidei causa efficiens princeps, est Deus Pater in Filio per Spiritum Sanctum, qui mentem illuminat, et voluntatem, alioquin a Deo aversam, movet et flectit; idque non tantum metaphorico causandi modo, et actione quam moralem vocant Scholastici, per modum finis, ut loquuntur, proposita objecti bonitate et convenientia; per intellectum illuminatum, et practicum suum judicium ultimum proponentem, quod voluntas necessario sequatur: sed etiam per actionem suam immediate voluntatem afficientem, et in motum ejusdem et actum influentem, dum (ut Aug. verbis utar, lib. de grat. Christi, cap. 14.) interna atque occulta, mirabili atque ineffabili potestate, operatur in cordibus hominum, non solum veras revelationes, sed etiam bonas voluntates. Quae certe verba realem et propriam efficientiam indicant. Hinc peculiari ratione fides dicitur donum Dei, et ejus auctor Spiritus, Spiritus fidei, 1 Cor. 12, 9. et 2 Cor. 4, 13. Act. 16, 14. Phil. 1, 29. Col. 2, 12. Heb. 12, 2.

X. Haec operandi ratio eorum arguit ingratam impietatem, qui cum Socino sentiunt, causam fidei justificantis efficientem esse hominem ipsum, qui virtute sua naturali et libero arbitrio, verbum Dei ipsi propositum, vel acceptat, vel respuit, nec aliter censent fidem esse Dei donum, quam generale eo modo quo quaelibet res bona Dei donum dici potest. Quam Pelagii redivivi sententiam interpolarunt et incrustarunt, eodem tamen incommodo manente, qui in donatione fidei, gratiae quidem aliquid tribuunt et divinae illuminationi, etiam per spiritum

interius operantem: in eo tamen consentiunt, quod omnibus praerequisitis ex parte Dei positis, ad ingenerandam et eliciendam fidem, in potestate hominis manet ut operatio Dei sit efficax aut contra, quia homo a Deo motus, potest non moveri, ex eorum hypothesi, et positis omnibus praerequisitis agere et non agere; ac proinde secundum eos, Deus non est propria et immediata fidei causa, cujus alioquin operationibus omnibus positis, effectum semper sequeretur, vel potius simul exsisteret. Redarguitur eorum qui sic sentiunt, error, Phil. 1, 29. et 2, 13. Eph. 1, 18. et 19. Col. 2, 13. 2 Thess. 1, 11. 2 Pet. 1, 3.

XI. Causa minus principalis seu instrumentalis fidei ordinaria, est verbum fidei quod praedicatur, cum prope est in ore nostro et in corde nostro, Rom. 10, 8. Nascitur enim fides ex auditu verbi Dei, ibid. vers. 17. praesertim Evangelici, quia verbum Legis est tantum ad fidem justificantem praeparatorium. Evangelium autem est potentia Dei ad salutem omni credenti, Rom. 1, 16. Huic verbo adduntur signa quaedam, vel extraordinaria, vel ordinaria. Extraordinaria, ut miracula; ordinaria, ut Sacramenta, quae ad fidem ingenerandam faciunt, eandemque genitam alendam, fovendam et augendam; quibus tamen semper verbum praeire necesse est, idque ejusmodi de cujus divina veritate non dubitetur. Quod nullum hoc tempore extra Scripturas divinitus inspiratas agnoscimus; ac proinde eorum rejicimus sacrilegium, qui non minorem fidem adhibere se profitentur traditionibus non scriptis, decretis Pontificum, Conciliorum sanctionibus, et rationum momentis, quam scripto Dei verbo, et in utrisque parem pietatis affectum requirunt.

XII. Etsi autem verbo Dei audito, libenter cum Scriptura tribuamus, quod virtus Dei sit iis qui salvi fiunt, quod idem sit semen cordibus immissum, quod sit anceps gladius, penetrans animam, 1 Cor. 1, 18. Luc. 8, 11. Heb. 4, 12., non tamen iis assentimur, qui externae Evangelii praedicationi, quatenus aures ferit, hanc vim attribuunt, ut proprie et velut ex opere operato fidem ingeneret, eidemque spiritus operatio includatur. Etsi enim necessitate praecepti sit adultis necessaria et praerequisita; ejus tamen externa actio sine Spiritus intus Evangelii sensum revelantis, et cordis auribus proponentis et obsignantis efficacia, ad fidem non sufficeret. Neque enim

qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus, 1 Cor. 3, 7. Hic igitur est observandum ne in extrema praecipites eamus, et conjungenda divellamus, vel distinguenda confundamus, instrumento quod est primariae causae proprie tribuendo, et sensu eodem; vel etiam Spiritum extra verbum quaerendo; aut verbi intelligentiam, et ex verbo intellecto assensum et veram fiduciam, sine Spiritus interna revelatione, ex verbo ipso, aut Ministerio ejusdem, et intellectus nostri luce, exspectando.

XIII. Materia fidei consideratur, vel in subjectis suis, vel in objectis. Subjectum commune fidei est hominis anima, quae sola est subjectum δεκτικόν talis virtutis. Et fidei quidem, quatenus est ex auditu verbi, et actu credit, adultorum electorum tantum; quatenus autem pro habitus principio sumitur, aut semine fidei, infantium etiam foederatorum qui ad electionem divinam pertinent; quorum ut est regnum coelorum, sic etiam ad eos pertinet spiritus fidei, Matt. 19, 14. Etsi ergo actu non credant, dicuntur tamen credere inclinatione per gratiam, sicut ad peccatum habent inclinationem per naturam.

XIV. Proprium autem et speciale subjectum fidei justificantis in homine, est non solum intellectus, sed etiam voluntas. Notitia enim et assensus ad intellectum pertinent; fiducia autem ad voluntatem. Nec ad justificationem sufficit ut intellectus comprehendat, quae Dei sunt, nisi voluntas eadem apprehendat et amplectatur, non solum in thesi, sed etiam in hypothesi. Scriptura tamen aliquando ita de fide loquitur, ut magis ad notitiam et assensum respiciat, interdum magis ad fiduciam. Sed quemadmodum verba notitiae apud Hebraeos, saepe denotant affectum cordis; sic non mirandum est, si cognitio et assensus fidei synecdochice fiduciam etiam conjunctam connotent. Quae cum sola ponitur, assensum etiam et notitiam supponit, quia ignoti nulla cupido.

XV. Non obstat, quod nonnulli impossibile censent, idque tamquam invictum argumentum objiciunt, unam et eandem numero qualitatem diversis inesse subjectis, vel unam et eandem virtutem in duabus esse potentiis genere distinctis. Nam praeter id quod inter Scholasticos non convenit, tales esse potentias intellectum et voluntatem, id negante Durando cum suis sectatoribus, in 1 Sent. dist. 8. q. 4. qui easdem reipsa

distinctas esse contendunt, fatentur: actum credendi et a voluntate et ab intellectu procedere, quorum utrumque natum est per habitum perfici, et ideo oportere tam in voluntate quam in intellectu esse aliquem habitum, si debet actus fidei esse perfectus. Thom. 1. 2. q. 66. art. 4.

XVI. Nos autem dicimus, fidem quidem, quatenus est justificans, non esse habitum unum numero simplicem absolute, sed esse unum habitum aggregatione, et quodammodo compositum ex duobus, qui coordinatione tantum unum sunt, nempe quatenus fides simul involvit habitum exsistentem in voluntate, quo voluntas prompta fit ad credendum et confidendum Deo, quomodo duo habitus possunt esse una virtus, et duae res unus actus, et multae scientiae dicunt habitum, tantum coordinatione unum, qui tamen ratione diversarum potentiarum non est unus simplex habitus, aut una qualitas, sed plures. Id agnoscit ipse Suarez disp. 44. de habitibus, sect. 55. et 57. nempe praeter unitatem indivisibilem, quam habent aliqui habitus, per simplices qualitates, dari in aliquibus unitatem compositam per collectionem et subordinationem plurium qualitatum, alioqui non posse salvari modum loquendi de unitate Scientiarum, ut verbi gratia, Geometriam non tantum genere, sed etiam specie unam esse scientiam. Quod etiam in genere qualitatis verum esse, in dispositionibus corporis ostendit, quia sanitas et pulchritudo, quae in communi modo loquendi una qualitas censentur, sunt tamen ex proportione plurium resultantes. Sic unam liberalitatem conflari ex habitu voluntatis et appetitus sensitivi, vel unam virtutem fidei, ex habitu intellectus, et piae affectionis voluntatis, non tamen simpliciter dici sub nomine habitus, idque esse in utraque potentia, sed nomen specificum (exempli gratia nomen fidei) saepe magis admittere et significare illam compositionem, quam genericum.

XVII. Non igitur, quod ex adversariis volunt nonnulli, triformem Chimaeram introducunt, qui in fide salvifica talem compositionem admittunt, et unius fidei per aggregationem, tres veluti partes constituunt, notitiam nempe et assensum in intellectu, et fiduciam in voluntate; cum nihil sit in Scriptura magis obvium, quam notitiam esse partem fidei, quae vocatur scientia salutis, Luc. 1, 77. Scientia, qua Messias multos

justificat, Esa. 53, 11. et vita aeterna in cognitione Dei et Christi quem misit, collocetur, Joh. 17, 3. quae alibi dicitur agnitio voluntatis Dei in omni sapientia et intelligentia spirituali, Col. 1, 9. Falsum est igitur quod Bellarminus asseruit, Lib. 1. de Justif. c. 7. Fidem ita distingui contra scientiam, ut melius per ignorantiam, quam per notitiam definiatur. Non certe quod dicamus fidem esse scientiam, quae omnes causas et proprietates sui objecti rationis lumine attingat et evidentiam rei sequatur; sed hoc volumus, ad eam necessariam esse intelligentiam, qua cognoscimus id quod credendum nobis proponitur, cognitione ὅτι; idemque etsi captum nostrum superet, solido verbi divini fundamento inniti, ejusque per se majorem esse certitudinem, quam reliquarum virtutum intellectualium quae rationi humanae innituntur.

XVIII. Assensum ad fidem necessarium esse, quia in controversia positum non est, argumentis probare supersedebo. Sed quia negant adversarii, cum assensu eandem etiam complecti fiduciam, id multis modis ex Scriptura probatur. Non solum ab Etymologia, quia πίστις et πεποίθησις unam et eandem habent originem, et conjugata πιστεύειν et πιστὸς, confidere et fidelem, i. eum cui aliquis fidit, significant, Matt. 24, 25. Luc. 16, 11., quod praeterea fides in Scriptura iis nominibus indigitatur, quae necessario fiduciam connotant; dicitur enim πληροφορία, Rom. 4, 21. κατάληψις, Phil. 3, 12. λῆψις Χριστοῦ, Joh. 1, 12. θάρσος, Joh. 16. 33. Matt. 9, 22. παρρησία, Eph. 3, 2. Hebr. 2, 6. καύχησις, Rom. 5, 2. etc. ὑπόστασις βεβαία, Hebr. 3, 14. Sed praeterea, quia tam in V. quam in N. T. saepe indifferenter ponuntur verba confidendi et credendi, fidei et fiduciae. Quod enim Ps. 13. effertur per τὸ confidere, Beati omnes qui confidunt in eo, Marc. 16, 6. redditur per τὸ credere, Qui crediderit, salvus erit. Quod Prov. 3, 5. dicitur, Confide Domino in corde tuo, id Paulus Rom. 10, 10. exponit, corde creditur ad justitiam. Ps. 78, 22. Non crediderunt in eum, nec confisi sunt in salute, ubi fides ἐξηγητικῶς per fiduciam exponitur. Item ex oppositione res elucescit, fiduciae enim opponitur metus vel dubitatio, at metus etiam opponitur actui credendi, Marc. 5, 36. Ne metuas, tantum crede. Luc. 8, 50. Ne timeas, solummodo crede.

Cum igitur fides et fiducia unum habeant oppositum, inter se unum et idem esse necesse est. Rectissime igitur (verba sunt Jansenii Harmon. Evang. 32.) nomen fidei in Evangeliis cum ei tribuitur salus aut consecutio omnium quae volumus complecti, dicit utrumque, nempe assensum illum firmum in credendis de Deo et Christo, et fiduciam ex illius omnipotente bonitate conceptam.

XIX. Objectum fidei duplex est, materiale et formale. Materiale vocant, id de quo agitur, id est, id quod creditur. Formale autem id quod efficit ut materiale actu et reipsa objiciatur potentiae, quomodo lumen est objectum in visu, medium in scientiis. Fidei igitur materiale objectum, sunt res omnes quae credendae a Deo hominibus proponuntur, Deus ipse et omnia ad Deum pertinentia. Sed Deus, quatenus nobis occurrit in Christo, qui est invisibilis Dei imago, Col. 1, 15. alioqui non posset in salutem Deus nobis innotescere. Et fides omnis paulatim evanesceret, nisi Christus intercederet medius, qui eam in solida veritate retinet, quia alioquin altior est Dei majestas quam ut ad eam penetrent mortales. Quamvis ergo fides in sua latitudine sumpta, ut complectitur supernaturalem notitiam, assensum et fiduciam, quaecunque in Dei verbo tamquam ad salutem conducentia nobis sunt revelata, complectatur; est tamen quoddam fidei objectum speciale, quatenus est justificans. In generali illo objecto fidei, non aequaliter ponimus omnia quae in Scripturis habentur; sed distinguimus inter ea quae directe et per se ad fidem pertinent, et ea quae eandem certo ordine et reductione spectant, et per accidens et secundario se habent ad objectum fidei, ut sunt historicae quaedam descriptiones de rebus particularibus, quae in se articulos fidei non constituunt, in quibus locum habet fides quam implicitam vocant, non autem in articulis ad salutem per se et univoce necessariis. Sic Paulum habuisse penulam, et similia ad fidem tantum pertinent, quae est in praeparatione animi, parati credere tamquam verum, quicquid Scriptura Sacra continet.

XX. Fidei quatenus est justificans speciale objectum, et quod eam proprie a reliquis fidei acceptionibus discriminat, est promissio Evangelica de Christo Mediatore, eatenus enim proprie justificat, et salvat, quatenus Christi meritum in verbo

Evangelii sibi revelatum, apprehendit et amplectitur; non enim sufficit, si quis rei gestae historiam, nempe quod Christus passus est, norit; nec etiam si quis assentiatur et credat, Christum esse passum pro peccatis omnium hominum; sed insuper requiritur, ut accedat πληροφορία et fiducia certa, qua firmissime peccator credat, non solum aliis credentibus, sed sibi quoque privatim remissionem peccatorum propter Christi meritum donatam esse, et propter ejusdem satisfactionem in gratiam esse receptum, idque sibi fiducialiter applicet. Hinc est quod Joh. 1, 12. per τὸ λαβεῖν describitur, quod nudae notitiae et assensui non competit. Christo autem omnes Prophetae testimonium dant, remissionem peccatorum accepturos per nomen ejus omnes qui credunt in eum, Act. 10, 43. Igitur qui credunt, nisi Dei testimonium rejicere velint, de peccatorum suorum remissione et sua per Christum reconciliatione certi esse debent.

XXI. Nec vacillat hujus specialis fidei certitudo, etsi mihi aut illi in particulari, in verbo Dei, nusquam reperiatur annunciata salus; quemadmodum non dubia est certitudo convictionis qua lex moralis unumquemque hominem maledictionis reum facit. Nam etsi neminem in specie nominet, quisque tamen ex proprio peccati sensu, infert necessariam conclusionem. Similis est ratio in iis qui fide donati, ex eo quod, Omnem qui credit in Filium, habiturum vitam aeternam, asserit Scriptura, Joh. 3, 16. et remissionem peccatorum accepturos omnes qui in eum credunt, sub hac universali subsumunt, se accepisse remissionem peccatorum, quia credunt. Nec verum est quod Pontificii oggerunt, assumptionem illam in fidelibus, Ego credo, non esse verbum aut testimonium Dei, cum eorum quisque habeat Spiritum Sanctum, qui testimonium reddit spiritui ipsorum quod sint filii Dei, Rom. 8, 16. qui est pignus in cordibus eorum, 2 Cor 1, 12. et arrha haereditatis nostrae, Eph. 1, 14. Nam electi certo possunt cognoscere se esse in fide, Vosmetipsos probate, num sitis in fide, ipsi vos probate, an non cognoscitis vosmetipsos, quia Christus Jesus in vobis est? nisi forte reprobi estis, 2 Cor. 13, 5. Quibus succinit August. Lib. 3. de Trinit. cap. 1. scribens, quemque credentium in corde suo videre fidem,

eamque tenere certissima scientia, et clamare conscientia. Ideo fideles indubii profitentur, Nos credidimus et cognovimus, Joh. 6, 69. Credo Domine, Marc. 9, 24. Scio cui credidi, 2 Tim. 1, 12.

XXII. Huc facit, quod Christus quotiescumque legitur peccata remisisse, toties dixisse perhibetur, Confide, remissa sunt tibi peccata, qui certe temeritatis et superbiae occasionem ministrare noluit. Quod etiam Scriptura nos obligat ad gratias Deo agendas de justificatione nostra, quam nisi nos fide accepisse certi simus, fieri non potest ut acceptam agnoscamus, cum ineptum sit beneficium agnoscere, quod datum sit necne, nescias. Impudentiae praeterea immanis est, eos arcessere temeritatis, qui Spiritui Sancto credunt eos compellanti. Denique, quomodo potest gratia voluntarie accipi, quod adversarii contendunt, non tamen sciri ab eo qui eam accipit, num eam habeat? Nam ad rem motu animi voluntario accipiendam, necessarium est, ut qui eam sponte accipit, sciat et rem sibi datam, et se vere eam accipere, et acceptam possidere.

XXIII. Ad hoc autem non sufficit simplex, ut loquuntur probabilitas, neque humana tantum et experimentalis certitudo, ut nonnullis placuit; qualis est ejus qui cum calorem habet, certus est se habere quod sensu percipit. Alius enim est animae sensus quam corporis, nec debet sensus ille internus a Divina revelatione sejungi; et cum fides ea testimonio Spiritus Sancti exhibeatur, et quisque teneatur credere revelationibus divinis, fidem illam non aliter quam divinam nuncupandam censemus; et licet pro objecto directe non habeat dogmata communia, quae quidem supponit, sed singularem persuasionem de propria gratia, non minus tamen omnem dubitationem excludere debet; quam cum amplectitur fidei articulos, qui etsi universalitate excedant speciale illud fidei objectum, illis tamen certitudine et dubitationis exclusione non cedit.

XXIV. Formale fidei objectum, id est, illud in quo ultimo fides resolvitur, est prima veritas revelata, quatenus consideratur, ut immediate movens, adeoque inducens ut credatur objectum illud quod materiale diximus. Nam ut ei qui credit alicui homini non propter auctoritatem vel rationes, sed quia ille hoc dicit, ejus veracitas est loco rationis formalis sub qua dictis ejus assentitur: sic in rebus fidei credimus verbo Dei

nobis aliquid revelanti, non propter alterius auctoritatem, aut propter argumenta, aut ejus rei quae revelatur, apparentiam, sed quia Deus hoc dicit. Ac proinde ejus, in dictis suis omnibus, veracitas et infallibilis auctoritas ratio est formalis fidei nostrae. Sic Paulus 1. ad Thess. 2, 13. Accepistis verbum auditus, non ut verbum hominum, sed ut vere est verbum Dei. 1 Joh. 5, 10. Qui credit in Filium, habet testimonium Dei in se. Matt. 16, 17. Caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in coelis est. Principium ergo in quod resolvitur vera fides, hoc est, Prima veritas falli non potest.

XXV. Gravissime ergo falluntur, et Ecclesiam in Dei locum substituunt, qui in autoritatem Ecclesiae fidem nostram resolvi debere contendunt. Nam aut Ecclesiae primam veritatem tribuunt, et sic eam Deum faciunt; aut loco verae fidei humanam tantum credulitatem inducunt. Nos vero, etsi Ecclesiae testimonium inter extrinseca motiva, quae hominem quodammodo ad credendum disponunt, ex praecipuis esse concedamus: nunquam tamen adducemur, ut credamus eam esse infallibilis in proponendo et judicando auctoritatis. Sed quia quaeri potest, quomodo constet nobis de primae veritatis sententia ut in eam resolvatur fides, respondemus, auctoritatem illam Dei loquentis duplici modo nobis innotescere, externo et interno, sine quo externus non sufficeret. Loquitur nobis Deus in verbo suo scripto, et praedicato per Ecclesiae ministerium, secundum quod scriptum est; sed praeter propositionem illam externam, lumen supernaturale suppeditat, dum immediate cuique fidelium interius loquitur, cum autem in corde penetrat interior ista ejus locutio, vera fides ingeneratur, quae sine supernaturali illo lumine, fidei et credulitatis humanae tantum rationem haberet.

XXVI. Ex his quae dicta sunt, de forma fidei, praesertim verae et justificantis, non est difficile judicium. Spectatur enim et consistit in ea relatione et convenientia, qua unusquisque credens, non solum generale illud veritatis revelatae verbum, sed in eo, ac praesertim in verbo Evangelii, gratiae Dei singulares promissiones sibi applicat, sua in hypothesi firma persuasione faciendo, quae in thesi et generaliter promittuntur, ut sit ἀδιάκριτος πληροφορία de reconciliatione nostri per Christum, Joh. 17, 15. Matt. 9, 2. Gal. 2, 20. Joh. 1, 12.

XXVII. Errant ergo qui Caritatem formam esse fidei asserunt, non quidem, ut ipsi fatentur, intrinsecam, sed extrinsecam; quippe quae det illi non ut sit, sed ut moveatur, quomodo a Spiritu movetur et agitur corpus. Quae Bellarmini verba, si de spiritu hominis accipiantur, continent contradictionem in adjecto, quia spiritus est intrinseca corporis forma. Si vero de respiratione intelligantur, tum caritas esset effectus fidei quod nos volumus. Deinde in eo absurdus est, quod cum agnoscat fidem habere suam intrinsecam formam quae non sit caritas, eandem informem esse velit caritate destitutam, cum a forma intrinseca, non ab extrinseca, secundum illum, denominatio rei sumi debeat. Si vero omnium virtutum ut volunt, caritas sit forma effective, quatenus eas movet ad actiones suas; certe fides erit potius caritatis et omnium aliarum virtutum forma, quia quidquid non fit ex fide, peccatum est, Rom. 14, 23. Denique fides caritatem praecedit natura, et ex ea caritas procedit. Finis mandati est caritas, ex mundo corde, conscientia bona et fide non ficta, 1 Tim. 1, 5. Sufficit igitur ut caritatem fidei justificantis ἐνέργειαν atque effectum esse dicamus, perpetuo et indissolubili foedere cum ea conjunctum, non autem ejusdem formam sive intrinsecam sive extrinsecam.

XXVIII. Finis fidei salvificae duplex est. 1. est ἀρχιτεκτονικός, gloria gratiae Dei Servatoris nostri in Filio dilecto, Rom. 4, 20. Rom. 11, 35. 1 Thess. 1, 10. et 12. Proximus vero et subordinatus, salus animarum nostrarum, quam Petrus mercedem fidei appellat, 1 Pet. 1, 9. Est autem haec fides una specie et objecto in omnibus, etsi numero et gradu in suis subjectis varietur.

XXIX. Effecta fidei pene sunt innumera, sive interna in nobis, sive extra nos. Praecipua sunt, Justificatio, quae quidem fidei effectum est, non ut illa est habitus vel actus aut opus aliquod, sed ratione objecti, id est, Christi per eam apprehensi, qua ratione causae instrumentali metonymice tribuuntur, quae per illam princeps causa efficit; quo sensu etiam fidei tribuitur. 2. Sanctificatio, et cordium purificatio, et in summa omnia bona quibus a Deo afficimur. Quod in justificationis negotio diligenter animadvertendum est adversus eos, qui Socinum secuti, volunt fidem esse formam justificationis

nobis inhaerentem, et nostram coram Deo justitiam, quae gratiosa quidem aestimatione, etiamsi rigore juris non sit perfecta loco illius ac vice acceptetur, quomodo imputationis vocem detorquent.

DE PERSEVERANTIA SANCTORUM.

XXX. Salvificae fidei de qua hactenus dictum est, necessarium adjunctum est perseverantia ad finem usque, cujus etiam certitudo in verae fidei objecto continetur, et in subjecto inesse debet vera fide praedito; alioqui non esset fides salvifica, aut justificans, nec enim alius nisi qui crediderit, Marc. 16, 16. nec alius nisi qui perseveraverit usque in finem, Matt. 24, 4. salvus erit.

XXXI. Perseverantiam in hac quaestione Ethice non accipimus pro illa fortitudinis parte, ut est quaedam virtus animum perficiens, ut non obstante molestia quam afferre solet ipsa diuturnitas temporis necessarii in perficiendo aliquo opere bono, persistat in officio usque ad operis consummationem; quam post Ciceronem August. Lib. 83. quaest. 31. definit in ratione bene constituta stabilem et perpetuam mansionem. Sed ut est continuatio et conservatio fidei, spei et caritatis, quarum actus per totam vitam debent durare, et ideo non requiritur in iis perseverantia usque ad finem alicujus operis tantum, sed usque ad finem vitae.

XXXII. Dicitur autem, 1. de actu nunquam prorsus interrupto, sed continuato, et eundem semper tenorem habente; 2. de actu quidem secundum quid interrupto, ad finem tamen aliquando perducto, qui certe modi locum habent in Sanctorum perseverantia; sed ratione diversa. Quia ad primum modum referuntur habitus fidei, spei et caritatis semel donati, quia perpetuo manent sine intercisione, nunquam enim auferuntur. Ad secundum vero actiones, professio, et sensus earundem; in quibus aliquam interruptionem cadere fatemur, quae tamen non impedit quominus perseverantia sit et dicatur, qui enim interdum cadit, ad finem usque perseverare dicitur, manente semper habitu, et saepe actu quodam secundo, etsi languido, quibus tamquam vinculis cum Deo semper conjunctus est, dum

perseverantia quantitatis et graduum utcunque intercisa, habitus et qualitatis perseverantia non cessat.

XXXIII. Definimus ergo perseverantiam, continuum et perpetuum progressum et perdurationem vere fidelium, in accepta semel gratia et fide justificante usque ad vitae finem, gratuito Dei beneficio secundum aeternum propositum electionis, communicatum sine ullo fidelium merito, per efficaciam et virtutem Spiritus Sancti per Evangelii ministerium operantis, et obsignantis promissiones gratiae, ut in iis finaliter maneant, et ab iis nunquam penitus excidant, ad gloriam Dei donantis, et fidelium perseverantium salutem, Rom. 11, 29. Matt. 24, 24. 2 Cor. 1, 8. Phil. 1, 6. et 2, 13. 1 Pet. 5, 10. 1 Joh. 3, 9.

XXXIV. Causa efficiens primaria et secundaria eadem est quae fidei, quam qui semel dedit, semper conservat, et iisdem utitur ordinariis mediis, et instrumentalibus causis, hoc est, verbi divini praedicatione et Sacramentorum administratione. Cumque sit donum mere gratuitum, extra Deum et Christum, nulla quaerenda est causa seu προηγουμένη, intus movens, seu προκαταρκτικὴ, extra provocans. Nam id Deus largitur ex mera gratia et amore erga eos quos fide ab aeterno donare decrevit, ad id etiam ordinato Christi merito, quo nobis hanc in fide perseverantiam acquisivit. Hinc est quod Paulus Rom. 5, 9. et 10. ex justificatione et reconciliatione nostra per Christi mortem acquisita, salutis nostrae futurum complementum, quod sine perseverantia esse non potest, colligit. Et Christus ipse Joh. 10, 15. postquam dixit se animam suam posuisse pro ovibus suis, addidit v. 28. non perituras eas in aeternum, nec aliquem posse eas rapere de manu sua.

XXXV. Excluditur ergo a perseverantia Sanctorum, meritum omne condigni; quod etiam aliquatenus Pontificii fatentur, etsi quod una manu dant, altera auferant, dum asserunt, auxilia sufficientia actualia, quae necessaria esse justo affirmant, ut superatis tentationibus gravioribus in vita occurrentibus perseverare usque in finem possit, cadere sub tale meritum, exclusa tantum a merito primo gratia. De merito congrui, quod vocant, haesitanter affirmant, probabile esse, mereri justum suis orationibus et pietatis studiis finalem perseverantiam, licet non semper consequatur ejusmodi prae-

mium, cum certa promissione et lege non nitatur, Greg. de Valent. Tom. 2. in Thom. disp. 8. q. 6. §. 4. non intelligentes neque quae loquuntur, neque de quibus affirmant, 1 Tim. 1, 7. Sed errorem errant perniciosissimum qui asserere non verentur, perseverantiam vere fidelium non esse electionis effectum, sed potius ex perseverantiae praevisione factam esse electionem, et nihil Deum in fideli operari, ut perseveret ad finem usque, censent, cujus efficax usus, perinde ut abusus aut neglectus, non pendeat a libero hominis arbitrio. Qua sententia Pelagianismum renovant, et homini gloriandi materiam subministrant, orationis etiam pro dono perseverantiae necessitatem elevant; cum, secundum eos, sit donum generale omnibus paratum, sed sub conditione quae non a Deo, sed ab arbitrio nostro pendet.

XXXVI. Materiam in qua, sive subjectum adaequatum perseverantiae solos et omnes regenitos esse, in definitione supposuimus, et fide justificante donatos. Quisquis enim electus est, fide donatur suo tempore, et quisquis vere credit, perseverat ad finem usque. Alioqui fides quae non perseverat, non est vera justificans fides. Nam etsi quicquid est verum secundum essentiam, non semper sit verum secundum perseverantiam et firmitatem, neque veri natura a permanentia et firmitate pendeat: id tamen certum est, nonnulla esse, a quorum naturae et essentiae veritate, ratio firmitatis et permanentiae petenda est. Quo in genere, ex Scripturis, fidem justificantem esse supra probavimus; cujus veritatis perseverantia est effectus necessarius, ex quo de veritate fidei a posteriori fit judicium. Falluntur ergo et fallunt, qui vere justificatorum duas constituunt species, alteram electorum perseverantium, alteram non electorum, qui etsi aliquando vera fide donati et justificati, sine poenitentia tandem in apostasia moriantur; qui etiam inter electos ita distinguunt, ut velint in eorum plerisque fidem ad tempus plane intercidere, eosque prorsus ad tempus gratia excidere, quamvis postea poenitentia salutari oblata, eandem proprio arbitrio acceptent. At electi sunt velut arbores quarum folia non decidunt, et fructum ferunt in tempore, ergo semper vitali succo praediti, Ps. 1, 3. Qui cadentes non dejiciuntur, sed manu Dei sustentantur, Ps. 37, 24. Sunt ut mons qui non dimovetur,

sed in seculum permanet, Ps. 125, 1. Cum quibus Dei Spiritus in aeternum manet, Joh. 14, 17. 1 Joh. 2, 27. Videantur praeterea hi loci, Matt. 7, 24. et 25. Matt. 24, 24. Eph. 1, 13. et 14. et 4, 30. etc.

XXXVII. Reprobos vero nunquam justificari, satis ex eo patet, quod Paulus Rom. 8, 29. asserit, Deum glorificasse quos justificavit, non glorificasse autem reprobos: si quis vult ut probemus, ei potius elleboro quam argumentis est opus. Quamvis autem sint inter eos qui modo quodam Christi esse dicuntur, per fidei confessionem, per Sacramentorum communionem, et communem Ecclesiae nuncupationem et societatem, revera tamen in Christo non fuerunt; intra limitem fidei esse videbantur, sed in specie credebant, sola Christi confessione inhaerentes, non caritatis vimine se colligantes, Cyril. in Joh. Lib. 10, c. 24. Tales ita credunt, ut diligant magis hominum gloriam, quam gloriam Dei, Joh. 12, 42. ideo vere non credunt. Quomodo enim possunt credere, qui gloriam a se invicem accipiunt, et gloriam quae a solo Deo est, non quaerunt? Joh. 5, 44. Si quidam igitur qui vocationis externae praerogativa, non electionis beneficio, regni Filii aliquando esse videbantur, a vero deflectunt, et ad vomitum suum redeunt, non inde potest inferri Sanctorum Apostasia, nisi Sancti sint illi, qui viam Cain ingressi sunt, et deceptione mercedis qua deceptus est Balaam, effusi sunt, Jud. vers. 11. qualis est impurus ille, qui primus plusquam profanam phrasim, Ecclesiae obtrudere frustra conatus est.

XXXVIII. Neque tamen, quod nobis per calumniam affingitur, negamus, Sanctos aliquando labi posse, et labi reipsa per carnis imbecillitatem, in peccata non tantum levia, sed etiam gravissima; vel eos absoluta quadam impossibilitate impediri, quo minus fidem amittere possint, affirmamus; sed tantum limitata, quantum ad gratiosas Christi promissiones, fidelem Spiritus Sancti custodiam, et immutabile Dei consilium de iis salvandis. Nam si vires Satanae spectemus, et fidelium infirmitates, si sibi relinquerentur, tunc palam fatemur, posse eos quovis momento excidere et perire. Fidem etiam amittere et gratia excidere eatenus negamus, ita nimirum ut infideles fiant et Dei hostes, sicut non renati peccatores; quia Deus cum illis non

agit stricto jure, etiamsi paternam ejus indignationem incurrant, reatum damnabilem contrahant, praesentem ad regnum coelorum ingrediendum aptitudinem amittant, si in se considerentur; et in illo interstitio ante fidei ac poenitentiae actum renovatum, talem peccatorem, etsi electum, damnationis meritum circumferre concedimus, etsi firmo Dei proposito in Christo sit absolvendus; sed postquam ex Dei ordinatione et gratia redierit in viam, per renovatum fidei et obedientiae actum secundum, cujus actus primus, semen regenerationis, sartum tectum conservatur; cum fundamentalibus illis donis, sine quibus vita spiritualis non consistit, idque non ex hominum fidelium arbitrio et voluntate, sed ex speciali Dei amore, divina operatione, Christique intercessione et custodia.

XXXIX. Et haec quidem de materia perseverantiae quae subjecti rationem habet. Objectum autem ejusdem sunt promissiones gratiae divinae. Quae non tantum habent certitudinem in promittente et in se ipsis, sed etiam certae sunt perseveranti; inter quas etiam promissiones, ea quae de perseverantia est, continetur, quae cum certa sit in se, non tantum quibusdam fidelibus ex speciali privilegio ejus certitudinem specialem indultam esse, sed etiam quemvis fidelium, et debere et posse certo esse persuasum de electione et perseverantia sua, non dubitamus asserere, iisdem argumentis innitentes, quibus antea fidei de reconciliatione nostra certitudinem probavimus thesi 30. et seqq. Promanat enim certitudo perseverantiae, ex ipsa specialis fidei natura, utpote quae fertur non tantum actu directo in rem promissam, sed et actu reflexo in suam apprehensionem; quapropter quivis fidelis qui de intimo fidei suae actu certus est, fidei quoque suae certissimam conservationem firmiter credere potest.

XL. Hoc fundamentum etsi unusquisque fidelis semper in se habeat, fatemur tamen, non semper in actum exire hanc fidei persuasionem. Quae etiam cum in actum exit, non habet illum certitudinis gradum, qui omnem contrarii formidinem perpetuo excludat; sed aliquando vivida est fides, aliquando languida, aliquando in gravissimis tentationibus actum suum non exserit, in quibus fideles hanc fidei πληροφορίαν et perseverantiae certitudinem non semper sentiunt, quos tamen Deus Pater consolationum, supra vires tentari non sinit, sed cum ten-

tatione praestat evasionem, 1 Cor. 10, 13. ac per Spiritum suum facit tandem ut eluctentur, et in iis actus ille velut emortuus reviviscat, qui non est incertae opinationis, aut spei conjecturalis, sed verae et vivae fidei per adoptionis Spiritum in ejus corde excitatae et obsignatae.

XLI. Finis perseverantiae proximus, est fidelium salus, in qua de victoria ab hostibus reportata, triumphum agunt perpetuum. Ultimus est gloria gratiae et potentiae Dei, ad quam qui vere credunt, quicquid in se praesentis boni agnoscunt, aut futuri exspectant, humiliter referunt. Ex quo intelligi potest, quam contumeliose sanctae huic doctrinae affingant nonnulli, quod ex natura sua verae pietati noxia sit, et toti religioni perniciosa. Quasi vero contra religionem aliquid molirentur, qui praesumunt non de operatione sua, sed de Christi gratia. Nos potius Augustinum audimus dicentem, Non haec arrogantia est, sed fides, praedicare quod acceperis; non est superbia, sed devotio. De verb. Dom. sec. Luc. Serm. 28.

XLII. Perseverantiae certitudinis effecta vel consequentia, in hac vita sunt spei nostrae firmitas et perpetuitas, unionisque nostrae cum Christo confirmatio, et vinculi caritatis et pacis, quo Sancti inter se vinciuntur, firmior et tenacior astrictio; in futura vero, plena salutis et perfectae beatitudinis possessio, et perpetuus Sanctorum, cum Christo capite, triumphus. In utroque: aeterna divinae caritatis erga nos duratio, et amoris nostri erga Deum non interrupta perpetuitas; Ejusdem in nobis servatis, gloriae manifestatio; nostri, in eo qui nos servavit et glorificavit in perpetuum, nunquam cessatura gloriatio.

DISPUTATIO XXXII.

DE

Resipiscentia.

Praeside D. ANTONIO WALAEO.

Respondente ADRIANO JANSONIO.

Thesis I.

Quum tota praedicationis Evangelicae summa, fide constet et resipiscentia, atque antecedenti disputatione de Fide sit actum; consequitur, ut de altero Evangelicae praedicationis membro, nempe Resipiscentia, deinceps agamus.

II. Resipiscentia haec duobus modis considerari solet, vel quatenus est habitus spiritualis nobis per Spiritum Dei infusus, vel quatenus est actio a nobis ex habitu illo procedens. Priori modo proprie et stricte regeneratio vocatur, posteriori modo strictius sumpta Resipiscentia, vel poenitentia, utrumque vero conjunctim, circumcisio cordis, conversio ad Deum, renovatio spiritus, sanctificatio hominis, nova creatura, et resurrectio prima appellatur.

III. De utroque hoc beneficio conjunctim considerato nonnulla primum explicabimus; deinde speciatim de poenitentia proprie dicta et ejus proprietatibus agemus.

IV. Causa principalis efficiens est Deus per Spiritum suum, nisi enim quis regenitus sit ex aqua et Spiritu, non potest ingredi in regnum Dei, Joh. 3, 5. et quemadmodum Deus evexit ad dextram suam auctorem vitae et conservatorem, ad dandam Israëli resipiscentiam, Act. 5, 3. ita quoque Ecclesia Israëlitica glorificavit Deum, quod et Gentibus Deus resipiscentiam dedisset ad vitam, Act. 11, 18.

V. Causa meritoria hujus doni non est ulla nostra antecedens dispositio, aut praeparatio, aut melior nostri naturalis arbitrii usus, quemadmodum nonnulli perperam sentiunt, nam postquam benignitas, et erga homines amor apparuit Servatoris nostri Dei, non ex operibus quae in justitia fecerimus nos, sed ex sua misericordia servavit nos, per lavacrum regenerationis, et renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos co-

piose per Jesum Christum, quemadmodum loquitur Apostolus Tit. 3, 4. 5. et 6.

VI. Nec tamen negamus, quin ipse Deus ordinarie quidem variis modis, tum per naturae documenta, Rom. 2, 4., tum per verbum Legis et Evangelii, homines paulatim praeparet, priusquam hujus beneficii eos participes reddat, ut postea explicabitur; sed negamus primo, Deum ad hunc ordinarium agendi modum obligari, ut in latrone cum Christo crucifixo, et Paulo Christi Ecclesiam persequente apparet; deinde hanc ejusmodi praeparationem esse aut dispositionem, quae vel ex congruo ejusmodi donum mereatur, ut locus Tit. 3, 5. antea citatus demonstrat; denique ullam ejusmodi dispositionem aut praeparationem, quae fidem antecedat, esse praeviam, cui hujus doni certa promissio a Deo sit facta, cum quicquid non est ex fide, peccatum sit, Rom. 14, 23. et sine fide impossibile sit placere Deo, nempe ad salutem, Heb. 11, 6.

VII. Adeo ut homini, utcunque jam disposito, haec gratia sit indebita, cum etiam in hac quacunque dispositione homo sit reus condemnationis; quae condemnatio non tollitur nisi ab iis qui sunt in Christo, et qui non ambulant secundum carnem, sed secundum spiritum, Rom. 8, 1.

VIII. Interim vero et hoc asserimus, eos qui documentis naturae, vel Legis et Evangelii, ad resipiscentiam vocantibus resistunt, vel ea in injustitia detinent, per hoc factum suum novum sibi reatum et condemnationis gradum arcessere, ac sic in Dei judicio magis ac magis inexcusabiles fieri, ut idem Apostolus docet, Rom. 1, 20. et c. 2, 1. item Joh. 15, 22.

IX. Causa προκαταρκτικὴ hujus utriusque beneficii, regenerationis nempe et resipiscentiae, est Christi mors et resurrectio, ut Apostolus perspicue docet, Rom. 6, 3. et Hebr. 9, 14. et Petrus, 1. Epist. 1, 18. 19. etc. Quum enim Christus nos per mortem suam a peccatis servarit, non ut peccato, sed ut ipsi serviremus, necessarium quoque fuit, ut mors ejus, et resurrectio efficax esset ad veterem hominem mortificandum, et novum vivificandum; unde et summa votorum Apostoli et ad ejus exemplum omnium vere fidelium haec est, non tantum, ut reperiantur in Christo, non habentes suam justitiam, quae est ex lege, sed eam quae est ex fide Christi, justitiam ex Deo per fidem, sed insuper, ut cognoscant eum, et

vim resurrectionis ejus, et communionem passionum ejus, conformati morti ejus, Phil. 3, 10.

X. Causa instrumentalis hujus beneficii est Verbum Dei, tum Legis, tum Evangelii.

XI. Per Legem enim tam naturae inscriptam, Rom. 1. quam lapideis tabulis renovatam, 2 Cor. 3. homo ad veram condemnationis et miseriae suae agnitionem perducitur, ut alibi explicatum est; sine qua homo regenerationis et resipiscentiae salutaris capax esse non potest, cum Christus ipse testetur, se non venisse ut justos, sed peccatores ad resipiscentiam vocaret, Matt. 9, 13.

XII. Per Evangelium vero et promissiones ejus, dolor secundum Deum concipitur, conscientia afflicta in spem veniae erigitur, Christus denique apprehenditur, non tantum in remissionem antecedentium peccatorum, sed abolitionem quoque veteris et resuscitationem novi hominis: unde et Evangelium ministerium Spiritus et vitae appellatur, 2 Cor. 3. et semen immortale Dei in aeternum manens, per quod regignimur, 1 Pet. 1, 23. et Jac. 1, 18.

XIII. Forma regenerationis et resipiscentiae consistit in mortificatione veteris hominis, seu abolitione corruptionis nativae; et restauratione novi hominis, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate vera, Eph. 4. et Col. 3. quae forma, veteris hominis naturam non tantum reprimit, ut quidam male sentiunt, sed etiam abolet, et veram sanctitatem ac justitiam ejus loco substituit, quae in ipsis resipiscentiae fructibus quoque resplendet.

XIV. Haec autem forma, si ultimam perfectionem ejus spectes, non simul et semel introducitur, sed per gradus, unde et quidam regeniti pueris, quidam vero viris adultis et perfectis comparantur, Hebr. 5. et Eph. 4.

XV. Quemadmodum vero pueri, etsi imperfectius eam exserunt, integram tamen hominis formam, omnibus suis partibus constantem habent, sic neminem vere resipiscentem aut regenitum agnoscimus, nisi qui formam integram regenerationis possidet, perfectione, ut loquuntur, partium, etsi quotidie ei sit proficiendum in perfectione graduum.

XVI. Perfectio haec essentialis consistit, primum in eo, ut omnes facultates animae humanae renoventur, intellectus, volun-

tas et affectus, secundum omnia praecepta Dei; deinde ut eousque renoventur, ut peccatum in iis non regnet, Rom. 6. et ut non ambulent secundum carnem, sed secundum spiritum, Rom. 8, 1.

XVII. Etsi vero regnum Spiritus in quibusdam sit imbecillius et obscurius, in quibusdam firmius et manifestius: negamus tamen, quemquam inter regenitos eousque in hac vita pervenisse, ut nullae veteris hominis reliquiae amplius in eo supersint. Unde et quotidie illis orandum est, Remitte nobis debita nostra, et resipiscentiae novi actus per veram in Christum fidem quotidie excitandi.

XVIII. Subjectum regenerationis hujus, est totus homo Christo per fidem insitus aut inserendus, Fide enim purificantur corda nostra, Act. 15, 9. Quemadmodum tamen principale peccati subjectum est anima hominis, omnibus suis facultatibus naturalibus instructa, corpus vero minus principale, tamquam animae sedes et instrumentum; ita et regenerationis propria sedes et subjectum principale est eadem anima, secundum omnes facultates suas, intellectum, voluntatem et affectus: quae omnes facultates in vera et salutari regeneratione et resipiscentia, supernaturali et inhaerente gratia a Deo per Spiritum, et quidem actione immediata, magis ac magis afficiuntur.

XIX. De intellectu, quod per hoc beneficium in cognitionem Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi illuminetur, res est perspicua; de affectibus, quod in odium peccati ac Satanae, in amorem Dei et justitiae, in spem vitae et haereditatis aeternae, etc. per idem donum excitentur, nemo non agnoscit, ac proinde ampliori probatione non eget. Quia tamen sunt nonnulli, qui voluntatem hac regenerationis inhaerente gratia affici negare audent, nonnullis argumentis id nobis breviter est confirmandum.

XX. Primum hoc demonstro ex corruptione voluntatis antecedanea, nam quicquid spiritualiter corruptum est, hac spirituali genitura renovatur ac corrigitur; voluntatem autem hominis naturalis in se et per se esse corruptam, multis in locis Scriptura asserit. Vide Eph. 2, 3. et 1 Pet. 4, 13. unde et Apostolus Rom. 7, 19. inquit, se non facere bonum quod vult, sed facere malum quod non vult. Et v. 21. Comperio, mihi volenti facere bonum, hanc legem, quod mihi malum adjaceat, ostendens, se voluntate, qua rege-

nita est, bonum spirituale quidem appetere; propter inhaerentes tamen ei carnis reliquias, non ita efficaciter et plene velle, ut effectus ille, quem optet et velit, semper consequatur.

XXI. Secundo demonstratur illud ex ipsa spirituali qualitate quae per regenerationem introducitur. Nam non tantum caritas et fiducia in Deum in voluntate suam sedem habent, sed etiam sanctitas et justitia novi hominis, Eph. 4, 24. est propria voluntatis affectio, ut omnes Ethici agnoscunt. Unde Jurisconsulti eam definiunt constantem voluntatem unicuique suum tribuendi.

XXII. Tertio, modi loquendi quibus passim Scriptura in hoc negotio utitur, id ipsum efficaciter evincunt. Nam quando Deus dicitur Spiritum novum ponere in medio nostri, cor circumcidere, cor novum in nobis creare, cor lapideum ac durum reddere carneum, praeputium cordis auferre, et similia plurima, de solo inferiori appetitu, quem homo cum bestiis habet communem, a nemine unquam explicata sunt; nec de intellectu immediate intelligi possunt, quia nullus dabitur in Scriptura locus, ubi intellectus durus aut lapideus vocatur, aut intellectus circumcidi, aut praeputium ejus tolli, aut in nobis denuo creari dicitur. Contra vero, cum de intellectu agit Scriptura, eum caecum et obtenebratum appellare solet; et renovationem ejus, illuminationem oculorum mentis, inscriptionem legis in cordibus, ablationem velaminis a cordibus, donationem mentis, etc.

XXIII. Demonstrant illud denique Sanctorum vota et preces. Nam quum Deus is sit, qui in nobis efficit et velle et perficere pro bona sua voluntate, Phil. 2, 13. quis ausit sentire, quin praeter mentis illuminationem ac affectuum correctionem, voluntatis quoque renovatio, atque in bonum spirituale inclinatio postulari debeat? Exemplo Davidis, Ps. 119, 36. Praesertim cum fieri non possit, ut voluntas solis naturae viribus instructa, intellectum supernaturali dono jam affectum per se sequatur, aut ut intellectus aliquam inhaerentem sibi supernaturalem qualitatem per se voluntati imprimat; cum hoc solius Spiritus Dei esse Scriptura ubique asserat, et non magis intellectus ejusmodi vim voluntati possit per se imprimere, quam ipsam voluntatem ex se producere; sed sicuti Deus tam facultatem intellectus quam voluntatis in homine creavit, sic dona supernaturalia tam huic quam illi per novam illam creationem superaddit.

XXIV. Nec vero ad actiones spirituales ex hoc spirituali habitu producendas sufficit sola initialis hujus doni collatio, aut habitualis possessio; sed quemadmodum gratia praeveniens et operans hoc donum in nobis primo effecit, sic opus est, ut gratia concomitans et cooperans illud idem ad actiones resipiscentia dignas excitet, et quotidie magis ac magis perficiat. Nam qui praevenit nolentem ut velit, subsequitur volentem ne frustra velit.

XXV. Inde est quod Christus discipulis suis dicit, ipsos sine ipso nihil posse, et omnem palmitem in ipso ferentem fructus purgare, ut plures fructus proferat, Joh. 15, 2. Hinc Spiritus dicitur nostris infirmitatibus succurrere, ut oremus quod oportet sicut oportet, Rom. 8, 28. et Apostolus Hebr. 13, 21. et alibi, orat Deum, ut ipsos perficiat in omni bono opere, efficiens in illis quod coram ipso complacitum est per Jesum Christum.

XXVI. Modus hujus actionis Divinae in nobis non est curiose inquirendus, interim tamen sedulo vitandi sunt Pelagianorum aut Semipelagianorum errores, item quorundam Sophistarum; qui vel gratiam hanc secundum merita dari statuebant, vel secundum bonos voluntatis nostrae motus, vel per solas, ut loquuntur, morales suasiones, et non reales operationes, vel denique ita ut efficacia Divinae operationis pendeat ex hominis naturali arbitrio. Quos omnes ac similes errores in Pelagianis et Semipelagianis olim condemnatos, et nos condemnamus, quia in gratiam Divinam sunt injurii, et homini se ipsum discernenti aliquam gloriandi materiam relinquunt. Nos vero cum Augustino statuimus, gratiam non esse gratiam ullo modo, si non sit gratuita omni modo, et gratiam in nobis operantem et cooperantem habere suam in nobis certam efficaciam, ex Dei miserentis proposito, non ex nostrae voluntatis arbitrio.

XXVII. Explicata, quantum hic sufficere judicamus, regenerationis doctrina, reliquum est ut de poenitentia, seu potius resipiscentia activa, et specialiter sic dicta, nonnulla subjiciamus.

XXVIII. Poenitentiae vocem a poena derivari manifestum est, nam ut Agellius recte notat, quae taedio ac pudori sunt, ea puniendi vim habent. Quoniam ergo is qui

poenitentia vera alicujus facti ducitur, ejusdem fere poenam a se ipso, intra semetipsum exigit, ideo hic animi affectus poenitentiae nomen accepit. Unde et ipse Apostolus 2 Cor. 7, 11. inter veras resipiscentiae proprietates indignationem ac vindictam enumerat, quam scilicet peccator a se sumit per internum dolorem illum, qui perperam facta comitari solet.

XXIX. Et hoc respectu, poenitentiae nomen, licet integram verae resipiscentiae formam non comprehendat, per Synecdochen tamen in Ecclesia Christi retineri posse concedimus, modo dolorem illum pro peccatis satisfactorium, ut a Pontificiis fit, non statuamus.

XXX. Vox μεταμελείας, quae curam atque anxietatem animi post factum aliquod poenitendum proprie denotat, voci poenitentiae non male respondet, et de taedio ac dolore, quem vitae emendatio non sequitur, frequenter usurpatur; licet ea ad veram resipiscentiam significandam nonnunquam adhibeatur, ut Matt. 21, 29. et alibi.

XXXI. Vox Hebraea, תשובה, reversio aut conversio, quemadmodum et Graeca vox μετάνοια, i. mentis post factum in melius mutatio, seu resipiscentia, ut Lactantius vertit Lib. 6. cap. 24. ad vim rei, de qua agimus, significandam, sunt accommodatiores. Nam quem vere poenitet, is a malo ad bonum convertitur; et mentem in melius mutat, licet et vox μετανοίας de legali tantum conversione dicta reperiatur, ut Sapient. cap. 5. vers. 3.

XXXII. Ex iis, quae de vocibus jam dicta sunt, quid vera poenitentia, seu potius resipiscentia sit, commode colligi potest. Cum enim in omni mutatione sit terminus a quo, et terminus ad quem, in hac quoque salutari mentis mutatione uterque hic est attendendus.

XXXIII. Terminus a quo est malum, vel peccati ac Satanae regnum; terminus ad quem est bonum contrarium, seu Christi ac justitiae regnum. Respectu prioris termini, conversio a peccatis atque a viis malis appellatur, 1 Reg. 8, 35. Esa. 59, 20. Respectu vero posterioris termini, conversio ad Deum Israëlis, Jer. 16, 19. Conjungitur vero uterque terminus Act. 26, 18. ut convertantur a tenebris ad lucem, et de potestate Satanae ad Deum. Quae duae resipiscentiae partes in Novo Testamento per mortificationem vete-

ris hominis, et vivificationem novi nonnunquam intelliguntur.

XXXIV. Etsi vero duabus hisce partibus, seu terminis, tota conversionis natura exprimatur, tamen utrique parti proprietates quaedam adjunctae sunt, sine quibus resipiscentia non est.

XXXV. Aversioni a malo conjunctus est dolor animi, qui contritio et attritio a nonnullis appellatur; conversioni ad bonum, spes veniae et gaudium animi, quod via prava relicta ad rectam transitio sit facta. Verus enim poenitens de peccatis dolet, et de dolore gaudet.

XXXVI. Dolor ille ab Apostolo Paulo 2 Cor. 7, 10. duplex statuitur, dolor mundi qui mortem operatur, et dolor secundum Deum, qui resipiscentiam ad salutem efficit.

XXXVII. Dolor mundi est, quando peccator de peccato admisso quidem dolet, sed ob causas propter quas et homines mundani dolere hic solent. Qualis est ignominiae aut poenarum, aut conscientiae legale judicium, ex comminationibus legalibus, et earum seria apprehensione profectum, Rom. 2, 5. et 4, 15. Ex hox dolore, si ulterius non procedat, vel absorbetur, et in desperationem ruit peccator, sicut in Juda proditore Christi videmus; vel, si dolorem illum evincere potest, peccator ad ingenium redit, ut exemplo Achabi manifestum est.

XXXVIII. Dolor vero secundum Deum, non tantum effectu a dolore mundi distinguitur, ut Apostolus antecedente loco notat, sed etiam natura, quia non solum ex caritate proria et metu poenae nascitur, sed cum odio et displicentia ipsius peccati conjunctus est, Rom. 7, 15. etc. et cum pudore offensi Dei, quem jam ut benignum patrem per fidem intueri incipimus, ut ex Rom. 9, 21. et exemplo Davidis, Petri, ac parabola filii prodigi patet.

XXXIX. Conversioni ad Deum conjuncta est approbatio divinae Legis, Rom. 6, 16. et oblectatio in studio ejus, Ps. 1. et 119. spes veniae ex promissionibus Evangelicis per fidem apprehensis concepta, Ps. 130, 4. et consolatio denique ac gaudium spirituale, quia caritas Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis, Rom. 5, 2. et 5. item 13, 17.

XL. Ex iis quae hactenus dicta sunt, patet solutio ad quaestionem satis difficilem, in cujus explicatione quidam Ecclesiae

reformatae magni auctores videntur dissentire: An fides resipiscentiae pars sit? Nam si resipiscentiae vox lata significatione sumatur, pro toto conversionis nostrae opere, sicut aliquando in Scriptura usurpatur, Act. 3, 19, et 11, 18. certe et fides nostra in illo est, sicut infidelitas ei contraria sub corde ἀμετανοήτῳ comprehenditur ab Apostolo, Rom. 2, 5.

XLI. Sin vero resipiscentiae vox stricte sumatur, sicut antea a nobis est definita, tum a fide distingui solet, tamquam causa et ejus proprius effectus ac fructus, atque ita eam ipsa Scriptura distinguit diversis in locis, vide Marc. 1, 15. Act. 20, 21. etc.

XLII. Nam ut peccatum vere oderimus, de Deo offenso, tamquam patre benigno, serio doleamus, justitiam diligamus, et spem veniae, atque animi spirituale gaudium ex eo concipiamus, necessarium omnino est, ut Christum antea per fidem nobis applicemus, atque in eo Deum tamquam benignum patrem intueamur; etsi et hoc libenter fateamur, quod salutaris ille fidei sensus, per resipiscentiae verae consensum, magis ac magis in nobis se exserat ac confirmetur.

XLIII. Ex his, quae hactenus a nobis exposita sunt, videmus quid sentiendum sit de doctrina illa Pontificiorum, qui poenitentiae suae (quam et perperam sacramentum constituunt) tres partes faciunt, nempe contritionem cordis, confessionem oris, satisfactionem operis.

XLIV. Nam quod contritionem attinet, nos eam in poenitentia vera necessariam statuimus, eo sensu quo id a nobis supra est explicatum, modo et dolorem illum ob peccata secundum Deum intelligamus, et pro peccatis satisfactorium non agnoscamus. Gratiae enim Dei, non contritioni attribuenda est peccatorum remissio, ut glossa de Poenitent. distinct. 2. c. 1. contra Concilii Trident. definitionem sess. 14. c. 4. recte exposuit.

XLV. Confessionem quoque duplicem approbamus, tamquam verae poenitentiae adjunctum; qua vel apud Deum privatim, Ps. 32. sive publice cum tota Ecclesia, Neh. 9. aut coram Ecclesia in publicis scandalis, 2 Cor. 2. peccator sua peccata agnoscit; vel apud homines et fratres offensos ad eorum reconciliationem id facit, Luc 17, 9.

XLVI. Etsi vero non diffiteamur, quin consultum sit in gra-

vibus animi angoribus, ut peccator ad consolationem capiendam, delicta sua apud alios pios viros imprimis verbi ministros, nonnunquam confiteatur, quo locus Jac. 5, 16. quoque referri potest: tamen inde non sequitur, auricularem illam confessionem Papisticam in Ecclesia esse admittendam; cum ea sit crudelissima animarum carnificina, praeter Dei verbum excogitata, et simul impossibilis homini Christiano. Delicta enim sua quis intelligit? Ps. 19, 13.

XLVII. Satisfactionem denique pro peccatis coram Deo, nullam nisi Jesu Christi servatoris nostri pretiosum sanguinem agnoscimus, qui solus nos purgat ab omnibus peccatis nostris, 1 Joh. 1, 7. et unica oblatione in perpetuum consummavit eos, qui sanctificantur, Hebr. 10, 14. Et nullum instrumentum, quo nobis Christi satisfactionem applicamus, quam fidem in ipsum, quia Deus illum nobis proposuit ἱλαστήριον, placamentum per fidem in sanguine ejus, Rom. 3, 25. cujus fidei fructus et individuus comes, est vera et a nobis hactenus descripta resipiscentia.

XLVIII. Dividitur autem haec vera et Evangelica resipiscentia in universalem, quando scilicet homo primum a statu peccati in statum justitiae transit, et ad Deum initio convertitur; et particularem, quando homo jam conversus et fidelis, a peccato praeventus, de eodem dolet et ab eodem resipiscit.

XLIX. Haec particularis rursum est duplex, vel ordinaria, vel extraordinaria. Ordinaria est, quam toto vitae cursu vere fideles et sancti, ex infirmitatis et quotidianorum lapsuum conscientia, agere tenentur, Rom. 7, 24. Extraordinaria, quando fideles in peccatum aliquod grave, et conscientiam alte vulnerans incidunt, qualem in Davide et Petro post lapsus ipsorum videmus.

L. Quae rursum est vel unius alicujus fidelis, vel totius coetus et Ecclesiae, sicuti multa hujus poenitentiae exempla ad Dei iram mitigandam, aut praeveniendam proposita, in Scripturis occurrunt. Et haec extraordinaria poenitentia, sive publica, sive privata, cum extraordinariis doloris atque humiliationis signis semper conjuncta fuit, qualia sunt jejunia, fletus, cilicia, vestium scissura, etc.

LI. Errant ergo graviter Novatiani qui lapsus post baptismum poenitentiam inutilem statuerunt, aut relapsos ad Ecclesiae

communionem admittendos negarunt. Nam (ut cum Tertulliano loquamur) non statim succidendus aut subruendus est animus desperatione, si secundae quis poenitentiae debitor fuerit: pigeat iterum periclitari, sed non item liberari: neminem pudeat, iteratae valetudinis iteranda medicina est.

LII. Errant et hic non minus Anabaptistae quidam, qui peccatores, licet resipiscentes, ab Ecclesiae communione movendos et Satanae tradendos sentiunt, ut extra, non intra Ecclesiam poenitentiam agant. Nam etsi fateamur in gravia peccata lapsos a signis gratiae ad tempus posse suspendi, ut interea scandalum ab Ecclesia tollatur, et veritas resipiscentiae ex fructibus exploretur, tamen pugnat cum perspicuis Christi verbis, Matt. 18, 17. et totius Ecclesiae Apostolicae praxi, ut peccator poenitentiam coram Ecclesia professus, ab eadem Ecclesia pro Ethnico et Publicano habeatur.

LIII. Resipiscentiae finis seu terminus, est vita haec nostra, proinde ulterius differenda non est, sed praevertenda dum hodie vocatur, Hebr. 3, 13. Nam hic tantum, ut Augustinus loquitur, fructuosa est resipiscentia, agenda in futurum non proficit, quemadmodum Christus parabola fatuarum et sapientum virginum docuit, Matt. 25, 11. et deinceps.

DISPUTATIO XXXIII.

de

Justificatione Hominis coram Deo.

Praeside D. ANTONIO THYSIO.

Respondente JACOBO DISSIO.

Thesis I.

Post tractationem de Vocatione, eique respondente obedientia, et Fidei, et inde Resipiscentiae; consequens est, ut agamus de hominis per fidem Justificatione et Sanctificatione, seu sanctis operibus. Ac primum quidem de Justificatione

peccatoris coram Deo, qui locus in Theologia facile primarius, nobisque maxime salutaris est; quo obscurato, adulterato vel everso, fieri nequit ut puritas doctrinae in aliis locis retineatur, aut vera Ecclesia consistat; cujus haec summa atque basis est, quod misericors et justus Deus, Filii sui justitia credentibus condonet peccata, et salvos faciat.

II. Vox justificandi, δικαιοῦν καὶ δικαιοῦσθαι, et inde justificationis, δικαιώματος καὶ δικαιώσεως, qualiter redditur Hebr. הצדיק ex proprietate et usu linguae Hebraeae, proprie et fere semper forinseca et forensis actio est, judicis et judicii, scilicet in rei absolutione, condemnationi opposita, Deut. 25, 1. Prov. 17, 15. quamvis et antecedentes, cohaerentes et consequentes actus, etiam privatim institutos, quibus quis declaratur, evincitur, approbatur et censetur justus, denotet.

III. Ac speciatim illo sensu accipitur, dum agitur de judicio Dei absolventis hominem peccatorem coram suo tribunali, Ps. 143, 3. Rom. 5, 16. et 8, 33. 34. Unde etiam totus hic actus Justificationis forensi processu describitur. Neque tamen diffitemur, propter summam et arctissimam connexionem, justificationem quoque sanctificationem ipsam, ut consequentem, videri nonnunquam complecti, Rom. 8, 30. Tit. 3, 7. etc.

IV. Ei synonyma et paria sunt, justum esse coram Deo, Rom. 2, 13. justum constituere, Rom. 5. 19. justitiam imputare, Rom. 4, 3. beatificare et beatificatio, Rom. 4, 6.

V. Justificatio porro, prout et justitia personae, ut vulgo appellatur (qua persona universim, non cum respectu particularis causae, quae justitia causae dici solet, justificatur; ac nihil aliud est quam conformitas totalis hominis et actionum ejus ad Legem Dei) duplex est: Legalis et Evangelica, illa ex Lege et ejus operibus, haec ex Fide, Act. 13, 38. 39. Rom. 3, 20. 21. 28. Gal. 3, 11. 12. Illa inhaerens, haec ex imputatione justitiae alienae, Rom. 4, 4. 5. 6, et 10, 3. 5. 6. Illa post lapsum nemo justificatur, hac vero omnis vera in Christum fide praeditus, Rom. 3, 20. 26. 30.

VI. Haec vero, et reconciliationis et benedictionis, et salutis nomine venit, Rom. 5, 10. 11. Gal. 3, 8. 14. Tit. 3, 4. 5. Quamvis reconciliatio potius quiddam consequens et justificationis effectus sit, et salus latius saepe pateat.

VII. Est vero in foro divino hominis peccatoris Justificatio, Dei judicium, quo impium et peccatorem in sese et obnoxium irae suae, ex mera sua gratia et misericordia, propter perfectam Christi obedientiam et justitiam, pro nobis praestitam, ac fide acceptam, justum pronunciat, id est, absolvit a peccato et maledicto, et Filii sui justitiam imputat, atque ita ei vitam aeternam adjudicat, ad hominis fidelis salutem, ac Dei misericordis et justi gloriam. Quam definitionem universam fere complectitur Apostolus, Rom. 3, 24. 25. 26.

VIII. Ejus partes duae sunt, Imputatio justitiae passivae seu absolutio a peccatis, et justitiae activae imputatio. Quarum illa a reatu et condemnatione liberamur, morteque aeterna eximimur; hac etiam praemio digni censemur, ac jus vitae aeternae accipimus, eaque nobis adjudicatur, Rom, 5, 17. 18. et 8. 3. 4. At propter arctissimam συγγένειαν una alteram complectitur συνεκδοχικῶς, Rom. 4, 22. Quamvis justificatio κατ' ἐξοχὴν, in peccatorum remissione saepe constituatur, Ps. 32, 1. Rom. 4, 7.

IX. Causa justificationis efficiens, id est, qui nos justificat, Deus est, Rom. 3, 26. 30. et 8, 33. Gal. 3, 8. Ipse enim solus est, ut Deus ac Dominus, ita et Legislator, adeoque et Judex, in quem ut peccata admittuntur, ita ea potest remittere, Esa. 43, 25. Luc. 5, 11. Jac. 4, 12. et quidem tota S. Trinitas nempe Pater, Rom. 8, 34. Filius, Esa. 53, 11. Matt. 9, 2. 6. unde et ipse Judex erit vivorum et mortuorum; et Spiritus Sanctus, 1 Cor. 6, 11. Joh. 16, 8. 11. Ordine tamen et discrimine personarum servato, ita ut Pater in Filio per Spiritum justificet; at pro agendi principio, et certa singularique oeconomia, Patri propria sit justificationis actio, quemadmodum Filio ejus meritum, Spiritui vero Sancto meriti illius applicatio attribuitur.

X. Administra, est verbi promissionis seu Evangelii praeconium. Quo sensu Evangelium ipsum, potentia Dei ad salutem, et in quo justitia Dei revelatur, Rom. 1, 17. et Verbum reconciliationis, 2 Cor. 5, 19. et ipsi Praecones justificare, Dan. 12, 3. ligare et solvere, Matt. 18, 18. salvare, 1 Tim. 4, 16. Jac. 5, 20. dicuntur.

XI. Causa impulsiva interna, qua Deus Pater a se

motus fuit ad nostri justificationem, est peculiaris Dei gratia, misericordia, φιλανθρωπία, caritas seu dilectio Dei, tum qua Redemptorem dedit, Joh. 3, 16. Rom. 5, 8. 9. Tit. 2, 11. et 3, 4. et in mortem ad justitiam et justificationem nostram tradidit, Rom. 4, 25. Tum qua illam Filii sui obedientiam extra nos quidem, sed pro nobis praestitam, ratam et gratam habuit, Eph. 5, 2. quo utroque respectu nos reconciliasse sibi in Christo dicitur, 2 Cor. 5, 18. Tum denique qua eam secundum aeternum suum decretum destinavit, et per Spiritum suum fide applicat electis suis Rom. 8, 30.

XII. Unde justificari nos gratis, sua gratia, Rom. 3, 24. ipse propter se delere iniquitates nostras, Esa. 43, 25, apud ipsum esse propitiationem, Ps. 130, 4. ipsaque nostri Justificatio, Dei χάρις et χάρισμα, gratia et gratificatio, δῶρον, δωρεὰ, et δώρημα, donum et donatio, idque ἐν χάριτι, per gratiam, seu liberalitatem suam, Rom. 5, 15. 16. dicitur. Quod respectu nostri, operum meritis diserte opponitur, 2 Tim. 1, 9. Rom. 4, 4. et 11.

XIII. Causa autem impulsiva externa, quae et meritoria, est Christus Mediator et Redemptor, θεάνθρωπος, id est, Filius Dei in una persona verus Deus et homo, Joh. 6, 51. Act. 20, 29. Gal. 4, 4. 1 Joh. 1, 7. et quidem quatenus Mediator et Redemptor, sive ejus obedientia, justitia, satisfactioque, Es. 53. quae Synecdochice, sanguinis et mortis nomine explicatur, in quo est λύτρον et ἀντίλυτρον, pretium redemptionis, λύτρωσις et ἀπολύτρωσις, redemtio; ἱλαστήριον et ἱλασμὸς, propitiatorium et propitiatio, Matt. 20, 28. Rom. 3, 24. 25. 1 Tim. 2, 6.

XIV. Quare ex parte Dei nequaquam gratis fertur haec Dei sententia, sed pretiosissimo pretio persoluto, 1 Pet. 1. Quo fuit opus, tum quod ita Deus misericors, ut et justus, Rom. 3, 25. tum quod immutabilis et aeterna sit veritas comminationis illius, Qua die ederis de arbore vetita, morte morieris, Gen. 2, 17. et 3, 3. Quare et sine effusione sanguinis esse non potuit peccatorum remissio, Heb. 9, 22. Unde et per et propter Christum justificari dicimur, Rom. 3, 24. Quod ipsum operibus nostris eorumque similiter meritis directe opponitur.

XV. Materia justificationis κατ' ἄρσιν, negantur opera nostra

esse. Non enim justificamur lege, in lege, ex lege, per legem, Gal. 3, 11. et 2, 21. non lege Mosis, Act. 13, 39. non ex operibus, Rom. 4, 20. et Eph. 2, 9. non operibus legis, Rom. 3, 24. 32. Gal. 2, 16. non lege Justitiae, Rom. 9, 31. non nostra Justitia quae ex lege, Phil. 3, 9. non propria Justitia, Rom. 10, 3. non ex operibus, quae sunt in justitia quae fecerimus nos, Tit. 3, 5.

XVI. Qualiter nemo justificatus est, Rom. 3, 20. Gal. 2, 16. Non Abraham fidelium pater, Rom. 4, 2. Neque David vir secundum cor Dei, Rom. 4, 6. Nec Paulus electum illud vas, etiamsi nullius sibi conscius foret, 1 Cor. 4, 4. Phil. 3, 8. 9. aut ullus Sanctorum, Psal. 143, 2. Sed illi demum qui se ipsos justificant, at falso, Luc. 10, 29. et 16, 15. Ac ἀντιθέτως fit sine operibus, Rom. 4, 6. sine operibus legis, Rom. 3, 28. Quibus omnis legalis justitia qualiscunque, et quorumcunque, itemque gloriatio omnis, a Justificatione excluditur, Rom. 3, 27. 1 Cor. 1, 31.

XVII. Κατὰ θέσιν, asseritur, nos gratis et ex gratia Dei, si nos respicias, justificari, Rom. 3, 24. Quod aliquatenus materiae rationem explet, ac debito meritoque operum nostrorum objicitur, Rom. 4, 4. 5. et 11, 6. Ita ut non tantum sine meritis, sed et contra demerita nostra nobis tribuatur, Rom. 3, 23. et 4, 5. 6. Eph. 2, 8.

XVIII. Et quidem Justitia Dei, Rom. 1, 17. et 3, 24. 25. et 2 Cor. 5, 21. quae sine lege, Rom. 4, 21. Justitia a Deo, 1 Cor. 1, 30. ex Deo, Phil. 3, 9. scilicet non qua Deus in se justus, sed quam nobis paravit, donat imputatque, Rom. 5, 15. opposita directe justitiae Legis, ac nostrae seu propriae, Jer. 23, 6. Rom. 3, 21. 22. et 10, 3. 2 Cor. 5, 21. Phil. 3, 9.

XIX. Eaque est Christi, qui est Justitia nostra, Jer. 23, 6. et 33, 16. factus nobis a Deo Justitia, 1 Cor. 1, 30. Justitia Dei in Christo, 2 Cor. 5, 21. in quo justificamur, Gal. 2, 17. et in nomine Domini Jesu, 1 Cor. 6, 11. per Christum, Rom. 5, 11. per gratiam Jesu Christi, Actor. 15, 11. per redemptionem factam per Christum, Rom. 3, 24. in sanguine Christi, Rom. 5, 9. Quae est illa ipsa justitia ex satisfactione Filii Dei, in sua amplitudine considerata, et passiva et activa, prout ὑποακοή, obedientia, παρακοῇ, inobedientiae, opponitur; eaque qua

justificamur, opposita Legi, et nostrae, seu inhaerenti, Phil. 3, 9.

XX. Attamen Lex seu Justitia legalis operumque, justitiae Dei in Christo, seu Christi, non simpliciter adversatur. Non enim justificamur contra legem; ut quam Christus implevit, tum patiendo poenas peccatis nostris debitas, quo culpam delevit, tum praestando omnem justitiam ac legis obedientiam, quo conditionem vitae aeternae posuit. Sed certo respectu, quoad plenam illius a Filio Dei pro nobis, non a nobis, quod requirebat insuper Lex, praestationem, Rom. 8, 3. 4. Gal. 3, 13. et 4, 4. 5.

XXI. Forma est, tum in applicatione ex parte Dei erga nos, seu oblatione et collatione justitiae illius gratuitae Dei in Christo, seu λογισμῷ i. imputatione justitiae, Rom. 4, 11. dum non imputat Deus peccatoribus peccata quae habent, Ps. 32, 1. Rom. 4, 8. 2 Cor. 5, 19. sed ab iis absolvit ac remittit peccata per Christum, Act. 10, 43. et 13, 28. 29. atque imputat justitiam, quam non habent, Rom. 3, 3. 1 Cor. 1, 30. 2 Cor. 5, 21. Quae aliena Christi justitia fit nostra, et justi constituimur coram Deo, Rom. 5, 19. tum in declaratione ac pronunciatione ipsius Dei, qua habetur, censetur, ac judicatur quis justus in conspectu ejus, atque in conscientia sua, in qua Deus erigit tribunal suum, Rom. 4, 2. et 8, 33, 34.

XXII. Imputatio autem haec non est figmentum, sed in aequitate, et Jure civili locum habet, ut quae statuit ut creditor idem jus habeat in sponsorem atque in debitorem. Quin cum sit vocabulum relativum, fundamentum habet, non rem inhaerentem ei cui fit imputatio, videlicet opus aliquod; terminum, mercedem; relationem, imputationem secundum debitum: ut sit quiddam in nobis, quod dignitate sua vel plena vel ex parte, imputetur ad justitiam, ut vox accipi videtur, Rom. 4, 4. nisi vocem aliam subjecto convenientem et respondentem subintelligi velimus, sed fundamentum statuitur in judicio et voluntate imputantis seu reputantis Dei, non in nobis (in quibus contrarium est fundamentum, non ad justitiam, sed iram, si Deus nobiscum intraret in judicium), terminus vero justitia fidei, seu Christi meritum, relatio autem imputatio, quae non fit secundum debitum, sed gratiam, ita ut idem sit quod acceptum ferre. Qualiter accipitur Rom. 4. decies, ubi

prior ratio imputationis diserte removetur a negotio justificationis.

XXIII. Mirum autem hic videri non debet Christi justitiam non meritoriae solum, sed et materialis, imo et formalis causae rationem habere, cum id fiat diversimode, nempe qua illa est, propter quod, in quo seu ex quo, et per quod justificamur.

XXIV. Haec applicatio in nobis fit a Spiritu S. 1 Cor. 6, 11. dono scilicet fidei. Ipse enim eam per ministerium Evangelii (quod ministerium Spiritus dicitur, 2 Cor. 3, 8.) ingenerat, ac Verbo suo et Sacramentis confirmat et auget, Phil. 1, 29. Gal. 5, 5. Unde et Spiritus fidei dicitur, 2 Cor. 4, 13. qua Deum ut gratiosum, Christum ut Redemptorem, ejusque justitiam, et ex ea vitam aeternam apprehendimus, Joh. 1. 12. Rom. 9, 30.

XXV. A parte ergo nostra, fide, Rom. 5, 2. Act. 26, 18. et ex fide, et per fidem, Rom. 3, 30. justificamur, et justificat nos Deus. Fide, inquam, in Deum et in Jesum Christum Dominum, Act. 26, 18. ex fide in fidem, Rom. 1, 17. et quidem fide sine operibus exclusive; fide, et non operibus legis, opposite; et non nisi ex fide, ac tantum fide, id est, sola fide, Rom. 3, 28. 30. Gal. 2, 16. Luc. 8, 5. Unde etiam vocatur justitia haec, justitia fidei, Rom. 4, 11. 13. justitia Dei ex et per fidem Jesu Christi, Rom. 3, 22. et 9, 30. justitia quae est ex Deo in fide, Phil. 3, 4. Atque ea fides justitiaque ex fide, legi et operibus meritisque similiter opponitur.

XXVI. Atque tum fides non modo doctrinam Evangelii, habitum actionemque mentis, puta nudam notitiam et cognitionem Dei, Christi et Spiritus Sancti, sed et complexim voluntatis actum, Eph. 3, 12. 17. nempe fiduciam in Deum et Christum ac promissiones, de remissione peccatorum, justitia, vitaque aeterna, denotat: quas res veras, et bonas et salutares, non universim modo, sed et κατ' ἰδίαν, sigillatim sibi apprehendit, atque ita licet extraneas, suas facit, Matt. 9, 2. Rom. 4, 20. 21. quae fides justificans vulgo dicitur. Quando vero notitiae Justificatio tribuitur, Es. 53. Joh. 17, 3. synecdochica et familiari Heb. loquendi ratione etiam fiduciam complectitur.

XXVII. Justificamur ergo hac fide, ex fide et per fidem,

imo ab Apost. fides imputari dicitur ad justitiam, Rom. 4, 3. 5. 6. 9. 11. 22. 23. 24. Non πρώτως καὶ κατ' αὐτὸ, i. primo et per se, ut qualitas proprie, aut motus, actio vel passio, aut opus aliquod bonum et eximii pretii, quasi ipsa sit justitia, aut ejus pars, aut etiam justitiae loco, ex censu et aestimatione Dei, sed δευτέρως καὶ κατ' ἄλλο, secundario et secundum aliud, nempe ut modus, medium et instrumentum, ceu oculus et manus, qua Christi ejusque justitiae participes reddimur, adeoque relative ad objectum Jesum, ipsius justitiam et promissiones gratiae, Phil. 3, 9.

XXVIII. Ea sola justificamur, quia aliter apprehendi promissiones Dei, remissio peccatorum et aliena justitia, vitaque inde aeterna non potest; neque aliud instrumentum monstrari, vel ex tota Scriptura, vel tota rei natura. Non enim caritate aut bonis operibus haec ipsa accipiuntur, sed solam fidem Deus ad haec ordinavit.

XXIX. Attamen ipsa non est solitaria, et sine obedientia, bonis operibus seu caritate vera et viva fides, Gal. 5, 6. ut quae ex regeneratione, quae fidem et resipiscentiam simul comprehendit, existit, et cum resipiscentia coexistit; eaque corda mundari dicuntur, Act. 15, 9. Ipsa itaque justificamur, non quae sit absque operibus, attamen absque operibus justificamur.

XXX. Omnia ergo haec, Deus justificans, sua gratia, gratis, gratiose; et propter, in et per Christum ejusque obedientiam et justitiam, justitiaeque imputatione et fide, optime inter se cohaerent. Unum alterum ponit, praefert aut infert. Quibus ex aequo, sed tamen suo ordine, adversa sunt, salvari seu justificari ex nobis, ex lege, et per legem, operibus, justitia nostra propriaque, ex debito ac merito nostro. Adeoque non pugnant inter se gratuita Dei justificatio cum Christi merito, et Dei imputatione, aut cum his fides. Subalterna enim sunt, unde non obstat quo minus gratuita sit hominis justificatio ex mera Dei misericordia, et interveniat Christi meritum. Neque per illam aliud secluditur, quam opera nostra, non item Christi. Neque imputatio Dei gratuita absoluta est, sed justitiae, puta Christi. Neque etiam fides sua dignitate censetur, sed objecti; aut aliud a merito Christi dicit, sed perceptionis ejus tantum modum.

XXXI. Unde sane longe dissimile est judicium et justificatio Dei ab hominum. Hoc justificari improbum, abominabile est coram Domino, Exod. 23, 1. Deut. 25, 1. Prov. 17, 15. quia agitur contra legem. Illo, justitiae consentaneum, quod fiat secundum legem interveniente Christi justitia, qua legi satisfit, quae nostra fit imputatione et fide. Quare dicit Apostolus, fide, seu justitia fidei, non everti sed stabiliri legem, Rom. 3, 31.

XXXII. Finis porro justificationis nostrae, a Deo, in Christo per Spiritum, in fide, est respectu Dei, Dei gloria, ut Deus nos justificando se misericordem in Christo, ac potentem in Spiritu demonstret. Utriusque enim, et misericordiae et justitiae admirabile hic temperamentum relucet, Rom. 3, 26. et singularis Dei potentia, Rom· 1, 16. 2 Thess. 1, 11. Respectu vero nostri, ipsa adeo salus nostra et vita aeterna, Rom. 1, 17. et 8, 30. Tit. 3, 7.

XXXIII. Ex hisce causis Justificatio, ut effectus existens, varios item fructus effectusque producit, ut sunt, Pacificatio cum Deo, et in conscientia, aditus ad hanc gratiam, perseverantia in eadem, gloriabunda spes vitae aeternae, gloriatio in afflictionibus, et gloriatio in Deo, etc. Rom. 5, 1. 2. 11. et 3, 27. 1 Cor. 1, 31.

XXXIV. Subjectum seu objectum, est peccator et impius, Rom. 4, 5. scilicet in se, et in natura sua, sed qui ex fide et fidelis est, Rom. 3, 22. 26. Act. 13, 39. Quinimo electus, et secundum propositum Dei vocatus, Rom. 8, 28. 30.

XXXV. Adjunctum proprium seu affectio ejus propria, vel, ut alii, proprius ac necessarius effectus, est sanctificatio, Act. 15, 9. et bona opera inde promanantia, seu dilectio Dei et proximi, Gal. 5, 6. 1 Tim. 1, 5. Tit. 3, 8. quae licet imperfecta, tamen quod ad normam Legis sunt instituta, quodque ea fide Deo in Christo placent, Justitiae nomine veniunt, a qua et justi appellamur, Act. 16, 35. 1 Joh. 2, 29. et 3, 7. 10. et quidem coram Deo, ob sinceritatem et integritatem; et perfecti, suo gradu et modo, Luc. 1, 6. etiam nostra, ut inhaerens nobis, per Spiritum Dei in nobis effecta: sed non est justitia illa Christi, quae fide nobis imputatur, aut ejus pars, ut quae ab illa distinguitur, Eph, 2, 9. 10. Nulla

enim in fidelibus justitia operum, Rom. 3, 20. Gal. 2, 16. Attamen sunt in iis opera justitiae, Tit. 3, 5.

XXXVI. Quin et his justificatio, salus et vita aeterna interdum, licet improprie tribuitur, Jac. 2, 21. 23. Matt. 12, 37. videlicet propter utriusque necessariam cohaesionem, fidei testificationem et declarationem, scilicet qua Justificatio evidentem probationem et declarationem significat, Jac. 2, 18. idque humano externoque judicio, Rom. 4, 2. 1 Cor. 4, 3. 4.

XXXVII. In summa, Deus Pater nos justificat, ut Judex quidem, sed sedens in throno gratiae, ac peccata remittendo et justitiam imputando; In Christo justificamur, satisfaciente pro nobis et advocatum agente; Per Spiritum Sanctum, quatenus fidem tribuit et gratiam hanc in nobis obsignat; idque Evangelii praeconio, ut medio potentiae Dei: fide, quae ipsius Dei Filiique justitiam apprehendit et suam facit: Bonis denique operibus, ut quae suae fidei justitiam demonstrant et declarant.

ANTITHESIS

PONTIFICIA et SOCINIANA,

Quae a nobis ut veritati adversa rejicitur.

Antithesis I.

Pontificii ex adverso, Justificationem non accipiunt vocabulo forensi, pro actione Dei Judicis, versantis circa objectum reum absolvendo; sed ex grammatica, eaque Latina compositione proprie, pro motu ad justitiam, seu actione Dei hyperphysica, qua agit in subjectum infundendo et indendo justitiae qualitatem, seu qua ex injusto facit et constituit justum. Atque ita volunt Deum justificare effective, contra vocis in hoc negotio, saltem in Sacra Scriptura, usum, Justificationem cum regeneratione et sanctificatione confundentes: quod est πρῶτον ψεῦδος.

II. Non tamen arbitramur, eos priorem illam significationem Justificationis hic plane secludere, sed eam ut illam sequentem etiam agnoscere; Deum nimirum jam justum factum, et juste viventem etiam justificare, id est, absolvere. Quam quidem ali-

qui restringunt ad extremum in extremo judicio actum, quum etiam, et potissimum hoc sensu accipiatur in Justificatione in hac vita.

III. Eam Justificationem dicunt praecedere necessariam quandam ejus praeparationem, factam partim a Deo, partim a nobis, nempe viribus humani arbitrii, quibus homo vult et facit quod in se est. Atque haec opera praeparatoria merito congrui (quod tamen improprie meritum esse dicunt, imo nonnulli vocem improbant, quamvis rem cum aliis retineant) mereri Justificationem. Congruum enim divinae esse benignitati, ut facienti quod in sese est, succurrat. At tantum abest, ut ulla meriti hic sit ratio, ut Apostolus declaret, quicquid sine fide fit, peccatum esse, Rom. 14, 23. et neminem sine fide Deo placere posse, Hebr. 11, 6.

IV. Hanc ordinariam praeparationem consequi volunt justificationem ipsam, quam distinguunt in primam et secundam, seu inchoatam et absolutam, incompletam et completam. Veruntamen justificatio unus actus est, qui in instanti fit, quamvis suam habeat applicationem et continuationem, et sensum, quae gradatim et iterato fiunt, Rom. 8, 30. Unde quotidie precamur, Remitte nobis debita nostra, et confitemur, Credo remissionem peccatorum.

V. Primam vocant, qua quis a Deo, habitus novi infusione ex injusto fit justus, ex malo bonus, expellendo iniquitatem culpae, et dando rectitudinem justitiae. Qui actus regenerationis est, non justificationis.

VI. Hanc duo in se continere statuunt. Primo remissionem peccatorum, ut actum praevium. Deinde infusionem habitus justitiae, quo homo efficitur justus formaliter, dum acquirit potentiam bene operandi, ac disponitur ad caritatem et alia bona opera. At vero justificationis actus non internus, sed externus vere est, et in remissione peccatorum ejus est forma.

VII. Secundam autem, qua homo illis qualitatibus instructus acquisitione justitiae revera fit justus, justa nempe operando, imo ex justo justior, id est, qua bonis operibus increscit, ac completur et consummatur in eo justificatio. Adeoque meretur majorem justitiam et vitam aeternam, idque ex merito condigni, quod vita aeterna merces in Scriptura dicatur. Attamen Scriptura negat justificationem ex operibus passim. Me-

riti quoque vox Scripturae insolens, et vita aeterna accipitur sub ratione doni, et haereditatis jure, Rom. 6, 23. et 8, 17. 18. unde improprie merces dicitur.

VIII. Eamque primo ac primario constituunt in caritate, inde in operibus ceteris. At caritas effectus fidei, adeoque et justificationis est, 1 Tim. 1, 5.

IX. Ac volunt duplicem ordinem seu gradum a Deo institutum ad justitiam, adeoque et justificationem: Primum necessarium, in observantia praeceptorum Dei, secundum illud, Si vis vitam ingredi, serva mandata; Secundum, non ita necessarium, sed compendiosum et utilem, ad majorem in beatitudine gradum, in observatione consiliorum Evangelicorum, secundum illud, (ut volunt) Si vis perfectus esse, vade et vende quae habes, et da pauperibus, etc. In quibus maxime collocant Meritum supererogationis. Verum illud est deformare Evangelium in Legem, hoc vero perfectiorem justitiam super legem comminisci.

X. Cum ergo Apostolus dicit, Deum peccatorem et impium justificare, intelligunt, non quod remittantur ut reo peccata, et induatur aliena justitia, Christi scilicet; sed quod ex peccatore fiat justus habitualiter et subjective. Fatentur quidem, neminem posse justificari absque remissione peccatorum facta propter meritum Christi, sed eam, ut praeviam, aut, ut alii, conjunctam, alii vero subsequentem, et non proprie justificationem agnoscunt. Contra manifestum dictum Apostoli, Rom. 4, 5. Ei vero qui non operatur, sed credit in eum qui justificat impium, imputatur fides sua pro justitia.

XI. Quod Apostolus dicit, nos non justificari operibus Legis, sed sine operibus, intelligunt de operibus Legis Ceremonialis, aut etiam Moralis, sed ante conversionem praestitis, non etiam Evangelii. At contra est exemplum Abrahami et Davidis, Rom. 4.

XII. Gratis et ex gratia Dei justificari nos, fatentur, sed per gratiam intelligunt immeritam Dei actionem, qua nobis remittit peccata, et caritatis habitum infundit, sive dona infusa per gratiam et misericordiam Dei; quae gratia illis habitualis et inhaerens dicitur. Atque ea intelligunt virtutes theologicas, Fidem, Spem et Caritatem. Verum gratia ita confun-

ditur cum suo effectu, quum illa misericordiam Dei notet, Eph. 2, 4. et opponatur debito seu merito, Rom. 4. et 11. Gal. 5, 4.

XIII. Per justitiam Dei, non intelligunt justitiam Christi, quam ipse praestitit, et Deus nobis largitur, sed a Deo infusam, et nobis inhaerentem; quum e contrario justitia Dei opponatur nostrae, ad Phil. 3, 9.

XIV. Per, et propter Christum, merito Christi et justitia Christi nos justificari, fatentur, ita ut quidem justitia, qua justificamur, ab eo manet, quodque satisfactio quidem nobis applicetur, sed meritum et applicatio ejus non sint proxima, completa et immediata causa, sed remotior, qua Deus commovetur, ut nobis infundat habitum caritatis, aliarumque virtutum, quo tamquam causa proxima et immediata, justificemur; seu impetrasse nobis Christum sua morte, ut induamur justitia inhaerente et caritate, cujus merito vitam et salutem impetremus. Atqui ita revera exinaniunt Christum cum sua satisfactione et merito.

XV. Imputationem justitiae, seu fidei in justitiam, non intelligunt de reputatione Dei, qua loco Legalis justitiae, quae nobis inesse debebat, Christi obedientiam et justitiam ab illo pro nobis praestitam, nobis imputat, ac ita reputat pro justis (quam imputatam justitiam plane negant), sed volunt, interiorem novitatem, fidem et opera, seu justitiam inhaerentem, quamvis non sit perfecta in se, et meritoria per se vitae aeternae, pro tali haberi. Quod est totam doctrinam Pauli de Justitia Dei, Christi et fidei, evertere, ac hominum opera ac merita reponere.

XVI. Fide dum justificari hominem Scriptura dicit, intelligunt per fidem, nudam, generalem et implicitam quandam cognitionem, qua homo persuasus est religionem Christianam universam atque Articulos fidei esse veros; adeoque excludunt a fide, fiduciam atque certitudinem salutis specialem, quam non nisi moralem agnoscunt, neque haberi nisi ex revelatione singulari. Quod est fidei notionem, prout accipitur in Scriptura, et naturam et vim subvertere.

XVII. Deinde nos fide justificari, non per se, quod fides sit in intellectu, et communis etiam multis improbis, justitia vero in voluntate, sed synecdochice et metonymice, puta initialiter, partialiter, principaliter, et quatenus ad illum justi-

ficationis actum caritate informatur, et reliquis virtutibus et bonis operibus vivificatur. Adeoque modum applicationis Justificationis non ponunt in fide sola, sed et operibus. At vero caritate fides non informatur. Una qualitas enim alterius non est forma. Neque fides et opera ad hunc actum simul concurrunt.

XVIII. Primam itaque Justificationem gratuitam faciunt, secundam vero meritoriam salutis; sed virtute passionis Christi, seu (ut Jesuitae quidam loquuntur) quatenus opera nostra tincta sunt sanguine Christi.

XIX. In summa, volunt Deum justificare effective, agendo in subjecto; Liberum Arbitrium, ut concausam; Passionem Christi, ut causam meritoriam, scil. ut possimus mereri; Gratiam Dei habitualem formaliter; Sacramenta, instrumentaliter, idque ex opere operato; Sacerdotem, ministerialiter, et quidem ut judicialiter agentem; fidem inchoative; bona denique opera perfective seu completive. Ac justitiam hic triplicem comminiscuntur, innatam, infusam et acquisitam, quibus singulis suas hic partes attribuunt.

XX. Est itaque nobis cum Pontificiis quaestio primaria haec, quae sit causa justificationis principalis, proxima et completa; seu potius, quid sit illud propter quid et quo, coram Dei tribunali integerrimo et perfectissimo, constituamur et judicemur perfecte justi? An habitus infusus Caritatis, et aliarum virtutum exercitium, an vero imputatio, id est, participatio meriti et satisfactionis a Christo praestitae, adeoque Christi justitia per fidem nostra? illi illud, nos hoc constanter asserimus.

XXI. Ab his non abit Sociniana impietas, quoad illud quo justificamur, quod statuit similiter obedientiam nostram; nisi quod ea, meritoriam justificationis causam, (in quam omnes fere Christiani consentiunt,) neget esse Christi satisfactionem, quam nec necessariam, nec probabilem, imo impossibilem asserit, ac redemptionem tantum metaphoricam sine pretio comminiscitur.

XXII. Quin fidem inepte non tantum fiduciam, sed et obedientiam praeceptorum Christi definit.

August. ad Ps. 130.

Si iniquitates observaveris Domine, quis sustinebit? Non dixit, ego non sustinebo, sed quis sustinebit? Vidit enim prope totam vitam humanam circumlatrari peccatis suis, accusari omnes conscientias cogitationibus suis, non inveniri cor castum, praesumens de sua justitia. Si ergo cor castum non potest inveniri quod praesumat de sua justitia, praesumat omnium cor de misericordia Dei, et dicat Deo, Si iniquitates observaveris Domine, Domine quis sustinebit? quae autem spes est? quoniam apud te propitiatio est. Quae est ista propitiatio, nisi sacrificium? et quod est sacrificium, nisi quod pro nobis oblatum est? Sanguis innocens fusus delevit omnia peccata nocentium: pretium tantum datum redemit omnes captivos de manu captivantis inimici. Ergo est apud te propitiatio. Nam si non esset apud te propitiatio, si Judex solum esse velles, et misericors esse nolles, et observares omnes iniquitates nostras, et quaereres eas, quis sustineret? quis ante te staret? et diceret innocens sum? quis staret in Judicio tuo? Spes ergo una est, quia apud te est propitiatio.

Bernardus, Serm. 23. in Cantic.

Hominis Justitia est indulgentia Dei. Item, Justitia Dei est non peccare: justitia hominis, est non imputari peccatum.

Idem, Epist. 190.

Assignata est homini Justitia aliena, quia caruit sua.

DISPUTATIO XXXIV.

DE

Bonis Operibus.

Praeside D. JOHANNE POLYANDRO.

Respondente JOHANNE BACKER.

Thesis I.

Fructus fidei convenientes resipiscentiae, sunt sancta et bona opera, quae ex semine regenerationis ac radice fidei justificantis nuperrime explicatae, enascuntur.

II. Sunt autem bona opera regeneratorum actiones, quae fiunt juxta Legis divinae praescriptum, ex fide per caritatem efficaci, ad electionis et vocationis nostrae confirmationem, proximique aedificationem, ac Dei gloriam.

III. Quae bonorum operum definitio, nec ad primos nostros parentes in statu innocentiae, nec ad eorum posteros Judaeos et Gentiles in statu corruptionis positos accommodanda est. Non ad illos, quoniam opera ipsorum ante lapsum, non ex fide justificante, sed ex justitia originali ipsis concreata proficiscebantur; nec ad hos, quia justitia illa originali per Adami lapsum destituti fideique in Christo radicatae expertes, ex sese fructus vere bonos proferre nequeunt.

IV. Causa efficiens hujusmodi operum, aut primaria est, aut secundaria. Primaria, seu κύριον αἴτιον, est solus Deus. Nam ut solus est Deus, ita ab ipso solo omne bonum primo descendit, Jac. 1, 17. Isque vel absolute, vel relate consideratur. Relate quidem, quatenus tres personae divinae, non minus ad haec opera, quam ad alia, quae ad extra vocantur, producenda essentialiter sunt conjunctae, et pariter coordinatae.

V. Quamvis ergo Deus Pater cum Filio cor hominis animalis in malo obfirmatum per Spiritum Sanctum emolliat, atque ad novam obedientiam legi suae conformem inflectat, nequaquam tamen Spiritus Sanctus in hac actione Patri et Filio, tamquam causa instrumentalis principali, aut inferior superiori inservit, sed coaequali ad eam potestate cum utroque concurrit. Interim quia Spiritus Sanctus in hac actione personarum divinarum ordine postrema est, nobisque proxima, idcirco nostra bona

opera fructus ipsius κατ' ἐξοχὴν ab Apostolo nominantur, Gal. 5, 22. Ephes. 5, 9.

VI. Causa secundaria, est homo per Spiritum Sanctum renovatus, qui bona opera ex suo corde, tamquam ex proprio principio, ac thesauro domestico foras producit. Hinc regeniti opus Dei vocantur conditi in Christo Jesu ad bona opera, quae praeparavit Deus, ut in iis incedant, Ephes. 2, 10.

VII. Haec causa ita pendet a praecedente, ut nullum opus bonum absque ea inchoari, aut confici possit. Siquidem opera quae a Deo inchoantur, ab eodem in nobis perficiuntur, et sicuti Spiritus Sanctus gratia sua praeveniente novas nobis vires largitur, ut velimus et possimus bene operari; sic gratia sua subsequente efficit ut reipsa bene operemur. Utrumque Augustinus his verbis concinne exprimit, Certum est nos renatos velle quae volumus, sed ille facit ut velimus, qui operatur velle. Certum est nos facere quae facimus, sed ille facit ut faciamus, qui operatur efficere, August. de Grat. et lib. arbit. cap. 16.

VIII. Proinde bona opera, quatenus Spiritus Dei ea non ex nostra, sed ex propria sua virtute in nobis operatur, ipsi soli sunt ascribenda; quatenus vero eadem sic operatur, ut et nos ea operemur, nostra quoque, ut recte monet Augustinus, sunt nuncupanda. Vide Augustinum homil. 93. de Tempore. E contrario, cum Spiritus Sanctus mala bonis nostris operibus admixta non efficiat, sed ea ex carnis vitio in hac vita nobis inhaerente promanent; non ea Spiritui Sancto, sed nobis solis attribui debent, ut ibidem monet Augustinus.

IX. Causa instrumentalis, aut interna est, aut externa. Instrumentalis interna est fides, per quam Deus corda nostra emundat, nosque Christo, non secus ac palmites, viti inserit, ut in ipso radicati, fructum multum proferamus, Act. 15, 9. Joh. 5, 15. Col. 2, 7. Unde fides Abrahami operum ipsius administra fuisse dicitur, Jac. 2, 22. et perseverantia in fide Jesu Christi, cum mandatorum Dei observatione conjungitur, Apoc. 14, 12.

X. Instrumentalis externa, est verbi praedicatio, cujus ministerio Deus nos ad vitae novitatem fidei nostrae convenientem adhortatur atque impellit. Ideo Christus Evangelii sui praedicationem comparat cum semine, ac regenitos cum terra bona et ferace, Luc. 8, 15. ubi eos verbum auditum in corde honesto

ac bono retinere, fructumque per tolerantiam afferre asserit.

XI. Materia simul et norma bonorum operum est, quicquid Deus noster Legislator nobis in Verbo suo praescribit, cujus epitome est lex moralis, index boni, quod Deus jubet atque ipsi placet, et mali, quod vetat ipsique displicet. Quam legem Deus per Prophetas in Vetere, per Christum ipsiusque Apostolos in Novo Testamento plene interpretatus est, ac ratione diversarum circumstantiarum, tum ad generalem totius suae Ecclesiae, tum ad particularem quorundam institutionem perfecte adaptavit.

XII. Quemadmodum Deus est unicus Legislator, qui potest servare ac perdere, Jac. 4, 12. ita totum jus nobis creaturis suis normam pietatis, honestatis ac justitiae proponendi sibi vendicat, cum ait, Deut. 12, 32. Unamquamque rem quam ego praecipio vobis, eam observantes facite; nec addito ei, nec detrahito ab ea. Et Ez. 20. 18, 19. In statutis Patrum vestrorum ne ambuletis, et jura illorum ne observetis. Ego sum Jehova Deus vester, in statutis meis ambulate, et jura mea observate. Ex quibus constat, non nisi mandata ab ipso Deo opera esse facienda, ac pro bonis habenda.

XIII. Ex bonorum igitur operum numero merito excluduntur, quae secundum traditiones Pontificiorum ex bona fiunt intentione, atque ἐθελοθρησκείᾳ seu cultu voluntario, tametsi aliquam sapientiae et submissionis animi rationem habeant, splendidoque Apostolicae atque Ecclesiasticae institutionis titulo adornentur, Esa. 29, 13. Matt. 15, 9. Col. 2, 22. 23. Cujus generis sunt vota et jejunia monastica, cultus Sanctorum, peregrinationes ad eorum monumenta, et similia, quae nullam cum operibus pietatis cognationem habent.

XIV. Omnia enim opera pietatis lege Dei praescripta ad adorationem solius Dei, at Sanctorum cultus et invocatio ad creaturarum quoque venerationem religiosam referuntur. Adhaec, omnia pietatis opera lege Dei imperata, sunt absolute bona et necessaria, ab omnibus et singulis hominibus praestanda; at Monachorum vota sunt (ipsis Pontificiis confitentibus) arbitraria, paucisque tantum, qui sponte se ad ea obligant, praestabilia, etiamsi ab istis cum majoris meriti ac praemii promissione exigantur.

XV. Forma bonorum operum est ἐννομία, seu exacta, omni-

busque suis partibus cum norma legis divinae ἁρμονία vel congruentia, tum quoad eorum integritatem integram, tum quoad speciem eorum externam. Cum enim Deus sit καρδιογνώστης, secundum veritatem judicans, et lex ipsius spiritualis, non tantum quoad dicta et facta, sed etiam quoad cogitata et desideria, nostras actiones legi Dei conformes esse oportet, Rom. 2, 2. 7. 14. Phil. 1, 10.

XVI. Fines bonorum operum sunt tres. Quorum primus ad nos spectat, testificatio scilicet nostrae erga Deum gratitudinis, qua nostra simul electio et vocatio in nobis confirmantur, Rom. 12, 1, 2. 1 Cor. 6, 19. 20. 2 Pet. 2, 5. 9. 10. Etenim de nostra electione et vocatione ex bonis operibus tamquam ex hostiis Deo acceptis, fideique justificantis notis indubitatis, de nostra electione atque adeo vocatione ad salutem, certiores reddimur, ut liquet ex hac Petri admonitione, 2 Pet. 1, 10. Quapropter fratres studete vocationem et electionem vestram firmam efficere; haec enim si feceritis, nunquam impingetis. Nec non ex Christi promissione, Joh. 15, 8. qua auditores Evangelii ex fructibus bonorum operum certo cognituros pollicetur, quod germani ipsius sint discipuli ac palmites, ipsi vere in aeternum insiti.

XVII. Secundus finis est proximi aedificatio, sive sit fidelis, sive infidelis. Cum enim bene faciendo, aliis ἀπρόσκοποι, id est, sine offendiculo praeimus, fideique nostrae sinceritatem palam ostendimus, tum fidelis in eadem fide nobiscum confirmatur; infidelis autem, vel ad eam allicitur, vel pudefit, si bonam nostram in Christo conversationem nihilominus incessit, 1 Cor. 10, 32. ut Lactantius eleganter colligit, Lib. 5. instit. cap. 9. Cum videant, inquit, infideles et se et suos ea quae diximus gerere, nostros autem nihil aliud operari nisi aequum et bonum, poterant si quid saperent, ex hoc intelligere, et illos qui bonum faciunt, esse pios, et se impios qui nefanda committunt; neque enim fieri potest, ut qui in omnibus vitae suae actionibus non errant, in summa errent, id est in religione, quae rerum omnium caput est.

XVIII. Tertius finis atque ultimus, cui duo praecedentes subordinantur, est Dei gloria. Sunt enim regeniti in hoc mundo ac medio nationis pravae a Deo constituti, non tantum ut ipsi

irreprehensi et sinceri Deum, tam operibus, quam ore suo glorificent, sed ut, tamquam luminaria, alios omnes luce bonorum suorum operum ad Deum glorificandum provocent, Matt. 5, 16. Phil. 2, 15. Joh. 15, 1. Atque hic finis cum praecedentibus nexu individuo conjunctus, cum iisdem bona opera suo ordine sequitur, et propterea communi cum illis nomine, nunc illorum fructus, nunc usus, nunc effectus appellatur.

XIX. Ad illam bonorum operum definitionem abunde explicatam, si morales ac civiles Gentilium virtutes examinentur, nequaquam, ceu bonae, apud Deum laudari a nobis possunt, aut debent, cum nulla pars illius definitionis ipsis conveniat. Nam neque ipsorum virtutes a Spiritu regenerationis proficiscuntur, cum sint carnales, neque ex fide justificante, sine qua impossibile est Deo placere, cum Christi justitiam, aut ignorent, aut repudient; neque ex vera caritate, cum haec sit fidei manus, qua agit, quae Deus lege sua efflagitat; nec ea ab ipsis fiunt propter Deum, qui est finis universalis, et cum aeterna operantium salute conjunctus, sed propter finem aliquem particularem, qui cum ipsorum vita in hoc seculo terminatur, nimirum, aut ad lucrum, aut ad favorem popularem, aut ad honores civiles sibi comparandos.

XX. Non tamen infidelium virtutes sunt absolute aut per se malae, sed secundum quid et per accidens. Bonae enim sunt materialiter, ac nude consideratae; malae sunt radicaliter et formaliter. Radicaliter, quatenus ex malo et impuro corde emanant; formaliter, quatenus aliter fiunt, quam oportet.

XXI. Propterea Cyprianus virtutes Gentilium infidelium falsas vocat virtutes, Hieronymus vitiosas, Augustinus ad enunciatum Pauli respiciens, Rom. 14, 23. ipsum peccatum, cum ait: Quantumlibet opera infidelium praedicentur, Apostoli sententiam veram novimus, omne quod non est ex fide, nempe ex mandato Dei, et justitiae Christi innitente, peccatum est. Si Gentilis nudum operierit, nunquid quia non est ex fide, peccatum est? Prorsus, in quantum non est ex fide, peccatum est; non quia per se ipsum factum, quod est nudum operire, peccatum est, sed tali opere non in Domino gloriari, solus impius negat esse peccatum. Cyp. Lib. 1. de bono patientiae. Hieron. cap. 3. ad Gal. August.

de gestis Palaestinis, cap. 14. et contra Jul. Lib. 4. cap. 3.

XXII. Verum enimvero eaedem ob alios respectus, partim bonae sunt, partim malae. Bonae, quatenus vi Spiritus pravitatem ipsorum internam comprimentis, utiles sunt ad vitae praesentis honestatem, ad consequendam benedictionem temporalem, et mitigationem poenae aeternae; Malae, quia inutiles sunt ad obtinendam vitam sempiternam. Quod August. Romanorum exemplo illustrat, in Epist. ad Marcellinum, Rempublicam, inquit, primi Romani constituerunt auxeruntque virtutibus, etsi non habentes veram pietatem erga verum Deum. Ac Deus sic ostendit in opulentissimo et praeclaro imperio Romano, quantum valerent civiles etiam sine vera religione virtutes, ut intelligeretur hac addita fieri homines cives alterius civitatis, cujus rex est veritas, lex, caritas, modus, aeternitas. Et contra Jul. Lib. 4. cap. 3. Minus Fabricius quam Catilina punietur, non quia iste bonus, sed quia ille magis malus; et minus impius, quam Catilina, Fabricius, non veras virtutes habendo, sed a veris virtutibus, non plurimum deviando.

XXIII. Adjuncta bonorum operum sunt tria, necessitas, integritas et dignitas.

XXIV. Necessitas bonis operibus multifariam attribuitur. Necessaria enim dicuntur, 1. Necessitate praecepti divini. 2. Necessitate medii ad Dei gloriam et salutem nostram ordinati. 3. Necessitate cultus et obsequii Deo ex obligatione nostra naturali debiti. 4. Necessitate bonae et tranquillae conscientiae, de sua electione et vocatione ad salutem sibi probe consciae. 5. Necessitate officii caritatis proximo praestandi.

XXV. Necessitatem efficientiae, quam Pontificii praecedentibus adjungunt, ut spuriam repudiamus, quia bona opera nec ad salutis inchoationem, quae consistit in remissione peccatorum, nostraque cum Deo reconciliatione, nec ad ejus consummationem, quae posita est in aeterna glorificatione, ac plena immortalitatis futurae fruitione, veluti causae efficientes, sunt necessaria. Nam nostram per fidem coram Deo justificationem consequuntur, atque haereditatem nobis in coelis paratam tantummodo, ut via ac conditio in haeredibus requisita, praecedunt.

XXVI. Nec contrarium ex ipsis Sacrae Scripturae locis, quibus Pontificii ad astruendam suam commentitiam sententiam abutuntur, probari potest: quorum alia qualitatem indicant, vel conditionem ab iis requisitam, quibus vita aeterna promittitur, Hebr. 10, 36. etc. alia fidei notam et viam, qua ad vitam aeternam pervenitur, ut Matt. 25, 35. Jac. 1, 25. et 2, 14. alia fructum et effectum inchoatae salutis, atque in peccatorum remissione consistentis, ut Luc. 7, 47. etc.

XXVII. Integritas bonorum operum est, qua omnia quae Deus lege sua a nobis postulat, ex puro et toto corde, atque ex omnibus viribus nostris praestamus, quae alio nomine perfectio integritatis et partium nominatur.

XXVIII. Aliam perfectionem, nempe graduum, nec Sacra Scriptura, nec experientia agnoscit. Utraque enim testatur, etiam sanctissimorum hominum opera in hac vita deprehendi imperfecta, variisque naevis aspersa, si ad perfectionem illam, quam lex Dei a nobis efflagitat, exigantur.

XXIX. Scriptura sanctorum hominum fidelium opera, triplici potissimum de causa imperfecta esse declarat. 1. Ob regenerationis eorum statum, et modum in hoc seculo, qui talis est, ut nova quotidie capiat incrementa, neque ad extremum perfectionis gradum ante extremum hujus vitae halitum perveniant. 2. Ob reliquias pravae concupiscentiae ipsis vitio carnis perpetuo adhaerentis. 3. Ob assiduam luctam inter carnem et spiritum, tanquam inter hostes in eodem campo concertantes, ex quorum mutuo conflictu mixtae utrimque actiones oriuntur, quae ex intentiore qualitate, vel spiritus, vel carnis opera vocantur.

XXX. Ob has causas Prophetae et Apostoli passim attestantur, nullum omnino merum hominem reperiri qui praecepta legis, ad eam quam exigit mensuram, impleat, Ps. 143, 2. Rom. 7, 7. et seq. Rom. 8, 3. Jac. 3, 2.

XXXI. Contrarium perfectionarii sustinent, ac sigillatim Pontificii, qui tantas regenitis vires ascribunt, ut eas non tantum legi divinae implendae pares, sed etiam ad plura, et magis ardua quam lex efflagitat, nempe ad opera supererogationis praestanda, sufficientes esse affirment.

XXXII. Ne autem absque Scriptura loqui videantur, quam plurima illius proferunt testimonia, ex quibus perperam haec

tria consectaria eliciunt, 1. Legis observationem sanctis in hujus vitae stadio esse possibilem. 2. Opera carnis, quae justis sanctorum operibus admiscentur, non esse peccata mortalia legi repugnantia, sed delicta venialia praeter legem commissa, ac proinde justitiae ipsorum legi consentaneae non officere. 3. Sanctos plura et majora praestare posse, quam ex legis praeceptis teneantur.

XXXIII. Testimonia Scripturae quibus primum suum consectarium probare satagunt, ab ipsis perperam citari, his demonstramus argumentis. Primo, quod nusquam locorum ab ipsis productorum agatur de mandatorum Dei observatione, aut justitia sanctorum universali legi divinae secundum graduum perfectionem ad amussim respondente; sed alia loca testentur de studio et conatu obedientiae universalis, seu de justitia inchoata, gradibus quidem incompleta, sed legi, quoad animi sinceritatem, omnesque obedientiae partes, conformi, ut Jos. 12, 15. 1 Reg. 14, 8. 2 Reg. 23, 25. 2 Chron. 15, 12. Ps. 119, 11. Luc. 1, 6. Act. 13, 22. Alia vero de justitia sanctorum particulari, aut causae, ut Ps. 7, 27. et 119. aut facti, ut Ps. 106, 30. Secundo, quod alia agant de illorum officio qui ad perfectionem justitiae universalis aspirare tenentur, ut Joh. 14, 21. Rom. 13, 8. Gal. 5, 14. Col. 4, 12. 4. Alia de majore provectiorum prae ceteris progressu, vel in cognitione fidei, ut 1 Cor 2, 6. Hebr. 5, 14. vel in ejus praxi, ut Phil. 3, 15. Jac. 3, 2. Tertio, quod promptam crucis tolerantiam nobis commendent, ut et alacrem mandatorum Dei exsecutionem, Matt. 11, 30. 1 Joh. 5, 3.

XXXIV. Quam prave secundum Pontificiorum consectarium ex Apost. Johannis testimonio, 1 Joh. 3. 9. deducatur, ipsa illius loci collatio cum sequente, 1 Joh. 5, 8. ostendit. Posteriore enim loco Apostolus sui ipsius interpres, priorem non de quovis peccato, sed peculiariter de peccato ad mortem accipiendum esse innuit; cum regenitos illius peccati immunes esse asseverat, alioqui prior Apostoli enunciatio, nimirum 1 Joh. 3, 9. esset contradictoria superiori, 1 Joh. 1, 8. qua neminem peccati expertem esse asserit.

XXXV. Tertium ipsorum consectarium falso quoque nititur fundamento. Nam sicuti Scriptura mandata Christi singularia, quae ratione muneris aut doni singularis quibusdam tantum praescribuntur, nullibi vocat consilia mandatis legis moralis

perfectiora: sic nec opera pietatis, aut continentiae aut caritatis ab iis solis qui ea acceperunt, praestanda, uspiam opera supererogationis nuncupat, sed officia, vel Deo juxta primam, vel proximo juxta secundam decalogi tabulam debita, ut in sequente disputatione de votis ostendemus.

XXXVI. Dignitas bonorum operum, non ex illorum merito, uti volunt Pontificii, sed ex sola Dei gratia, ut docet Evangelium, aestimanda est. Nam si Deus illa secundum legis suae rigorem examinaret, censura potius ob imperfectionem suam digna essent, quam favore ac beneficio ipsius; quae Deus tamen propter Christum Filium suum dilectum, omnes nostras infirmitates, sua justitia perfecta contegentem, nostraque opera ut fructus Spiritus in nobis per fidem operantis ipsi nostro nomine offerentem, ex throno gratiae suae paternae acceptare, gloriaque aeterna coronare dignatur.

XXXVII. Praeterquam quod opera nostra ex interna sua dignitate nihil apud Deum mereri posse ex ipsorum imperfectione liquido apparet, idem 4. rationibus sequentibus probari potest. Quarum prima est, quod opera illa ad praemium futurae vitae promissum, nullam aequalitatis proportionem habeant, cum illa sint finita et temporaria, istud autem infinitum atque aeternum.

XXXVIII. Quocirca si Apostolus Paulus momentaneas sanctorum martyrum, ob nomen Christi perpessiones coelestis gloriae remuneratione modis infinitis praeponderari asseverat, Rom. 8, 18. idem de eadem remuneratione nostris promissa actionibus, quae minoris, quam S. Martyrum perpessiones sunt faciendae, multo magis affirmari debet; ac tantum abest, ut ex isto Apostoli effato distinctio Pontificiorum inter meritum de congruo ac condigno recte erui possit, ut nullum ad eam evertendam sit accommodatius. Etenim si inter opera ac pretium regni coelestis nulla datur aequalitatis analogia, nec illa meriti, neque hoc compensationis ex justitiae aequabilis aestimatione tribuendae rationem habet.

XXXIX. Secunda ratio est, quod opera bona, quatenus sunt bona, a Spiritu Sancto (ut antea declaravimus thesi 7.) proficiscantur, eoque nostra proprie non sint opera, sed gratuita Dei dona quae a nobis prolata, ipsi idcirco sunt accepta, quod ea non ex nobis, sed ex ipso habeamus, eaque tamquam Spiritus

ipsius organa ipsi offeramus, ut recte observavit Augustinus Hom. 39. de Tempore.

XL. Tertia ratio est, quod nostra opera sint debita, quae Deus, ut supremus atque unicus dominus, cui nos nostraque omnia debemus, a nobis jure exigit; si opera nostra Deo ut domino nostro debentur, iis sane nihil apud Deum promereri possimus, atque e contrario si sunt meritoria, non sunt ex jure dominii ipsi debita. Atqui ea ex jure dominii Deo deberi Christus hac monstrat similitudine a servo desumpta, Luc. 17, 9. 10. Num Dominus gratiam habet servo qui fecit, quae ipsi praecepta fuerant? non puto. Ita et vos, cum feceritis omnia, quae praecepta sunt vobis, dicite, servi inutiles sumus; nam quod debuimus facere, fecimus.

XLI. Quarta ratio est, quod nostris operibus nihil Domino Deo largiamur, quod ipsius benignitatem sic praevertat, ut aliquid ipsi accedat, cujus beneficio se nobis obstrictum censeat. Quae ratio a Christo cum proxime praecedente conjungitur, Luc. 17, 10. cum ait nos hoc respectu esse Dei servos inutiles; eademque nobis ob oculos ponitur, Job. 35, 7. Si justus es, quid das Deo? aut quid e manu tua accipit? Et. 41, 2. Quis praevenit me, inquit Dominus, et rependam? Quicquid subest toti coelo, meum est. Item Rom. 11, 35. Quis prior dedit ei, et reddetur ei. Nam ex eo, et per eum, et in ipsum sunt omnia.

XLII. Quibus addi potest, quod non minus vox ipsa, meritum, quam doctrina meritoria sit nova, nec unquam ab ipsis Dei amanuensibus θεοπνεύστοις usurpata. Quamvis Ecclesiasticus non sit ex horum numero, ideoque nec apud nos testis sit αὐτόπιστος, hoc tamen monebimus, quod vox ab ipso posita, cap. 16. v. 14. nimirum, ἔργα, opera denotet, non autem merita, ut censent Pontificii, qui pravam Latini interpretis versionem sequi malunt, quam genuinam textus originalis interpretationem a nobis monstratam amplecti, sicuti ex loco quoque ad Hebr. 13, 16. apparet, ex quo ut meritum suum de condigno exstruant, verbum εὐαρεστεῖται, malunt exponere cum vetere interprete per verbum promeretur, quam nobiscum per verbum delectari, tametsi hoc potius, quam illo, Apostoli mentem exprimi, nemo Graecae linguae peritus, simulque orthodoxus negaverit.

XLIII. Non minus absurde vox, merces, quae saepissime in sacris literis reperitur, ad stabiliendum idem meritum affertur, cum nunquam salus animarum, aut vita aeterna nostris operibus tamquam merces debita, sed tamquam remuneratio indebita ac gratuita in Evangelio promittatur, ideoque nunc finis fidei, ut 1 Pet. 1, 9. nunc donum Dei, ut Rom. 6, 23. nunc denique haereditas, nobis ex gratia adoptionis Christi cohaeredibus in coelis servata, appelletur, ut 1 Pet. 1, 4.

XLIV. Ad istam remunerationem Moses oculis fidei respexit, qua Christi nixus probro expiatorio, secundum gratuitam Dei promissionem Abrahamo seminique ipsius factam, majores probri illius arbitratus est divitias, quam Aegyptiorum thesauros, Hebr. 11. 26.

XLV. In eandem remunerationem nobis in hoc deserto salebroso peregrinantibus licet intueri, modo eam, non ut stipendium, mercenariorum more, sed ut haereditatem nobis gratuito assignandam, sicuti servos decet pro filiis adoptatos, a Domino ac Patre nostro coelesti exspectemus, dulcique hujus exspectationis solatio aerumnas vitae praesentis diluamus.

XLVI. Eadem quidem remuneratio nobis ab Apostolo, 1 Cor. 9, 24. ut τὸ βραβεῖον, seu praemium coronae incorruptae proponitur, ut ejus moti contemplatione stadium nostrum alacrius decurramus, sed quale sit illud βραβεῖον, ostendit Phil. 3, 14. supernae scilicet vocationis Dei, vires nobis in Christo Jesu ad cursum nostrum fortiter ac constanter peragendum suppeditantis. Quae Dei vocatio cum sit gratuita, effectum quoque ac scopum illius, nimirum praemium coronae aeternae, gratuitum esse oportet.

XLVII. Nec obstat, quod idem Apostolus coronam illam incorruptam definit coronam justitiae sibi in coelis repositam atque a Christo justo Judice illustris adventus ejus die reddendam, 2 Tim. 4, 8. Non enim coronam illam secundum ridigam operum aestimationem sibi a Christo reddendam esse intelligit, secundum quam se justificatum esse pernegat, 1 Cor. 4, 4. tametsi nullius flagitii sibi esset conscius; sed secundum analogicam veritatis regulam qualitati operis cujuslibet, boni aut mali, correspondentem, quod aliis in locis parallelis distincte atque ἀντιθετικῶς, seu ex oppositis, explicatur, ut Rom. 2, 7. 8. Reddet Deus unicuique secundum opera ipsius. Iis

quidem qui sunt perstantes, boni operis gloriam: rixosis vero et veritati non obtemperantibus, sed injustitiae, excandescentiam, iram, etc. 1 Thess. 5, 6. 7. Justum est apud Deum, vicissim reddere iis qui affligunt vos, afflictionem, vobis vero qui premimini, relaxationem nobiscum, quum patefiet Dominus Jesus de coelo.

XLVIII. Neque ex hujusmodi relatione, tam ad fidelium quam infidelium opera, utraque esse meritoria vere colligitur, quandoquidem Christus infidelium operibus poenam injustitiae secundum legem ex summo jure, fidelium vero operibus coronam justitiae secundum Evangelium ex pacto gratuito retribuet, ut non minus suam justitiam fideli promissae beatitatis praestatione, quam misericordiam, benigna ejus nunciatione, patefaciat, Hebr. 6, 10 et 10, 23. 1 Joh. 1, 9.

XLIX. Patres orthodoxi voces meriti ac merendi usurpantes,

1. Vocem meriti in utramque partem, pro opere bono, aut malo accipiunt, ut videre est apud Augustinum, Epist. 46. ubi malum impiorum meritum a bono piorum merito discernit.

2. Vocem mereri sumunt pro impetrare, vel consequi, ut in gestis Collat. Carthagin. cognitione 3. articul. 258. Ut omittamus, quantus sanguis Christianus effusus sit per Leontium, Ursatium, Macarium, ceterosque executores quos in Sanctorum necem a Principibus seculi meruerunt. Et Dominica Prima de adventu Domini, Excita, quaesumus, Domine, potentiam tuam et veni, ut ab imminentibus peccatorum nostrorum periculis te mereamur protegente eripi, liberante salvari.

3. Ne quis ex earum vocum abusu internam dignitatem meritoriam bonis operibus affingat, ea Dei potius commiseratione, quam vitae aeternae compensatione digna esse aliquoties affirmant. Vide August. in Ps. 49. et 61. Et Bernard. Serm. 67. Cantic.

L. Quocirca eo graviore censura digni sunt Pontificii, quod non solum ex dictis Sacrae Scripturae, sed etiam Patrum antiquorum prave detortis, dogma suum de bonorum operum meritis elicere non verecundentur. Nos iis valere jussis, miserationem Dei nostrum esse meritum cum Bernardo ex praecedentibus argumentis concludimus.

DISPUTATIO XXXV.

DE

Libertate Christiana.

Praeside D. ANDREA RIVETO.

Respondente JACOBO HENRICO.

Thesis I.

Cum in praecedentibus disputationibus actum sit de redemptione per Christum parta; ejusdemque per fidem salvificam applicatione, omnibus per Christi meritum redemptis ex servitute peccati et mortis; et de sanctificatione justificatorum, eorundemque gratitudine in exercitio bonorum operum: sequitur, ut congruo ordine, instituamus συζήτησιν de vera Christiana, seu Evangelica libertate, cujus participes fiunt omnes ad quos fructus passionis Christi pertinent.

II. Hujus doctrinae necessitatem talem esse agnoscimus, quae nisi teneatur, nec Christus, nec Evangelii veritas, neque interior pax animae, recte cognosci, aut interno et serio sensu percipi poterit; nec aliquid conscientia sine haesitatione aggredietur; nec justificationis vis sufficienter intelligetur. Est igitur danda opera, ne doctrinae pars adeo necessaria supprimatur; et ita nihilominus explicetur, ut iis qui libertatis nomine abutuntur, quo in libidinum motus insanos et effrenatam licentiam se proripiant, omnis cavillandi et insolescendi ansa praecidatur.

III. Libertatis in genere natura, ex contrario suo dignosci debet, nempe Servitute, quae sonat conditionem quandam subjectionis vilis ac miserae, sive subjectio fuerit voluntaria, sive coacta. Hinc est quod homines distinguuntur in servos et ingenuos, quorum illi vel jure belli, vel nativitate, vel justa condemnatione, vel emptione in alienam potestatem devenerant, juris constitutione; hi autem qui nati erant liberi, nec unquam servierant, quales se profitebantur Judaei, Joh. 8, 33. Semen Abrahae sumus, neque cuiquam servivimus unquam, quomodo tu dicis, liberi reddemini? Inter istos medii incedebant liberti, qui desierant esse servi, et quos Domini ex justa servitute manumiserant.

IV. De civili et corporali illa servitute non agitatur a nobis

quaestio, ut nec de contraria libertate; ex quibus tamen verba et phrases quasdam desumimus, ad explicandam spiritualem servitutem et libertatem, de qua Dominus, Si Filius vos liberos reddiderit, vere liberi eritis, Joh. 8, 36. quae cum in manumissione et liberatione consistat, sequitur neminem nasci liberum, sed fieri, et nullum hominem purum esse spiritualiter ingenuum, sed libertos esse, quicumque libertate fruuntur.

V. Fuit autem servitus spiritualis multiplex, postquam primus homo naturali sua libertate abusus, eam sibi et posteris amisit; et factus est servus hujus, cui derelicto Deo obedivit, peccati nempe, cui mancipati omnes tenentur, tam secundum reatum condemnationis, quam secundum dominium. Hinc Satanae potestas et dominatio in filios rebellionis, quae nulla esset nisi a peccato ortum haberet. Hanc servitutem secuta est ejusdem velut declaratio et manifestatio, quae et ipsa servitus dicta est; quando Deus legem moralem pene in animis hominum obliteratam, saltem valde obscuratam, de novo sanciens, rigidam illius exactionem proposuit; ut homo dominantis peccati tyrannidem ex eo cognosceret, quod de praestanda legis conditione illi esset desperandum. Accessit lex ceremonialis, qua merita condemnatio obsignabatur variis typis, quibus homo de reatu convictus, maledictionem extremam exspectaret, nisi liberationis ope redimeretur.

VI. Huic peccati servituti per legem contestatae, accedit Servitus vanitatis et miseriae, tam in hoc seculo, quam in futuro. Cui multiplici servituti, opponitur triplex libertas, nempe 1. Naturae, sive innocentiae, qualis fuit in Adamo. 2. Gratiae, qualem fideles coelestis vocationis participes in hac vita percipiunt. 3. Gloriae, qua liberabuntur post hanc vitam ab omni servitute corruptionis et miseriae.

VII. Libertati mediae, quae gratiae libertas est, qua donantur in Christo, qui in se, metu mortis per omnem vitam obnoxii erant servituti, Hebr. 2, 15. Libertatis Christianae nomen specialiter attribuimus, eamque describimus, conditionem hominum quos gratia Christi liberavit, qua conscientiae eorum a servitute peccati, tyrannide Diaboli, legis moralis exactione et maledictione, et ceremonialis observatione exemptae, excusso traditionum humanarum jugo, rebus mediis,

adhibita fidei cognitione, et caritatis prudentia, extra scandalum indiscriminatim utuntur; ut qui non acceperunt spiritum servitutis ad metum, sed spiritum υἱοθεσίας, Rom. 8, 15. sponte et alacriter tam animo quam corpore Deo serviant, ad laudem gloriosae ipsius gratiae, suamque sempiternam salutem.

VIII. Hujus libertatis causa efficiens princeps est Deus Pater, qui idoneos nos fecit ad participationem sortis Sanctorum in lumine, Col. 1, 12. Filius mediator Dei et hominum qui nos liberavit, Gal. 5, 1. et Spiritus Sanctus utriusque συνεργὸς, qui ubicunque habitat, libertatem secum affert, 2 Cor. 3, 17. Causa προηγουμένη est gratia et φιλανθρωπία Dei in Christo, Luc. 1, 72. et 74. προκαταρκτικὴ, est Christi meritum et satisfactio, in quo habemus ἐλευθέρωσιν ἀπο τῆς ἁμαρτίας, Rom. 6, 22. et ἀπολύτρωσιν ἐκ τῆς ματαίας ἀναστροφῆς πατροπαραδότου, 1 Pet. 1, 18. quae non facta est argento vel auro, sed pretioso ejus sanguine, quo omnis operis humani meritum excluditur.

IX. Efficiens instrumentalis duplex est: Ex parte Dei, veritas Evangelica, qua libertas offertur per praedicationem, Jerem. 34, 15. et cui liberatio attribuitur, Joh. 8, 32. Ideo Evangelii praedicatio, ministerium reconciliationis appellatur, 2 Cor. 5, 19. Instrumentum autem homini necessarium et per spiritum et verbum ingeneratum, est fides viva, qua adducti sumus in hanc gratiam in qua stamus, Rom. 5, 2.

X. Materia in qua, sive subjectum, est omnis credens in Christum, et ad eum tamquam liberatorem confugiens, sive Graecus, sive Judaeus, sive mas, sive femina, etc. i. cujusvis sexus, conditionis, nationis, etc. in Ecclesia Novi Testamenti. Nam ad ejus membra pertinet proprie libertas Christiana per omnes suos gradus, quorum (si omnes intelligantur) nemo ante Christum exhibitum, particeps fieri potuit. Si tamen gradus primos et praecipuos spectemus ad salutem omnino necessarios, et substantiam libertatis in se, eam fidelibus sub Veteri Testamento non negamus fuisse communicatam, etsi non ad eam mensuram qua Christo manifestato apparuit; quae etiam suo modo Christiana dici potuit, nam qui tunc τὸν ὀνειδισμὸν τοῦ Χριστοῦ portarunt, Hebr. 11, 26. Christum etiam libertatis spiritualis auctorem agnoverunt, cujus quia nobiscum fuerunt

participes, non male communis a quibusdam vocata est, ut ab ea distinguatur quae ad plenitudinem gratiae pertinens, specialiter Christiana libertas appellatur.

XI. Utriusque, tam communis illius et minus perfectae, quam perfectioris hujus, Materia circa quam, sive objectum, multiplex est, et ex ejus varietate diversi etiam gradus, aut (ut alii vocare malunt) partes, hujus libertatis statuuntur, 1. enim ea pro objecto habet peccatum, ejusdemque reatum, dominium, et ex eo, Diaboli tyrannidem. Acquiritur gradus ille libertatis a primaria illa servitute, per remissionem peccati cum non imputatur, et per mortificationem carnis cum non amplius dominatur. Item per immunitatem a morte secunda, cum lex spiritus vitae per Christum Jesum liberos nos reddit a lege peccati et mortis, Rom. 8, 2. Atque ita nulla est condemnatio iis qui sunt in Christo Jesu, ibid. v. 1.

XII. Huic libertati non obstat, quod peccatum adhuc in credentibus habitet et remaneat actu, 1 Joh. 1, 8. quia tollitur reatu, et ejus vires imminuuntur, ut regnum ei auferatur, Rom. 6, 12. Nam per Spiritus Sancti donationem liberantur piorum conscientiae a peccato, eatenus, ut non sint amplius ejus mancipia, sed milites et servi justitiae, Rom. 6, 14. et 7, 22. Nondum igitur sublata est pugna, sufficit si ademta sit hosti victoria. Qua de re quia in doctrina de Resipiscentia et Justificatione actum est, non est, quod pluribus eam persequamur.

XIII. 2. Versatur eadem libertas circa legem moralem, quatenus per illam affectus peccatorum vigent in membris ad fructificandum morti, Rom. 7, 5. cum nempe homini peccatori nullam spem salutis proponit, quam in exactissima mandatorum observantia, Hoc fac, et vives, Luc. 10, 28. quae durissima exactio totius legis implendae, cum ejusdem legis maledictione, si a nobis non perfecte observaretur, fuit conjuncta, Deut. 27, 26. Gal. 3, 10. Jugum hoc gravissimum fuit et ἀφέρατον, quod confregit Christus, facta translatione utriusque obligationis, tam execrationis ob non impletam legem, quam impletionis requisitae, in personam suam; in qua perfecte legem implevit, et factus est pro nobis execratio, Gal. 3. 13. Et Deus misso Filio de peccato damnavit peccatum, ut justitia legis impleretur in nobis, Rom. 8, 3. 4.

XIV. Non idcirco legem supervacuam esse docemus, quin potius doctrinam ejus immotam et obedientiam esse necessariam omnibus, statuimus, et eam demum veram libertatem agnoscimus, cum Deo secundum praescriptum legis ejus servimus. Propterea, in Scriptura liberum esse et Deo servire, verbis differunt quidem, sed reipsa idem sunt, 1 Pet. 2, 16. Et Paulus Rom. 6, 18. libertatem Christianam in servitute justitiae constituit. Est igitur pars libertatis, quod Spiritu Sancto donati, efficit in nobis, ut legem, etsi non omni, magna tamen ex parte, impleamus; et quod per carnis infirmitatem, vel omittimus, vel contra eam committimus, perfecta impletione, quae solius est Christi, nobis imputata, vel pro non omisso, vel pro non commisso habeatur.

XV. Etsi ergo liberi sint a lege renati, quatenus vel per eam quaeritur justificatio, vel quatenus condemnat: suos nihilominus apud eos usus habet, cum docet quae sint bona opera in quibus ambulare debeant, eosque dirigit ut intra metas recti itineris retineantur, dum carnis vetustatem reliquam in eis arguit, imperfectionem inchoatae in eis obedientiae accusat, et humilitatis argumenta suggerit, ne ad justitiae propriae persuasionem ferantur.

XVI. Ut ergo furores Antinomorum rejicimus, qui legem moralem ex Ecclesia proscribendam et eliminandam censent (sine cujus doctrinae, in ea, illibata conservatione, vel articulo de justificatione, vel doctrinae de bonis operibus, aut de originali peccato, vel de libero arbitrio, suam constare posse puritatem et integritatem negamus) sic jure de atroci Bellarmini calumnia conquerimur, qua nos libertatem Christianam in eo constituere, mentitur, quod homo justificatus fide, nulli legi subjaceat in conscientia, sed liber a debito legis implendae, omnia pro indifferentibus habeat, neque praeceptis, neque prohibitis, Lib. 4. de Justif. cap. 1. et 5.

XVII. 3. Libertatis omnium fidelium communis haec etiam pars fuit, et erit usque ad consummationem seculi, quod in rebus ad cultum Dei pertinentibus, et circa quas actus religionis, quos elicitos vocant, versantur, ab omni traditionum humanarum jugo liberas habeant conscientias; cum solius Dei sit, res ad religionem pertinentes praescribere, ac proinde in solum ejus verbum, quod ad cultum attinet, non ad humanas traditi-

ones sit attendendum. Nemini enim Deus concessit auctoritatem vel αὐτοκρατορικὴν vel νομοθετικὴν in hominum conscientias, ubi de cultu agitur, in quo Deus solus immediate conscientiam devincit, qui unus est legislator, qui potest servare et perdere, Jac. 4, 12.

XVIII. Quando autem de regimine proprie spirituali loquimur, quod totum Deo uni vendicamus (cum ad regnum spirituale pertineat, in quo Deus vicarium non admittit) nolumus quae de spirituali libertate dicimus perperam ad politicum ordinem trahi, ac si Christiani qui secundum spiritum liberi sunt, eximerentur propterea omni carnis servitute. Rejicimus enim fanaticos, qui praetextu libertatis Christianae, obedientiam omnem civilem excutiunt, cum per Paulum Deus ut obediamus magistratui praecipiat, non poenae solum metu, sed propter conscientiam, Rom. 13, 1. et 5.

XIX. Nec tamen ideo sequitur, politicis legibus, quae proprie humanae sunt, nec inter Dei leges habentur, directe et immediate obstringi conscientias, quod Pontificii contendunt, quia proprie et per se id conscientiam immediate obligat, quod propter Dei mandatum facere necesse est, etsi nullius creaturae mandatum aut respectus accederet. Talis non est materia propria legum humanarum, quas tamen concedimus obligare conscientias mediate, vi generalis mandati divini, quo praecipitur obedientia erga magistratum. Cum autem humana lex primo et per se non obliget, sed secundario et per accidens, falsum est dogma a Bellarmino propugnatum, L. 3. de memb. Eccl. milit. c. 11. Legem civilem non minus ligare in conscientia quam legem divinam, et omnem legem, a quocunque feratur, sive a Deo, sive ab Angelo, sive ab homine, eodem mode obligare.

XX. Hactenus de gradibus et partibus libertatis filiorum Dei, omnibus fidelibus, omni tempore, quatenus vel in Christum venturum crediderunt, vel in Christum exhibitum credunt, communibus, etsi secundum plus vel minus communicatis. Ad libertatem propriam temporibus Novi Testamenti pertinet vindicatio a servitute oeconomica legis ceremonialis, quae multiplex est secundum varios ejusdem legis respectus. Primo enim hoc habuit, quod fuit signaculum condemnationis peccatoris, et debiti nostri chirographum, Gal. 3, 21. impositum usque ad

tempus correctionis, Ebr. 9, 10., quod tempus impletum fuit Christo delente quod adversus nos erat, rituum chirographum, et illud e medio auferente, Coloss. 2, 14. Nam per ipsum sublata condemnatione, non debuit manere condemnationis signaculum.

XXI. Praeterea, cum ceremonialia praecepta specialiter spectaverint ad cultum Israëlitico populo convenientem, secundum significationem mysteriorum Christi venturi, Coloss. 1, 17. Ebr. 8, 4. et 10, 1. qua de causa jussus fuerat Moses facere omnia juxta similitudinem et exemplar in monte ostensum, Exod. 20, 4. veniente corpore, cessavit umbra, accedente prototypo, cessit typus, nec jam potest mysterium redemptionis, aut verbo, aut opere significari vere tamquam futurum; perinde enim esset mendacium in significatione operis, ac si quis jam verbis diceret, Christus est venturus et moriturus, etc.

XXII. Si vero eosdem ritus spectemus, quatenus Ecclesia Judaeorum in infantili aetate quae tutore opus habuit et paedagogo, sub elementis mundi in spe venturi Messiae custodita est, ut in fidem illius et ad illum deduceretur, idem Apostolus qui hunc legis ceremonialis usum edocuit, simul ostendit, in plenitudine temporis, missum fuisse Filium, etc. ut eos qui legi obnoxii erant, redimeret, Gal. 4, 1. et seqq. Itaque jam non esse servos, sed filios et haeredes per Christum, v. 7.

XXIII. Denique, si usum alium legis ceremonialis consideremus, quod ejus ritus fuerunt notae professionis, signa et distinctiones populi Israëlitici et politiae ejus Ecclesiasticae ab omnibus aliis gentibus, qua ratione velut septo ac maceria distincti fuerunt Israëlitae ab idololatricis aliarum gentium cultibus, Gen. 17, 1. 3. 14. Deut. 4, 8. Eph. 2, 14. tali respectui nullus amplius reliquus est locus, postquam gentes quae olim erant longinquae, propinquae factae sunt per sanguinem Christi, qui est pax nostra, qui fecit ex utraque unum, et intergerivi parietis septum solvit, etc. Eph. 2, 13. et seqq.

XXIV. Jure igitur damnati sunt olim veteres haeretici, qui hanc legem existimarunt non cessavisse, sed cum Evangelio perpetuo servandam esse, Cerinthus nempe, teste Epiphan. Haeres. 28. et August. Haeres. 8. Et Ebion, teste Irenaeo,

Lib. 1. cap. 28. ut et Ebionaei, et qui Nazaraei dicti fuerunt, apud Epiphan. haeres. 18. et August. haeres. 9. quibus non favet quod post resurrectionem Christi, Paulus circumcidit Timotheum, Act. 16, 3. et ex consilio Jacobi, ipse cum aliis, se Judaica ceremonia purificavit, Act. 21. vers. 16. qua in re nihil praejudicavit Christianae libertati, cujus alibi contra imprudens Petri factum, se assertorem strenuum declaravit, Gal. 2, 14.

XXV. Hic ergo est adhibenda distinctio, quam ab Augustino Schola Theologica mutuata est, potuisse nempe post Christum, ad usque sufficientem evulgationem Evangelii inter Judaeos, ceremonialia observari, non quidem tamquam Christum venturum praesignificantia, aut ex opinione necessitatis ad salutem; sed ut mandata a bono auctore profecta, per passionem Christi mortua quidem et evacuata, cum aliquo tamen honore sepelienda et ad sepulcrum deferenda. Post illud autem tempus non amplius id licuisse nec jam licere, nisi quis haberi velit sepulcri violator. Tunc quidem fuisse mortua, sed eo quo diximus sensu, et ut duo populi coalescerent, nondum mortifera. Postea vero et mortua et mortifera.

XXVI. Nec est quod quis excipiat, se auferre significationem, neque inducere necessitatem, et inde (quod fecit Cajetanus) Aethiopum superstitionem excuset, qui ad imitationem Christi, non ad significationem, circumcisionem observant. Id enim illicitum esse, etiam alii ex eadem schola recte sentiunt, non solum propter scandalum, sed etiam quia cultus ille, non tantum propter significationem Christi futuri, sed etiam propter modum, repugnat veritati et perfectioni Evangelii, per quem voluit Christus cultum illum antiquare; non tantum quia futurorum erat significativus, sed quia ad modum colendi Deum umbratilem et imperfectum pertinebat. Ad quam normam si examinentur pleraeque Pontificiorum ceremoniae, non minus erunt hoc tempore mortiferae, eoque magis quod ab hominibus ad cultum et ex opinione necessitatis sunt invectae.

XXVII. Quamvis autem Christiani a legibus ceremonialibus sint liberi, illarum tamen cognitionis usum non exiguum esse fatemur. Nam ut vaticinia Prophetarum de adventu Christi licet impleta sint, magno cum fructu in Ecclesia leguntur: sic Leviticae ceremoniae non minus utiliter investigantur et explicantur, ut quomodo Christus in illis cum omnibus suis benefi-

cris praefiguratus fuerit, intelligentes, inde hauriamus confirmationem fidei nostrae. Huc pertinet dictum Christi ad Judaeos, Joh. 5, 6. Si Mosi crederetis, crederetis etiam mihi, de me enim ille scripsit, nempe non tantum expressis vaticiniorum verbis, sed etiam praescriptis ceremoniarum ritibus et Christum adumbrantibus typis. Sic ex ritu sacrificiorum pro peccato, doctrinam de perfecta Christi satisfactione, contra novos Antichristos hodie propugnamus.

XXVIII. Ex his quae de lege ceremoniali Israëlitis data, dicta sunt, judicium fieri debet de Christianorum libertate circa leges judiciales Mosis, quae certe, quatenus datae a Mose, et tali populo, eatenus Christianos non attingunt, nec ligant. Id tamen observandum in legibus illis, admixta fuisse quaedam ceremonialia, quae prorsus hoc tempore sunt antiquata, sive in se, sive ratione analogiae. Cujusmodi fuit praeceptum de cadavere suspensi eodem die sepeliendo, ne terra pollueretur quam Jehova Deus noster in possessionem Judaeis tradiderat, Deut. 21, 22. Quod praeceptum inter ea reponendum est, cum similibus mixtis, quae ad Christum respexerunt, propriique typi ac destinati illius fuerunt, ac proinde hoc tempore mortiferi.

XXIX. Ad illa vero quae ceremonialia nullo modo sunt, quod attinet, iterum distinctione opus est. Sunt enim primo in lege forensi mandata quaedam immutabilia prorsus. Nam quicquid sancitum est, secundum principia universalia naturae, et rationem communem legis moralis ad commune bonum, sive jubendo, sive vetando, munerando aut puniendo, illud quidem in se constanter permanet, et quamvis non sit observandum ex vi politiae Mosis, tamen quatenus juris et rationis communis est, et ad naturalem legem pertinet, nulla occasione et pacto potest contingere, ut refigatur, aut ei cum ratione aliquis obloquatur, vel cum fructu adversetur, ac proinde ad id libertas Christiana se non extendit.

XXX. Sunt alia mere et absolute politica, eaque communia, quae etsi non mutentur ratione aut substantia, sed tum sibi in se ipsis constent, tum in analogia, secundum quam judicium fieri potest de causis consimilibus; in circumstantiis tamen, mutationes subeunt quam plurimas, et pro tempore, loco, personis, factis, modo, causis atque adjumentis, tum praeteritis, tum etiam praesentibus et futuris, publicis et privatis, variantur.

Talia multa quae in talibus circumstantiis, juris privati rationem habent, a Mose fuerunt statuta, quae determinata fuerunt singulari jure, ad modum Reipublicae Judaicae, hoc est personarum, actionum, et finis particularis, a quibus Christianos liberos esse, certum est.

XXXI. Si quae sint autem generis mixti, ut sunt nonnulla, moralia simul et politica, in his τὸ ἠθικὸν ἀπὸ τοῦ πολιτικοῦ ita distinguendum, ut quicquid morale est, permanere sentiamus; quidquid autem politicum, quoad singulares determinationes non astringere. Quibus rite perpensis sponte corruunt, quae ab Anabaptistis quibusdam et aliis fanaticis, exstructa fuerunt argumenta, quibus leges Romanas aut alias quascunque ex Christianorum Rebuspublicis eliminarent, ut in causis civilibus secundum leges Mosis forenses, judicandi necessitatem judicibus imponerent, quae sententia non solum periculosa et turbulenta, sed etiam falsa et stolida merito a doctis judicatur.

XXXII. Superest ut de alio gradu libertatis propriae Christianae agamus, seu de ea parte, quae versatur circa liberum exercitium et usum rerum indifferentium sive mediarum, id est, quae suapte natura nec bonae nec malae sunt moraliter, nec ulla lege prohibitae aut imperatae, ac proinde quibus vel bene, vel male uti, vel plane non uti quis possit; cujus partis cognitio perquam necessaria est, cum ad desperationem, tum ad superstitionem tollendam. Nam ubi hominum animi dubitatione sunt impliciti, dum controvertitur num his aut illis rebus Deus nos uti velit; cujus voluntas omnibus factis nostris praeire debet; nisi succurratur, facilis est in omnimodas superstitiones lapsus. Itaque cui scrupulus fuerit semel injectus in usu lanae aut lini, nec de cannabe postea securus erit; aut si luce divini verbi careat, et tamen scrupulis non moveatur, profana securitate, abjecto Dei timore, viam, quam expeditam alias non videbit, sibi ruina faciet.

XXXIII. Cum igitur ἀδιάφορα non per se bona vel mala censeantur, sed ex usus ipsorum circumstantiis; diligenter expendendum quid sit in talibus rebus libertati nostrae concedendum. Nam etsi res omnes externae hujus generis, ei videantur a Paulo subjici, Rom. 14, 14. hanc tamen libertatem duplici lege circumscriptam Deus esse voluit, lege videlicet fidei et caritatis. Prima requiritur ad id, ut libertatis ratio animis

nostris apud Deum constet, ut de legitimo rerum indifferentium usu recte simus instructi, et sufficienter confirmati, et nihil dubitante conscientia aut agamus, aut audeamus. Quod enim per se non est commune aut impurum, in eo qui illud existimat impurum, contaminatur, Rom. 14, 14.

XXXIV. Qui ergo de libertate sua nondum sunt certi, ideoque in usu haesitant, dubitant, aut ex aliqua superstitiosa opinione laborant, eis rerum alioquin indifferentium usus non est indifferens aut concessus, quia quod faciunt, ex fide non faciunt, Rom. 14, 5. 14. 22. et 23. neque possunt bona Dei accipere, animo fluctuante et dubia conscientia, cum gratiarum actione ex animo profecta qui Dei beneficentiam et bonitatem in suis donis agnoscat, qua tamen sola, in usum nostrum sanctificantur creaturae Dei, 1 Tim. 4, 5.

XXXV. Fidei hujus praelucentis fax non solum rei quae media dicitur, naturam investigat et aperit, num videlicet talis sit in se; sed etiam dum corda purificat, Act. 15, 5. mentem et conscientiam ab inquinatione conservat, facit ut res illae cupide non appetantur, superbe non efferantur, luxuriose non effundantur, et ea quae per se licita erant, his vitiis non contaminentur. Et ut pura conscientia Dei donis, mundi pure utantur, quibus omnia munda sunt, Tit. 1, 13. qui sive edunt sive bibunt, sive quid faciunt, omnia in gloriam Dei faciunt, 1 Cor. 10, 31.

XXXVI. Coercetur praeterea libertas in talibus, per legem caritatis; quae exigit ut fratrum infirmorum, qui adhuc de libertatis suae praerogativa non satis edocti sunt, habeatur ratio; ut eorum captum moderemur, idque tantisper dum possint erudiri, eorumque aedificationem procuremus: non enim semper omnia quae licent, etiam aedificant, 1 Cor. 10, 23. Quapropter idem Apostolus inquiebat, Si esca scandalizet fratrem meum, non manducabo carnem in aeternum, ne fratrem meum scandalizem, Rom. 14, 22. 1 Cor. 8, 13. Qua in re tamen infirmorum est et ignorantium, firmioribus jus et libertatem suam relinquere, et edentem, gnarum suae libertatis, non condemnare, Rom. 14, 15.

XXXVII. Sed quamvis infirmis ad aedificationem cedendum sit, obstinate tamen superstitiosis, aut malitiose insidiantibus, nihil in praejudicium nostrae libertatis est concedendum: ne

abstinentia nostra eos in impia sua superstitione confirmemus, aut alioqui firmis et in libertate sua bene institutis praejudicemus. Ideo Paulus gravissime reprehendit Petrum, qui dum se a Gentibus subduceret, ne Judaeos offenderet, hos in sua pertinacia confirmabat, illos dissimulatione sua offendebat, Gal. 2, 11. At prudentiae Christianae in utraque occasione speciem ostendit Paulus, cum Timotheum circumcidit, infirmitatis Judaeorum rationem habens, Act. 16, 3. Titum noluit circumcidere, dum adversus obstinatos et insidiatores vidit libertatem Christianam esse defendendam, Gal. 2, 3. 4.

XXXVIII. Illa autem fides quae quid in iis rebus licet, determinat, simul etiam docet, libertatem nostram semper manere illibatam, etsi nos infirmis fratribus accommodemus. Quia distinguit inter libertatem ipsam, et libertatis usum, et cum libertas in conscientia sit, ac Deum respiciat, usus autem in rebus externis versetur, in quibus negotium ei est non cum solo Deo sed cum hominibus, judicat apud eos non omnia expedire, cum omnia liceant, 1 Cor. 6, 12. et libertate utendum non esse, nisi ad aedificationem, Rom. 14, 19.

XXXIX. Quomodo etiam libertatem conscientiarum non impediri agnoscimus, quia non ipsa, sed tantum opus externum ligatur, cum rerum mediarum usus coercetur per legem aliquam politicam, vel constitutionem Ecclesiasticam: Deus enim solus proprie conscientias ligat, ut diximus. Sed tamen Magistratus aliquando Reipublicae bono aliquid per se ἀδιάφορον potest jubere ut fiat, vel prohibere ne fiat; et Ecclesia propter εὐταξίαν aliquid in simili materia constituere, ita ut tamen in conscientias nullum sibi sumat imperium: quo casu excepto, nemo rebellionis studio, citra peccatum, talibus constitutionibus resisteret, aut jure refragaretur; qui potius dum conscientiam suam tueri vellet, eam in periculum adduceret, utpote quae ob rebellionem damnum pateretur.

XL. Cum autem qui ea praescribunt (si quidem jure suo non abutantur, nec limites jurisdictionis suae transcendant) non intendant res medias facere simpliciter necessarias, sed tantum ex hypothesi circumstantiarum ob quas imperantur aut prohibentur; non peccabit, qui cessantibus circumstantiis, extra contemptus et scandali casum, praesertim si adsit necessitatis telum, libertatis suae usum repetet, tales enim constitutiones tunc li-

gandi aut obligandi vim retinere non censemus. Ad res autem per se bonas vel malas, si homines statuta sua extendant, illud insuper habendum esse asserere non dubitamus, quia nulla est periculi aut offendiculi causa, qua quod Deus jubet, negligere, vel quod prohibet, facere possimus impune, ideoque non in gratiam proximi Deus est offendendus, Matt. 5, 29. et 30. et 10, 37. Nec magistratui contra verbum Dei aliquid statuenti, aut vim conscientiis facienti, obtemperandum est, Act. 4, 19. 24. et 5, 29.

XLI. Adhuc de objectis et gradibus, aut partibus libertatis Christianae dictum est, in quibus quae ad ejus materiam explicandam necessaria fuerunt, considerata sunt; ex quibus quid de Forma ejus sentiendum sit, facile perspici potest, quae consistit in bonorum illorum possessione et fruitione, per testificationem Spiritus Sancti, qua in animis fidelium obsignat indubitatam illam persuasionem et πληροφορίαν de υἱοθεσίᾳ, qua ex Diaboli mancipiis, facti filii Dei, muniuntur adversus omnes tentationes et insultus, peccati, legis et condemnationis, et de sua immunitate ab omni servitute praeterita certi redduntur, Rom. 8, 14. 15. et seqq. 2 Cor. 1, 22. Gal. 4, 6. et 7. Eph. 4, 30.

XLII. Finis proximus, est conscientiarum Christianarum tranquillitas, Luc. 1, 74. Rom. 14, 5. et ut manumissi a peccato, servi autem facti Deo, habeant fructum suum in sanctificationem, finem autem vitam aeternam, Rom. 6, 22. Propterea in iis qui libertate donati sunt, sequuntur eam tamquam adjuncta necessaria, pax, justitia, bona conscientia, et gaudium spiritus, Rom. 14, 17. Finis autem summus idem qui aliorum Dei beneficiorum, Laus gloriosae Dei gratiae, Eph. 1, 14.

XLIII. Quoniam autem libertas illa gratiae, a libertate gloriae distinguitnr, eam nondum actu possident, qui illa priore fruuntur in hac vita: jus tamen ad eam habent tamquam filii Dei, cujus constituti sunt haeredes, Christi cohaeredes, Rom. 8, 17. Sunt enim filii resurrectionis, et filii Dei, per Spiritum, qui est arrhabo, sigillum et primitiae istius haereditatis, Luc. 20, 36. Gal. 4, 6. 2 Cor. 1, 22. Eph. 1, 14. ubi nominatim obsignatio Spiritus qui est arrhabo haereditatis nostrae, dicitur facta εἰς ἀπολύτρωσιν τῆς περιποιήσεως.

XLIV. Ad eam haereditatem pertinet, non solum immortalitas animarum beata; sed etiam resurrectio et gloria corporum,

quae, etsi servitus corruptionis et mors etiam ipsa, adhuc nexa in vinculis teneat; exspectant tamen una cum animabus ἐλευθερίαν τῆς δόξης, καὶ ἀπολύτρωσιν τοῦ σώματος ἡμῶν, in die quo a se redemptos, Christus liberali manu asseret; interim sub hujus liberationis spe quiescentes, donec abscondita ad tempus vita eorum cum Christo in Deo, quando Christus manifestatus fuerit, cum illo etiam manifestentur in gloria, Rom. 8, 21. et 23. Gal. 5, 17. Joh. 6, 44. Col. 3. et 4.

XLV. Hujus doctrinae multiplex usus ex dictis constare potest, secundum varios libertatis gradus. Ex primis hoc habent credentes, quod pacata conscientia non amplius terrentur minis legalibus, et filiali obedientia secundum legis directionem sine coactione delectantur, Ps. 1, 2. Deinde confidunt obsequia sua quamvis infantilia atque adeo imperfecta, Patri benevolo non displicere, sed ab eo in dilecto suo acceptari.

XLVI. Ex duobus postremis, hunc colligunt fructum, quod sciunt conscientias suas exemptas esse ab omnium hominum potestate, 1 Cor. 3, 27. et 7, 23. Quod veris cultibus, i. spiritualibus, Deo, non creaturis servire discunt, ne sibi aut hominibus in malum indulgeant. Quod concordia in Ecclesia retinetur, observata in rebus adiaphoris libertate Christiana; et Dei donis ex fide utentes in usum in quem a Deo donata sunt, eundem usum ex caritate ad proximi aedificationem et communem salutem moderentur.

XLVII. Patet etiam, libertatem illam non esse immunitatem ab omnibus legibus divinis et humanis; non esse licentiam vivendi ex animi sententia et indulgendi concupiscentiis carnis, neque libertatem a civili obligatione, servitutibus et tributis. Nihil enim impedit quominus qui spiritualiter liberi sunt, corpore serviant, 1 Cor. 7, 21. et Eph. 6, 5. Vos servi obedite carnalibus vestris Dominis, tamquam Domino. Manent igitur Christiani suis Regibus et Magistratibus subditi ut prius, Rom. 13, 1. et serio damnantur omnes qui praetextu libertatis Christianae dum Magistratuum jugum excutere conantur, se Diabolo mancipant, libertatem in carnis lasciviam convertentes, Gal. 1, 13.

XLVIII. Pugnant etiam cum libertate Christiana somnia Judaeorum de regno Messiae temporali, nec eam attingunt mag-

nificae Stoicorum jactantiae, quibus non solum παραδόξως, sed etiam παραλόγως, solum suum sapientem liberum faciunt, etsi vanitatis et praesumptionis mancipium. Quod paradoxum in Ecclesia sanctificatum dedit his verbis August. Bonus etiamsi serviat, liber est, malus etiamsi regnet, servus est, nec unius hominis, sed quod gravius est, tot dominorum quot vitiorum, De civit. Dei, Lib. 4. cap. 3.

XLIX. Sed in suavissimam illam doctrinam periculosissime omnium Pontificii impingunt, et qui cum Pontificiis sentiunt Sociniani, et alii qui eorum dogmata interpolant, cum usibus legis, de quibus antea dictum est, non contenti, Evangelium nobis in legem exigentem transformant, Christum novum Legislatorem proponunt, legem Mosis non tam obedientia sua adimplentem, quam nova praecepta addendo perficientem; ut in legis observatione justitiam, credentes quaerant, et per eam vitam aeternam exspectent. Qua doctrina pervertitur Christianismus, dum Christi officium obscuratur, et praecipuum ejus beneficium tollitur, et salus et consolatio conscientiarum funditus evertitur.

August. Tom. 4. Quaest. Veteris et Novi Testam. LXI.

Haec quae periculosa non sunt, sic servanda mandata sunt, ut non obsint, si ex necessitate fuerint admissa, quia non ad salutem, sed ad reverentiam mandata sunt. Illud autem quod omnino non licet, nec aliqua necessitate mitigatur, ut admissum non obsit, est semper illicitum.

Bernard. Tractat. de Grat. et Libero Arbitrio.

Cum nobis triplex proposita sit libertas, a peccato, a miseria, a necessitate; hanc ultimo loco positam contulit nobis in conditione natura: in prima restauramur a gratia, media reservatur nobis in patria.

Indicatur prima libertas naturae, secunda gratiae, tertia gloriae: prima habet plurimum honoris, secunda plurimum virtutis, tertia novissima, cumulum jucunditatis.

DISPUTATIO XXXVI.

DE

Cultu Invocationis.

Praeside D. ANTONIO WALAEO.

Respondente ANTONIO DELIENO.

THESIS I.

QUANDOQUIDEM de Dei erga Ecclesiam beneficiis huc usque est actum; sequitur jam ut de reliquis officiis nostris, et de mediis per quae haec beneficia nobis communicantur, deinceps agamus.

II. Inter praecipua nostra officia atque hujus communicationis media, est vera veri Dei invocatio, seu adoratio. Quae veluti clavis est, qua divinae beneficentiae thesauri a nobis recluduntur, et debita Deo gratitudo a fideli corde rependitur, quemadmodum id utrumque conjungit David, Ps. 50, 14. Sacrifica Deo laudem et redde Excelso vota tua, atque invoca eum tempore angustiae, eripiam te, ut honore afficias me.

III. Ut autem haec tam necessaria invocationis doctrina compendiose tractetur; Primo, quis sit invocandus, explicandum est; Secundo, per quem; Tertio, quomodo; Quarto, quodnam sit invocationis objectum, circa quod vera invocatio versatur.

IV. Deum solum, nempe Patrem, Filium, ac Spiritum Sanctum, summum omnium bonorum datorem, et malorum averruncum, nobis esse invocandum, docent omnia invocandi praecepta, quae Scriptura diversis in locis inculcat, quorum summa exstat in verbis Christi, Matt. 4, 10. Dominum Deum tuum adorabis, et ei soli servies, docent omnes divinae pro-

missiones, quarum κολοφών continetur in dicto Apostoli, Rom. 10, 13. Quisquis invocaverit nomen Domini, salvus erit. Docent postremo omnia exempla Sanctorum in Veteri ac Novo Testamento, quorum nemo unquam preces suas ad alium quam ad verum Deum direxit. Quemadmodum et ipse Christus discipulos suos eas non alio dirigere docuit, quam ad Patrem nostrum qui est in coelis, Matt. 6, 9.

V. Demonstrant id ipsum quoque conditiones, quae in eo qui invocandus est, requiruntur. Nam et cordium scrutatorem esse oportet, ut in Spiritu et veritate adorantes ab hypocritis possit dignoscere; quod soli Deo in invocatione competere testatur Salomo, 1 Reg. 8, 39. et Paulus Rom. 8, 27. Deinde oportet eum esse talem cui fiducia nostra, non solum tamquam munifico ac benevolo Patri, sed etiam tamquam Omnipotenti rerum Domino inniti possit; quam fiduciam in solo Deo locandam esse docet Propheta Jer. 14, 7. et idem Apostolus Paulus Rom. 10, 14. Denique oportet eum necessitates communes et singulares, tam internas quam externas, omnium eorum qui ipsum per totum mundum invocant, cognoscere; quod soli omniscio ac omnipraesenti Deo convenit, ut videre est Ps. 139, 2. Matt. 6, 32. Hebr. 4, 13. etc.

VI. Duabus primis conditionibus nihil plane potest opponi. Quod vero tertiae Pontificii opponunt speculum Trinitatis, in quo omnia haec inferiora splendeant, ineptum est et ad rem non facit; tum quia id extra Scripturam asseritur, ac proinde tam facile rejicitur quam affirmatur; tum quia scientiae divinae objecta beatis communicantur per actum voluntarium et arbitrarium, non per naturalem aut necessarium. Nam et Angeli qui semper vident faciem Patris, Matt. 18, 20. ignorant tamen diem judicii, Marc. 13, 32. et imperiis ac potestatibus quae in coelis sunt, πολυποίκιλος illa Dei sapientia per Ecclesiam innotescit, Eph. 3, 10. et nemo neque in coelo, neque in terra, neque subter terram potuit aperire librum (divinae scilicet providentiae circa Ecclesiam) neque eum inspicere, nisi victor ille Leo de tribu Judae et stirps Davidis, Apoc. 5, 2.

VII. Quod vero alii excipiunt, haec iis revelari per Angelos, aut fideles hinc in coelum decedentes, cum ipsorum hypothesi non convenit. Quia fideles hinc discedentes igni purgatorio,

extra conspectum Dei, ad tempus includunt. Deinde, nec Angeli, nec fideles morientes internas nostras necessitates norunt, cum καρδιογνῶσται non sint, nec nos Angelis aut sanctis decedentibus, vel illi nobis semper adsunt; quandoquidem et hi propriae salutis circa exitum suum ipsi satagunt, atque illi in proprio suo domicilio, nempe coelo, plerumque commorantur, Gen. 28, 12. Luc. 1, 15. etc.

VIII. Nec magis eos juvat quod postremo comminiscuntur, Deum necessitates ac preces fidelium sanctis in coelo revelare, ac commendare, ut ipsi deinde eas revelent ac commendent Deo. Nam et extra Scripturam ambages hoc sine ulla necessitate nectit; cum nobis idem accessus ad Deum in Christo pateat, qui fidelibus, antequam ulli sancti in coelum essent recepti, semper patuit; et invicte ex iis Sacrae Scripturae locis id refutatur, qui hanc singularium rerum hujus vitae cognitionem defunctis adimunt, quemadmodum videre est, Hiob. 14, 22. Eccl. 9, 7. 2 Reg. 22, 20. Esa. 64, 2. etc.

IX. Haec cum ita se habeant, consequitur, Pontificios non tantum contra Dei mandata et omnium Sanctorum exempla, Angelos et defunctos invocare; sed manifestam quoque idololatriam committere, iis in invocatione sua tribuentes, quae Deus sibi soli servare voluit.

X. Nec ab Idololatria eos excusat frivola inter λατρείαν ac δουλείαν distinctio, quandoquidem Sacra Scriptura, Gentilium ac Judaeorum idololatriam non minus voce δουλείας, quam λατρείας exprimit, quemadmodum videre est Gal. 4, 8. Imo si discrimen inter voces illas sit statuendum, majoris subjectionis est δουλεύειν quam λατρεύειν, cum hoc de quibusvis ministrantibus, illud vero de servientibus proprie usurpetur.

XI. Multo minus haec vocum distinctio, rei ipsius distinctionem infert. Nam praeterquam quod manifesto, quicquid excusent, hac invocatione sua creaturis divinas proprietates tribuant; etiam huc accedit, quod pleraeque ipsorum preces ad Sanctos iis verbis sint conceptae, et eo affectu pronuncientur, quibus Sacra Scriptura ipsum Deum in precibus compellandum docet: quemadmodum ex ipsorum Hortulo animae et Psalterio Mariae, e Psalterio Davidis fere ad verbum expresso, inter cetera manifestum est.

XII. Quum Deum solum invocandum hic dicimus, considera-

mus eum non tantum communiter et essentialiter, sed etiam personaliter, et licet Sacra Scriptura in invocatione nomen Patris frequentius proponat, quia reliquae personae ei originem suam debent, et quia in opere redemptionis nostrae primum locum servat; tamen et reliquas personas distincte invocari posse, Scripturae loca et exempla evincunt.

XIII. Quum enim Pater inducit unigenitum suum in orbem terrarum, praeceptum de eo promulgat, Et adorent eum omnes Angeli Dei, sicuti ex Ps. 65, 6. testatur Apostolus Heb. 1, 6. Imo ideo accepit nomen super omne nomen (etiam qua Mediator) ut in nomen Jesu omne genu se flectat, Phil. 2, 10. Unde et Ecclesia Christi universe, et Apostoli sigillatim, ejus quoque nomen saepius distincte invocant, ut videre est Act. 9, 14. 1 Cor. 1, 2. Rom. 1, 7. 2 Cor. 1, 2. Gal. 1, 3. etc. 2 Joh. 1, 3. Apoc. 1, 5. etc.

XIV. Spiritum quoque Sanctum distincte invocari posse, non tantum proprietates omnes, quae in vera invocatione supra a nobis requisitae sunt, demonstrant; sed etiam Apostolorum atque Ecclesiae primae exemplum, ut 2 Cor. 13, 13. Apoc. 1, 4. Item Act. 4, 24. si conferatur cum Hebr. 3, 7. et Act. 28, 25. si conferatur cum Esa. 6, 3. etc.

XV. Secundum, quod nobis initio hic explicandum sumsimus, est, per quem haec invocatio institui debeat. Quia enim Deus ignis consumens est, et oculi ejus tam puri sunt ut injustitiam intueri non possint. Hab. 1, 13. consequitur, hominibus infirmis ac peccatoribus mediatorem esse quaerendum, per quem ipsis aditus ad gratiae thronum patefiat, Hebr. 4, 14. etc.

XVI. Hunc mediatorem, nec inter Angelos, ut olim Platonici contenderunt, nec inter Sanctos defunctos, ut quondam Antidicomaritae, et utrosque imitati Pontificii opinantur, quaerendum sentimus, quia nulli Angelorum, aut Sanctorum in coelis receptorum, ejusmodi proprietates conveniunt, quales in hac Mediatione requiruntur.

XVII. Nam nec Angeli, nec Sancti defuncti ad hanc muneris Sacerdotalis partem a Deo sunt electi, cum tamen nemo sibi sumat hunc honorem, nisi qui vocatur a Deo, sicuti Aaron, Hebr. 5, 4. nec meritis ac morte sua Dei iram placare, aut aditum nobis ad thronum gratiae aperire possunt, qui ipsi non nisi divinae misericordiae et Christi mediationi

salutem suam debent, Col. 1, 20. nec nobiscum per omnia ὁμοιοπαθεῖς, omnium nostrorum necessitates cognoscere, aut earum sensu affici possunt, qui ne liberorum quidem suorum sibi superstitum statu afficiuntur, Hiob. 14, 24. nec suorum subditorum ac familiarium mala vident, 2 Reg. 22, 20.

XVIII. Christus vero solus is est, de quo Pater juravit, Tu es Sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech, etc. unde et εἰς τὸ παντελὲς, perfecte servare potest eos, qui per ipsum accedunt ad Deum, Heb. 7, 25. et qui per meritum et efficaciam mortis suae nobis aperuit viam recentem ac vivam, et libertatem ingrediendi coeleste sacrarium, Hebr. 10, 19. et qui denique per omnia nobiscum similiter tentatus absque peccato, sufficienter affici potest nostrarum infirmitatum sensu, Hebr. 4, 15.

XIX. Unde Sacra Scriptura de nullo alio quam de Christo testatur, quod pro nobis ad dextram Patris interpellet, Rom. 8, 34. et quod in ipsum coelum tamquam Pontifex noster ingressus sit, ut appareat nunc in conspectu Dei pro nobis, Hebr. 9, 24. et quod habeamus eum justum advocatum apud Patrem, 1 Joh. 2, 1. et ipse Christus de sese solo asserit: Ego sum via, veritas et vita, nemo venit ad Patrem nisi per me, Joh. 14, 6. atque iterum v. 13. quidquid petieritis in nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur Pater in Filio, etc. 16. v. 23. Amen, Amen, dico vobis, quaecunque petieritis a Patre meo, in nomine meo, dabit vobis.

XX. Haec tamen omnia non impediunt, quominus animae beatorum in coelis, juxta cum ipsis Angelis, adventum regni Jesu Christi perpetuis votis exoptent, et Ecclesiae hic militantis liberationem expetant, sicuti ejus rei exemplum proponitur Apoc. 5, 8. et 6, 10. et quominus fideles in terra viventes non tantum pro se, sed et pro fratribus suis, eorumque necessitatibus Deum per unicum Mediatorem Christum unanimiter interpellent, quia conservi sunt sub eodem domino, et membra ejusdem corporis sub eodem capite, qui studio divinae gloriae, et caritatis communis lege, pro ratione conditionis et notitiae ipsorum, ad haec officia invicem praestanda divinitus sunt obstricti; sicuti ejus rei exempla et mandata plurima in Scripturis occurrunt.

XXI. Explicatis duobus primis membris, sequitur jam Tertium, nempe, quomodo haec invocatio institui debeat, ut oratio nostra Deo sit grata, et nobis salutaris ac fructuosa.

XXII. Ad modum hunc referimus, tam formam et constitutionem legitimam precum ac precantium internam; quam formam et constitutionem eorundem externam.

XXIII. Ad constitutionem precum ac precantium internam ante omnia necessaria est, vera ac sincera hominis precaturi Resipiscentia, non tantum generalis illa et prima, sed et specialis ab admissis peccatis. Quemadmodum enim Scriptura testatur, Deum peccatores non audire, Joh. 9, 31. et multos petere ac non accipere, eo quod male petant, ut in voluptates suas absumant: ita et monet populum suum, ut amoveat malignitatem actionum suarum, si orationem suam exaudiri velit, Esa. 1, 35. et Apostolus Joannes 1 Epist. cap. 3, 21. asserit, Si cor nostrum nos non condemnet, fiduciam habemus apud Deum, et quicquid petierimus, accipiemus ab eo, quoniam praecepta ejus custodimus, et ea quae ipsi placent, facimus.

XXIV. Speciatim vero Sacra Scriptura hic nobis commendat reconciliationem cum fratribus, et condonationem sinceram earum offensarum, quae adversus nos sunt commissae, sicuti Christus generatim praecipit, Matt. 5, 23. et speciatim in precatione remissionis peccatorum, Matt. 6, 12. atque latissime in parabola duorum debitorum, Matt. 18, 23. et deinceps.

XXV. Alterum in precibus necessarium, est vera precantis humilitas conjuncta cum reverentia filiali, ex consideratione conditionis nostrae, et Majestatis ac benignitatis ejus, quem in precibus nostris compellamus, sicuti id liquet non tantum exemplis Sanctorum, Abrahami, Gen. 18. Davidis, 2 Sam. 7. Danielis, Dan. 9. etc. sed ex professo a Christo quoque docetur, Luc. 18, 9. in Parabola Pharisaei et publicani, cum hoc epiphonemate, Quicunque se extollit, deprimetur, et qui se deprimit, extolletur. Unde et Apostolus Petrus, 1 Pet. 5, 5. testatur, Deum superbis resistere, humilibus autem dare gratiam. Et Christus idcirco preces nostras sic instituendas monet, ut cogitemus, eum quem invocamus, esse Patrem nostrum qui est in coelis, cujus est

Regnum, et potentia, et gloria, Matt. 6, 9. et 13, 15.

XXVI. Tertium quod hic requiritur, est vera fides, qua non tantum generatim in Deum et Christum Mediatorem credimus; quomodo enim invocabunt eum in quem non credunt? Rom. 10, 14. sed etiam firmam fiduciam in eodem locamus, nos illud ipsum esse impetraturos, quod secundum ipsius voluntatem petimus. Nam qui hanc fiduciam non habet, Dei promissionibus diffidit, quae hic multae et perspicuae sunt. Atque ideo Jacobus Apostolus monet, cap. 1. vers. 5. Si cui vestrum deest sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus benigne, etc. sed postulet cum fide nihil disceptans, etc. et Christus ipse multo etiam clarius, Marc. 11, 24. Propterea dico vobis, quaecunque precantes petitis, credite vos accepturos, et erunt vobis.

XXVII. Denique requiritur intentio sincera cordis nostri, non tantum in eum quem invocamus, et in eum per quem invocamus, quod ex antecedentibus patet, sed etiam desiderium ardens ex sensu indigentiae nostrae, et intentio constans in rem illam, quam secundum Dei voluntatem postulamus: Ideo Propheta David non tantum testatur se animam suam ad Jehovam attollere, Ps. 25, 1. et passim alibi; sed etiam ex profunditatibus se inclamare Jehovam, Ps. 130, 1. et mediationem suam coram eo effundere, atque angustiam suam coram eo indicare, Ps. 142, 3. etc. atque ideo Ps. 141, 2. comparat orationem muneri vespertino, et suffitui; qui licet a ventis nonnunquam transversum agatur, tamen in coelum tandem attollitur, et Ps. 123, 2. Ecce, inquit, ut oculi servorum spectant ad manum dominorum suorum, ut oculi ancillae ad manum herae suae, ita oculi nostri ad Jehovam Deum nostrum, donec gratiam fecerit nobis.

XXVIII. Et hic est Spiritus ille gratiae et deprecationum, quem Deus per Christum in novo foedere pollicetur, se effusurum super domum Davidis, et habitatores Jerusalem, ut ad ipsum respiciant quem transfixerunt, Zach. 12, 10. et Spiritus ille adoptionis per quem clamamus, Abba Pater, etc. quique interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, etc. et secundum Deum, Rom. 8, 15. et 27.

XXIX. Externus invocationis modus partim in sermone, partim in gestibus corporis, partim denique in quibusdam aliis circumstantiis consistit.

XXX. Sermo externus in privatis precibus absolute necessarius non est; quum et sermo internus, et soli cordis gemitus ad Deum saepe sufficiant, quemadmodum videre est in exemplo Mosis, Ex. 14, 14. Annae, 1 Sam. 1, 13. Nehemiae, Neh. 1, 4. etc. Alioquin ad affectum internum testandum et juvandum, frequentius externus sermo, et clamor quoque in magnis angustiis adhiberi solet, sicut plurima ejus rei exempla in Veteri et Novo Testamento occurrunt, et ipsius quoque Servatoris nostri, Hebr. 5, 7.

XXXI. In publicis vero precibus, quae nobis cum pluribus communes sunt, aut in quibus minister verbi Ecclesiae praeit, sermonem externum ejus qui praeit, contra Anabaptistas; et a praeeunte ac reliquis intellectum, contra Pontificios, esse necessarium, omnino statuimus; quia alioquin in eandem orationem consensus certus esse non potest, quem Christus hic tamen expresse requirit, Matt. 18, 19. Nec auditor aut qui implet locum idiotae, ad ejusmodi precationem Amen dicere potest, sicut Apostolus disertis verbis observat, 1 Cor. 14, 15. et 16.

XXXII. In ipsa sermonis forma sedulo vitanda est omnis vanitas, item tautologia et loquacitas, sicuti Christus monet, Matt. 6, 7. sub qua tamen tautologia omnis eorundem aut similium verborum iteratio comprehendenda non est, si ea ex vehementi cordis affectu erumpat, quum et Sancti nonnunquam in precibus suis hanc admittant, et ipse Christus in maximis angoribus suis, Matt. 26, 39. et 42. et in cruce pendens, Matt. 27, 46. sed per eam intelligenda est Battologia non necessaria, et superstitiosa, atque ad certos numeros revocata earundem precationum repetitio; quemadmodum inter Gentiles olim obtinuit, atque inter Pontificios hodieque obtinet. Quod et Christus in Pharisaeis et Scribis reprehendit, qui in speciem utentes longis precibus devorabant domos viduarum, Matt. 23, 14. Luc. 20, 47.

XXXIII. Quaeri hic solet, utrum conceptis precationum formulis, publice aut privatim uti liceat. Nos, si modo cum debita animi attentione pronuncientur, non tantum licitas, sed et valde utiles esse contendimus; quia novas *κατὰ τὸ πρέπον* con-

cipere cuivis Christiano datum non est, et attentio auditorum in magnis conventibus per usitatas formulas non parum juvatur. Unde et Deus ipse benedictionum formam Sacerdotibus in Veteri Testamento praescripsit, Num. 6, 24. et sequentibus. Imo Christus in cruce pendens deprecationis forma a Davide tamquam typo antea observata usus est, Matt. 27, 46. et discipuli Christi, Luc. 11, 2. rogaverunt Christum, ut doceret ipsos precari, prout Johannes docuerat discipulos suos; quibus a Christo responsum est, Quum precamini, dicite, Pater noster qui es in coelis, etc. Ex quibus verborum circumstantiis manifestum est, precationem hanc Christi, non esse tantum recte precandi normam, sed insuper quoque rite precandi formam; sicuti quoque tota vetusta Ecclesia id semper extra controversiam habuit.

XXXIV. Interim tamen fatemur, valde esse utile, imo et pene necessarium, ut omnes fideles provectiores, et imprimis Ecclesiarum Pastores, donum aperte precandi, etiam sine praeviis formulis, in se exsuscitent; ut pro occasionibus oblatis, et necessitatibus ingruentibus, precationes ac gratiarum actiones possint instituere. Quemadmodum viros sanctos, item Prophetas et Apostolos in Veteri et Novo Testamento frequenter fecisse legimus; quod observata methodo, qua iidem in precibus suis utuntur, et accedente debita exercitatione difficile non erit.

XXXV. Gestus in Sanctorum precibus varius observari potest. Moses in faciem suam procidit, Deut. 9, 18. David humi prostratus et amictus cilicio pro infante suo deprecatus est, 2 Sam. 12, 16. Hiobus sedens in cinere et pulvere, Hiob. 42, 6. Israëlitae stantes, Neh. 5, 9. Esra et Paulus flexi in genua, Esr. 9, 5. et Act. 20, 36. Salomo flexis genibus, et expansis manibus, 2 Chron. 6, 13. Christus sublatis in coelum oculis, Joh. 17, 1. Publicanus vero in terram demissis, Luc. 18, 13. Vir aperto capite, femina vero tecto, ex praecepto Apostoli, 1 Cor. 11, 4.

XXXVI. Ex quibus omnibus inter se collatis liquet, libertatem quidem aliquam in gestuum variatione esse relictam; interim tamen ejusmodi gestus esse adhibendos, qui cum cujusque populi consuetudine optime conveniant, et qui internam animi attentionem juvent, non impediant; a quibus absit omnis vanitas, negligentia et arrogantia, et qui internam orantium constitutionem et ardens desiderium sine affectatione com-

modissime exprimant: genuflexio tamen frequentissime a Sanctis fuit usurpata, unde et illa absolute pro precatione quandoque sumitur, ut videre est Rom. 11, 4. et 14, 11. Item Eph. 3, 14. sicut et manuum expansio seu elevatio, cum praecepto in omni loco precandi conjungitur ab Apostolo, 1 Tim. 2, 8.

XXXVII. Circumstantiae, ad quas in precibus quoque attendendum, sunt locus et tempus.

XXXVIII. Locus sub Veteris Testamenti paedagogia omnis quidem fuit concessus, nam Jacob et Ezechias in lecto suo, Hiob in cinere, Simson in aula Philistaeorum, et Jonas in ventre ceti fuerunt exauditi a Deo; interim tamen ad certa quaedam loca tamquam Sacramenta divinae praesentiae fideles peculiariter quoque fuerunt obligati, tum ante legem latam, Gen. 4, 14. et 28, 16. et 35, 1. Ex. 3, 12. etc. tum post legem latam. Quae loca fuerunt vel ordinaria, nempe tabernaculum ac templum, versus quod Daniel etiam exul in precibus se convertit, cap. 6, 11. vel extraordinaria a Prophetis extra ordinem designata, ut videre est Jos. 8, 30. 1 Sam. 14, 36. 1 Reg. 18, 36. etc.

XXXIX. In Novo autem Testamento, quemadmodum praedictum fuit a Propheta Malachia, 1, 11. ita et Christus testatur, horam venisse et nunc esse, quando neque in monte, neque Hierosolymis adorabitur Pater, sed veri Adoratores adorabunt eum in Spiritu et veritate, Joh. 4, 23. atque ideo Apostolus vult, ut viri attollentes puras manus absque ira et disceptatione precentur in quovis loco, 1 Tim. 2, 8.

XL. In privatis tamen precibus loca secreta, et ab arbitris remota, quaerenda esse monet Christus, Matt. 6, 6. tum ne videamur hominum conspectum ac laudem inde expetere, quod hypocritarum esse Christus ibidem asserit, tum ut attentio nostra eo minus interrumpatur: unde et Christus loca solitaria ad precandum elegit, ut videre est Matt. 14, 23. etc. sed in publicis ac communibus precibus, aggregatio nostra relinquenda non est, ut Apostolus monet, Hebr. 10, 25. quum fidelium conventus et consensus a Christo hanc acceperit promissionem, Ubi duo ex vobis consenserint in terra, quodcunque petierint, fiet eis a Patre meo qui in coelis est; ubi enim sunt duo vel tres coacti in nomine meo, illic sum in medio eorum, Matt. 18, 19. et 20.

XLI. Superstitiosae ergo omnino sunt peregrinationes illae Pontificiorum ad sepulcrum Domini, aut alia loca longinqua precandi causa institutae; quum Deus ex aequo preces fidelium ubique jam exaudiat, et hujusmodi homines contra caritatis praescripta seipsos periculis non necessariis exponant, eosque quorum cura iis singulariter commendata est, sub hoc praetextu injuste saepe deserant. Nec superstitione quoque caret eorum factum, qui ad preces privatas concipiendas templa et aedes sacras fidelium conventu vacuas, etsi alia secretiora loca iis exposita sint, consueverunt accedere; quandoquidem Christus hunc ritum expresse in hypocritis condemnat, loco antea citato, Matt. 6, 5. 6. etc.

XLII. Tempus precationi conveniens, est quodvis momentum, quo fides, spes, caritas, et sensus indigentiae nostrae tam publicae quam privatae nos ad precandum monent; unde et Christus Luc. 18, 1. discipulis mandat, ut semper orent, nec segnescant, et Apostolus 1 Thess. 5, 17. ut indesinenter orent. Nec tamen ideo probandum veterum Euchetarum, aut quorundam hodiernorum Monachorum factum, qui totum vitae tempus cantillando et precando se transigere profitentur; quia precatio, opera reliqua caritatis erga Deum aut proximum, impedire non debet, sed illis inservire.

XLIII. Interim vero et publicis precibus certos dies, et privatis certum diei tempus, ut negligentiae et infirmitati nostrae succurratur, esse destinandum, exemplo Davidis, Ps. 55, 18. Danielis, cap. 6. 11. et Petri, Act. 10, 9. libenter agnoscimus; ita tamen, ut omnis superstitio hinc absit, ac κενοδοξία, aut scrupulus conscientiae, si forte necessitas, aut opera caritatis privatae vel publicae id interrumpi postulent, quum in hoc negotio nulla praecisa lex a Christo aut Apostolis sit tradita et soli cordis ad Deum gemitus earum locum supplere possint, sicuti Thesi 30. a nobis antea est ostensum, et Ecclesia Israëlitica in Babylonem traducta ostendit, Ps. 137.

XLIV. Ultimum quod nobis explicandum restat, est objectum circa quod invocatio versatur, quod duplex est, vel persona pro qua oramus, vel res quam orando postulamus.

XLV. Personam quod attinet, orandum nobis est non tantum pro nobis, aut iis qui ad nos pertinent, sed etiam pro quibusvis hominibus 1 Tim. 2, 2. etiam pro inimicis et perse-

cutoribus nostris, ut Stephanus exemplo suo praeivit, Actor. 7, 60. exceptis solum iis, qui peccato ad mortem, id est in Spiritum Sanctum, peccant, pro quibus orare prohibemur, 1 Joh. 5, 16. Peculiariter tamen nobis in Scriptura hic commendantur Reges, et in eminentia constituti, 1 Thess. 5, 25. Hebr. 13, 18. etc. Ecclesia ipsa et omnes Sancti, Eph. 6, 18. Col. 1, 3. et 4, 12. etc. captivi et pro Christo cruci subjecti, Act. 12, 5. et Hebr. 13, 3. aegri et afflicti, Jac. 5, 14. Item fratres peccantes peccato non ad mortem, 1 Joh. 5, 16.

XLVI. Res invocationi objectae sunt divina beneficia, Dei gloriae vel hominum necessitati ac saluti servientia, eaque vel praeterita et accepta, vel futura et accipienda.

XLVII. Pro beneficiis praeteritis et acceptis gratiae agendae Deo, secundum praeceptum Apostoli, Eph. 5, 20. Gratias agite semper de omnibus, in nomine Domini nostri Jesu Christi, Deo et Patri; idque non tantum in rebus laetis ac gratis, sed etiam tristibus et adversis, quando Deo nos iis exercere aut probare visum fuerit, exemplo Hiobi, cap. 1, 21. et Apostolorum, Act. 5, 41.

XLVIII. Oratio futurorum beneficiorum, sive ea sint communia sive particularia, est duorum generum; vel malorum quae nobis metuenda sunt, deprecatio, vel bonorum quae nobis speranda sunt, postulatio. Haec autem cum sint vel corporalia vel spiritualia, utraque rursum vel simpliciter ad salutem et Dei gloriam necessaria, vel tantum secundum quid, nos posteriora cum conditione, priora absolute, et sine conditione roganda statuimus.

XLIX. Quaeritur hic, an bona nulla deprecari, mala nulla imprecari aut nobis aut aliis liceat? Respondemus, esse quaedam tum corporalia tum spiritualia bona, quae, quia supra vires suas viri sancti esse judicabant, nonnunquam modeste deprecati sunt, ut patet exemplo Mosis, Ex. 3. et Jeremiae, Jer. 1, aut quia etiam abusum metuebant; quomodo nimias divitias aeque atque paupertatem deprecabatur Sapiens, Prov. 30, 8 et 9.

L. Imprecationum autem diversa exempla in Scripturis reperiuntur, tum qua Sancti diei nativitatis suae maledicunt propter ingruentium malorum gravitatem, Job. 3, 3. et Jer. 20, 14. sed haec potius ex infirmitate videntur profecta; tum qua ad inno-

centiam suam testandam, cum conditione, si hoc aut illud fecerint, a Deo poenam exoptant, cujusmodi multa exempla in historia sacra occurrunt; nunquam tamen a Satana aut inferno, ut Gentiles et Pontificiorum sacrificuli se diris devovere impie solent; tum denique ad testandum singulare suum studium et zelum erga Dei gloriam, et aliorum conservationem, cui propriam quandoque salutem postponunt, sicut videmus in Mose, Ex. 32, 32. et in Paulo, Rom. 9, 3.

LI. Imprecationum vero in alios, diversa quoque sunt exempla, nempe vel adversus probos, vel adversus improbos; adversus probos, si monitionibus non cedant, ut per castigationem emendentur, quemadmodum hujus rei exemplum est Hiob. 34, 36. Adversus vero improbos, hostes Ecclesiae ac gloriae Dei, et inemendabiles, plurima imprecationum exempla non tantum in Veteri sed et in Novo Testamento exstant, ut videre est 2 Tim. 4, 14. Alexander faber aerarius multa mala mihi exhibuit, reddat ei Dominus secundum facta ipsius. et Apoc. 6, 10. Usque quo, Domine qui sanctus es et verax, non judicas ac vindicas sanguinem nostrum de iis qui habitant in terra?

LII. Sed haec fidelibus temere imitanda non sunt, nisi certa hujus hostilitatis pertinacis et inemendabilis appareant signa; alioquin admonitio Apostoli Jacobi, cap. 5, 9. semper in privatis offensis est observanda, Ne alius adversus alium ingemiscite, et Christi, Matt. 5, 44. Benedicite iis qui devovent vos, benefacite iis qui oderunt vos, et precamini pro iis, qui vos infestant, et persequunturvos, ut sitis filii Patris vestri qui est in coelis. Cui sit gloria et benedictio in secula, Amen.

DISPUTATIO XXXVII.

DE

Eleemosynis et Jejuniis.

Praeside D. ANTONIO THYSIO.

Respondente JOHANNE a WESTERBURGH.

Thesis I.

Sicuti inter bona opera Precatio ad Deum effusa eminet, ut quae fidei insigne est munus, quamvis et ipsa, quatenus pro aliis funditur, caritatem erga proximum quoque respiciat: ita et Eleemosyna praeclarum caritatis erga proximum est specimen, quae cum Jejunii exercitio conjuncta, non exiguum pondus orationi affert, Matt. 6, 1. 5. 16. Act. 10, 2. 3. 4. De quibus in praesentia, cum Deo, agemus.

II. Ἐλεημοσύνης vox, a commiserando desumpta, misericordiam Latinis denotat, affectum scilicet, quo aliorum miseria afficimur: quin et effectum avertendi malum a proximo, eumque juvandi comprehendit, ac pro omni ἀγαθοποιΐᾳ, beneficentia, usurpatur, ut sit misericordis affectionis benignitas, Jac. 3, 13. specialiter autem pro stipe ac subsidio, quo pauperum indigentiae succurritur.

III. Est autem Eleemosyna, caritatis erga proximum actus, quo vir pius, misericors, et alienae miseriae compatiens, benevolus et beneficus, vere pauperibus ac vitae hujus subsidiis indigentibus, ex bonis suis, pro facultatibus ac illorum praesente necessitate, vera fide, et ardenti in Deum, et erga proximum amore, subvenit: sub spe divinae remunerationis adipiscendae.

IV. Ad caritatem itaque erga proximum, alteram divini cultus partem referimus. Ut autem caritas haec, ob cohaesionem primae tabulae ad secundam, Jac. 2, 10. 11. et illius per hanc (quod sub externa cultus divini primae tabulae specie hypocritae plurimum lateant, Ose. 6, 6. Matt. 9, 13.) ostensionem, totum Dei cultum et pietatem non raro comprehendit, Matt. 7, 12. Rom. 13, 8. 9. 10., ita et Eleemosyna, quae caritatis erga proximum singularis est actus, gradus eximius,

et pars non postrema, pro ea ponitur, et κατ' ἐξοχὴν, justitiae ac caritatis appellationem suscipit, Dan. 4, 24. Hebr. 6, 10.

V. Praestituit ea bonorum proprietatem et inaequalem possessionem: quamvis enim Deus prima creatione totam terram, et omnia quae in ea sunt, universim in hominis usum crearit, attamen cum protoplasto, ac hominum satori Adamo, Paradisum, ut Basilicam imperatori singulariter attribuerit, et post lapsum edixerit, In sudore vultus tui comedes panem tuum; post Diluvium autem, secundum tres filios Noachi, gentium ac terrarum, Deo ita dispensante, facta sit divisio; atque occupatio et traditio et transmissa haereditas, jure belli, aliisque modis acquisitio locum acceperit; communi et divina et humana lege, rerum proprietas stabilitur.

VI. Ex hac vero possessionis inaequalitate, divitis pauperisque origo est. Utriusque autem creatorem se profitetur Deus, Prov. 22, 2. et pauperes nos semper habituros pronunciat Christus, Matt. 26, 11. Veruntamen ut divitiae neminem Deo commendant, ita neque paupertas cuiquam probrosa est, ut quam Christus in persona sua sanctificavit, 2 Cor. 8, 9. Utrosque pietas approbat, 1 Tim. 6, 17. 18. Matt. 5, 3. Modo dives divitiis non fidens, in humilitate; pauper inopia non diffidens, in sublimitate sua glorietur, Marc. 10, 24. Jac. 1, 9. 10.

VII. Neque rerum proprietas, aut inaequalitas, ab Apostolis sub Evangelii initiis, communione bonorum inducta, abolita est, Actor. 2. et 4. Omnes qui credebant, erant eodem loco, et habebant omnia communia. Non enim universalis omnium et singulorum Christianorum, neque omnium bonorum ea communio fuit, neque proposita in exemplum et legem perpetuam: sed singulariter in Ecclesia Hierosolymitana, idque pro Ecclesiae illius eo tempore statu, et libera certorum hominum ac bonorum collatione, ut ex cap. 5, 4. apparet. Et sane sicut Christus marsupium habuisse dicitur Joh. 12, 6. et 13, 29., ita et Apostoli et fideles sua possederunt. Unde quoque Eleemosyna locum habuit.

VIII. Quare eo ipso non stabilitur Anabaptistarum quorundam communio, qua bonorum proprietas et possessio, adeoque Eleemosyna inter fideles revera tollitur: neque Monachalis quorundam κοινοβιτικὴ, qui singulari instituto, proprietati, dominio atque contrectationi cujuslibet pecuniae, se re-

nunciare profitentur. Unde illud, Monachus habens obulum, non valet obulum.

IX. Attamen ut bonorum communio inter Christianos non sit κτήσει, possessione, manet tamen χρήσει, usu, divina lege in perpetuum fixa, Deut. 15. Marc. 14, 7. quae non est, sicuti Scholastici quidam volunt, liberae tantum voluntatis cujusque actio, adeoque ad caritatem hanc tantum cohortatio, sed praecepti seu legis divinae sanctio, conscientiam sub peccato obligans, ac quoad certas ejus circumstantias tantum libera.

X. Ea autem sapiente Dei consilio ac voluntate nititur, omnia ita temperantis ac varie disponentis, ut uni plura, alteri pauciora attribuerit, pauperemque diviti adjunxerit, Prov. 22, 2. quos naturae et communis sanguinis, et politias vinculo, (prout homo animal est πολιτικὸν καὶ κοινωνητὸν) conjunxit, ut unus alteri auxiliatrices manus praeberet, adeoque unius abundantia, alienae indigentiae succurreret, Es. 58, 7. 2 Cor. 8, 13. 14. idque eo magis, quod Deus absolutum et summum dominium sibi reservans, Ps. 24, 1. 1 Cor. 10, 26. utile vero diviti concedens, donorum suorum illum dispensatorem constituerit, ut fideliter ea quoque pauperibus dispensaret, Luc. 16, 10. 11. 12. Quod quamvis debitum, ut tanto fidelius praestaretur, promissiones Deus addidit amplae remunerationis, et fenerationis a Domino, Prov. 19, 17. et neglecti officii graves comminationes, Prov. 21, 13.

XI. Accedit ad naturae et politias vinculum, singulare Christianitatis: quo fideles mystici corporis membra, sub capite Christo in unum corpus sociati, Deum habent communem patrem, Christum Dei Filium primogenitum fratrem, ac a Deo adoptati in filios, spirituque ejus regeniti, inter se fratres, ac universitatis per Christum redduntur haeredes, quo arctius ad singulare opitulationis debitum obstringuntur. Unde et Christus sibi contestatur fieri quod pauperibus suis impenditur, Matt. 25, 40.

XII. Sunt porro hic ad pleniorem Eleemosynae tractationem, consideranda, Personae, Quis et quibus; Res, Quid et quantum sit communicandum; Communio ejusque Modus, adjunctaque promissio.

XIII. Quoad personam erogantem, est haec virtus et

liberalitas communis omnium piorum, quatenus quisque, saltem affectu, ad omnia caritatis officia promptus esse, et pro modulo proximo praestare quod potest, debet; etiam tenuiorum, usque ad unius nummuli, seu minutorum duorum erogationem; instar viduae illius, quae ἐκ τῆς ὑστερήσεως, e penuria sua misit totum victum suum, Luc. 21, 4. Imo ad potum aquae frigidae, Matt. 10, 42. Unde et jubetur, ut qui furatus sit, laboret manibus, ut possit impartiri cui opus fuerit, Eph. 4, 28. Quod officium apud Deum non copia, aut pretio externo, sed affectu cordis, et animi promptitudine aestimatur.

XIV. Sed imprimis peculiaris est piorum divitum, quos Deus bonis amplificavit, quorum copia atque abundantia servire debet indigentiae aliorum, idque κατὰ δύναμιν ἐκ τοῦ περισσεύοντος, ex eo quod abundat, Marc 12, 44. τὰ ἔνοντα, ea qua supersunt, seu adsunt, Luc. 11, 41. erogare tenentur. Imo, si usus ita ferat, ὑπὲρ δύναμιν αὐθαίρετοι, supra vires voluntarii, esse possunt, 2 Cor. 8, 3. usque ad decimas, Luc. 18, 12. ad dimidiam bonorum partem, Luc. 18, 8.

XV. Neque tamen omnes facultates, cum calamitate propria, profundendae, 2 Cor. 8, 12. 13. Nam quoque sibi suisque prospicere fidelem, fides jubet, 1 Tim, 3, 4. 5. et caritas quae ordinata est, exigit, Matt. 22, 39. et Christianae prudentiae est fontem apud se servare, ut perennis quasi liberalitatis rivus, inde ad alios derivetur. Nisi forte singulare mandatum, Marc. 12, 41. aut praesentissima necessitas, 1 Cor. 13, 3. aliud deposcant.

XVI. Illo autem Christi dicto Luc. 12, 33. Vendite bona vestra, et date Eleemosynam, venditionis necessitas non imperatur, sed declaratur, quo animo fideles affecti potius esse debeant, quam ut egestate pereant pauperes: scilicet quod absolute dicitur, comparate accipiendum est. Aut dum Matt. 19, 21. juveni diviti dicit, si vis perfectus esse, vende quae habes et da pauperibus, hic ultra Dei legem perfectionem perfectis non proponit: sed universalem legem, quod omnia, etiam vitam debeamus Deo imperante abnegare, Marc. 8, 34. 36. particulariter mandato siugulari, ad aegrum ejus animum accommodat, atque avaritiae latentem morbum in apertum producit, tantum abest, ut, quod arroganter jactitabat, legem implevisse concedat, ut hoc ipso, quantum ab eo absit, demonstret, ut sequentia manifeste arguunt.

XVII. Ii porro Quibus erogari debet, sunt miserabiles et commiserandae personae, puta omnes pauperes: voce pauperis generaliori notione accepta, tam pro mendicis qui nihil habent, quam egenis qui parum et sibi ipsis ad vitam non sufficiunt, saltem secundum vitae praesentem conditionem ad tempus, Ps. 41, 2. Esa. 26, 6. id est, qui vitae hujus subsidiis et aliena ope indigent. De quibus Christus, Omni petenti dato, Matt. 5, 42. Quo non intelligitur quilibet petens universim, sed ex egestate, ac talis, qui retribuere non potest, Luc. 14, 12.

XVIII. In quorum numero non habemus, validos, vagos, et professos mendicantes, qui saepe vitiosissimi, turpi otio et inertia obtorpentes, mendicitatem exercent, et in ea vitae praesidium collocantes, miseriam, variis artibus et imposturis vafre excogitatis, quibus misericordiam moveant, simulantes, publice aut ostiatim obeuntes, aut per frequentia compita projecti, stipem petunt, atque ita alienum panem injuste vorant, imo quaestum et opimum proventum, ex ea saepe faciunt, contra legem primitus positam, In sudore vultus tui comedes panem tuum, Gen. 3. quam interpretatur Paulus, ut qui non velit operari, non comedat, 2 Thess. 3, 10. 11. Non enim illi revera inopes, qui labore manuum suarum cum pascere se possint, vere egentibus quod ipsis debitum praeripiunt. Atque hi profecto doli furtique, imo sacrilegii rei sunt.

XIX. Attamen eodem loco non habemus mendicos eos, qui ob caritatis defectum, quod pauperibus legitimo modo juxta legem Dei, Deut. 15, 4. non prospiciatur, necessitate quae legem hactenus non habet, coguntur stipem, vel ad privatas aedes, ut ulcerosus Lazarus, Luc. 16, 20. vel in publica via, ut caecus ille, Luc. 16, 35. et claudus, Act. 3, 2. mendicare.

XX. Sed contra, validis illis mendicantibus mendicabula illa Monastica, seu ordines mendicantes accensemus; qui (novo instituto, contra vetustatem, quae Monachos non agnoscit nisi laborantes, otiosos vero ventres similes praedonibus facit, Socrat. in tripart. hist. lib. 8.) sub specie pietatis, superstitione insigni, voluntariam paupertatem et mendicitatem, quibus bonis propriis rejectis, inhiatur alienis, deque aliorum labore et sudore vivitur, imo sub hoc praetextu ipsissima possidetur terre-

narum rerum abundantia; quique crucem ex voto perpetuo sibi ipsis sponte imponunt, et ultro subeunt; quae tamen non adsciscenda, sed a Deo imposita patienter ferenda erat; atque externam hanc Dei maledictionem, Deut. 28, 22. quae deprecanda, et quoad ejus fieri potest effugienda, in benedictione ponunt, imo in pietate et sanctimonia, operibusque perfectionis et perfectorum, cui et maxima merita, etiam supererogationis ascribunt.

XXI. Atque illi quidem in bene constituta Republica ferendi neutiquam sunt, Deo edicente, Et omnino mendicus non erit inter vos, quo non modo lex de officio cujusque, sed et mendicitati quadantenus ponitur; quod idem quoque Imperator sequitur, Codice de Validis mendicantibus. Quos insuper in Ecclesia ἀτάκτως, inordinate, id est, contra ordinem a Deo positum se gerentes, nutriendos tolerandosque esse negat Apostolus, imo notandos praescribit, 2 Thess. c. 3. a v. 6. ad 13.

XXII. Per petentes ergo intelliguntur ii, qui merito petunt, ac necessitate petere coguntur, adeoque post prudentem inspectionem et explorationem, digni misericordia et liberalitate habentur. Ac primo ordine sunt Viduae et Pupilli, Ex. 22, 22. 2. Peregrini. Lev. 10, 18. 3. Debiles et aegroti in quorum censu sunt claudi, surdi, caeci, muti, leprosi, etc. Matt. 25, 36. Luc. 15, 13. 4. Aetate infirmi, ut pueri et senes, 1 Tim. 5. 3. 16. 5. Qui variis casibus nulla sua culpa, ut naufragio, eluvione, incendio, latrocinio, incursionibus hostium, etc. ad paupertatem redacti sunt; quibus adjungimus verecundos pauperes, non audentes suam egestatem profiteri. Denique qui ob confessionem Evangelii facultatibus suis exuti sunt, Hebr. 10. Cum quibus conjungimus captivos ab hostibus, praesertim religionis Christi. Ex his autem quidam corpore imbecilles, alii arte parandi victum destituti, alii denique etiam si quidvis agant, sibi tamen satis prospicere nequeunt; qui juvandi pro ratione cujusque, quidam omnino, quidam ex parte, quidam denique ad tempus tantum.

XXIII. Per omnem vero petentem intellige quemcunque talem, sine discrimine, sive sit peregrinus, aut civis et popularis, alienus vel consanguineus, amicus aut inimicus, fidelis aut infidelis, Matt. 5, 34. 44. et Luc. 6, 27. 32. In summa proxi-

mus quisque. Est autem proximus quilibet, qui nostra ope indiget secundum praesentem statum, et cui succurrendi juvandique nobis occasio et facultas praebetur, ut contra Judaeos docet Christus in parabola saucii, Luc. 10, 30.

XXIV. Interea tamen secundum gradus conjunctionis et communionis, major exercenda benignitas in suos, videlicet consanguineos, quam alienos, 1 Tim. 5, 8. 16. domesticos fidei et sanctos, quam Gentiles, Gal. 6, 10. quae quidem φιλαδελφία singulariter dicitur, 2 Pet. 1, 7. Sed a suis incipiendum quidem, non autem in suis consistendum est.

XXV. In his censendi non sunt Pastores et Doctores Ecclesiarum, ut quidam arbitrati sunt. Ipsis enim non eleemosyna, sed merces laborum penditur, Matt. 10, 10. 1 Cor. 9, 4. 7. 1 Tim. 5, 5. 18. Quod vero mulieres quaedam Christo de facultatibus suis ministrasse dicuntur, Luc. 8, 2. 3. quamvis in illis singularis fuerit liberalitas, tamen ab illis ipsis gestum, et in illis confirmatum id, quod suos docuit et praecepit universim Christus, 1 Cor. 9, 14.

XXVI. Tantum de personis. Res vero ipsa eroganda, non in sola erogatione, sed in omni ope et opere consistit, quo humana indigentia sublevatur, ut ea a Christo designantur, nempe frangere esurienti panem, potum dare sitienti, vestem nudo et algenti, tectum et hospitium peregrino; item redemptionem captivo, aegrotanti curam praestare, Es. 58, 7. Matt. 25, 35. Luc. 3, 11. et 14, 12. Quae alibi revocantur ad victum et habitationem, 1 Tim. 6, 8.

XXVII. Non autem de alieno, ac injuste partis (quod furti est) largiendum. Eoque non facit illud, Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis, ut quod non tam de opibus male partis intelligendum (cum velit Deus liberalitatem fluere ex fonte puro) quam quod plurimum injuste iis homines abutantur, Luc. 19, 8.

XXVIII. Ipsius porro communionis seu communicationis pauperum modus respectu donantis quidem est, ut det quisque non tantum ratione rerum, secundum facultates suas, sed etiam ratione animi, non hypocritice et ambitiose, id est, cum vana ostentatione in aperto coram hominibus, ad gloriam suam, sed sincere et in abscondito coram et propter Deum, Matt. 6, 1. 2. 4. Non coacte

ex imperio aliorum, ac necessitate et cum animi tristitia, sed voluntarie, lubenter, prompto atque hilari animo. Alias Deo gratum et acceptum esse non potest, Rom. 12, 8. 2 Cor. 8, 12. et 9, 7. Non mercedis accipiendae studio ac spe, sed gratiose: illud enim non humanitas aut caritas, sed officii esset venatio ac feneratio, Luc. 6, 33. Non parce, sed liberaliter, 2 Cor. 9, 6. Denique ex fide erga Deum, et Christum, 1 Tim. 1, 5. et caritate erga proximum, 1 Cor. 13, 3. Ea enim actio ita et voluntatis et potestatis est, Marc. 14, 7. ut nihilominus regenda sit ad caritatis regulam.

XXIX. Respectu vero ejus cui datur; ut administretur habita necessitate cujusque, scilicet aequabilitate quadam, et geometrica proportione, id est, cum discretione personae, causae, loci, et temporis, seu quando, quatenus, ubi et quomodo; in quibus prudentia et circumspectio maxime spectatur, 2 Cor. 8.

XXX. Pauperum vicissim qui Eleemosynam accipiunt, officium est, ut sua conditione sint contenti, non petant, nisi ii, et quousque vere egentes sunt; pauca hilari animo donata, hilari similiter animo accipiant; semper existiment, id multum et magnum esse, quod sufficit ad naturae sustentationem, Deoque gratias agant quod excitarit pios qui ipsis prospiciant.

XXXI. Cura haec pauperum, vel privata est, qua singulorum; vel publica, qua egenis omnibus in ordinem redactis, in Republica a Magistratu pio, aut in Ecclesia ab ejus praefectis, per viros graves, providos, idoneos, et publico testimonio probatos, sub spontanea religiosi populi munificentia, ab omnibus viritim et in capita collectione facta, in commune et ex publico, fideliter et prudenter, pro necessitate cujusque, prospicitur.

XXXII. Cui fine Respub. Eleemosynarios, Ecclesia Diaconos, et Diaconiam, sc. pauperum, Act. 6, 1. et Gazophylacium, seu sacrum Thesaurum, non tantum rebus Ecclesiae, sed et pauperibus alendis instituit, Luc. 21, 1. Quare et Ecclesiae thesaurus, pauperum singulariter dicitur. Unde a piis majoribus xenodochia, nosocomia, gerontocomia, orphanotrophia, brephotrophia, viduarum domus, etc. religiose passim exstrui coeperunt. Quibus si communis et universalis sollicitudo

pauperum accedit, vix quicquam ad curam pauperum deerit. At hic rejicimus eorum sententiam, qui sub praetextu privatae ac liberae curae pauperum, publicam eversum eunt, et contra.

XXXIII. Cum Eleemosyna autem cohaeret, imo sub ea comprehenditur mutui datio, quae egenis, qui non omnino, et ad tempus tantum egent, impenditur, quibus mutuo dato consulendum est, idque sine fenore, secundum illud Deut. 15, 8. Aperies manum tuam pauperi, et dabis mutuum quo eum indigere prospexeris, et Psalmistae, Justus miseretur et commodat, Ps. 37, 26. Quod repetit Christus, Petenti abs te dato, et volentem mutuari ne aversator, Matt. 5, 42. et Luc. 6, 35. Mutuum date, nihil inde sperantes, id est, supra sortem, neque paria, ut ex vers. 34. apparet: imo si res ita deposcat, ne sortem quidem ipsam, scilicet puro benefaciendi animo: quo sensu secundum excessum quendam sermonis, id comparate accipitur, qualiter et alia eodem loci.

XXXIV. Licet tamen egentibus mutuare, sub ratione pignoris ad sortis certitudinem, Ex. 22, 25. 26. Deut 24, 10. at cum fenore et incremento non licet. Est. vero fenus quod in Scripturis Sacris prohibetur, hoc ipsum tantum, quod cum pauperibus exercetur. Unde et Hebr. נשך a morsu et arrosione nomen habet, et fere ejus fit mentio, cum de indigis et oppressis agitur, Ex. 22, 25. Lev. 25, 35. 36. 37. et Prov. 22, 7. Usura vero quae cum mediocris fortunae aut ditioribus exercetur, ad caritatis et aequitatis legem redacta, contractus legitimi species est, atque interesse rationem habet.

XXXV. Unde sane fenus illud quod cum pauperibus sub ratione pignoris exercetur, et in Christianitate a Magistratu in quibusdam, quamvis boni alicujus respectu, permittitur, saevum et immane est: tum fenore ipso, tum ipsius immensitate, cui in bene constituta Republica locus esse nemini debet. Nedum ut Judaeis in opprobrium et oppressionem Christianorum, in ipsos feneratio impune concedatur, Deut. 23, 19. 20. et 28, 13. 44. sed contra ut pauperi Eleemosynis publicis consulendum est, ita et quorundam egestati caritatis (ut vocant) ara, sub nudo pignore instituta, publica auctoritate, et administratione prospiciendum est. Neque quicquam ulterius acci-

piendum, quam quod fert pecuniae ei usui assumptae, si aliter e publico fieri nequit, et impensarum ratio. Tantum abest ut rem inde facere liceat.

XXXVI. In summa, in indigos et inopes, sympathia, benevolentia, et beneficentia cujusque generis, sub Eleemosyna comprehenditur.

XXXVII. Cui fini a Domino illis ipsis, qui miserentur pauperum, ampla promittitur remuneratio et retributio, Proverb. 19, 17. praemium et merces, Matt. 6, 4. et 10, 21. 2 Cor. 9. Pronunciatur quod fenerentur Domino, Prov. 19, 17. Quod erunt beati, Prov. 14, 21. Luc. 14, 13. iis benedicetur, Prov. 12. Erunt quasi hortus irriguus, et fons aquarum, cujus aquae non deficient, Es. 38, 7. Promittuntur bona vitae hujus, tum corporalis et temporalis, 2 Cor. 9, 8. 9. 10. 11. tum spiritualis et aeternae, ut peccatorum abruptio, et condonatio, Dan. 4. Mundatio, Luc. 11, 41. Justitiae perpetuitas, Ps. 112, 9. Thesaurus certus in coelo, Luc. 12, 33. et 15, 16. Receptus in aeterna tabernacula, Luc. 16, 9. Vitae aeternae possessio et haereditas, Matt. 25. idque ex justitia divina, Hebr. 6, 10.

XXXVIII. In quibus Eleemosyna non statuitur tantorum bonorum causa, sed antecedens, quod talibus haec bona obtingant, neque *αἰτιολογία* redditur e causa, sed effectu, aut proprio adjuncto, et si ratio aliqua causae indicatur, id fit, non per se, seb per accidens, respectu conjunctionis caritatis hujus cum fide, atque Divinae reputationis. Equidem fide purificantur corda, Act. 15, 9. Remissio peccatorum, mundatio, et vita aeterna merita Christi sunt, et vita aeterna donum Dei, et haereditas filiorum Dei est, atque ad *εὐδοκίαν* Dei refertur, Luc. 12, 32. et Matt. 25.

DE JEJUNIO ET VIGILIIS.

XXXIX. Huc usque de Eleemosyna: sequitur alterum Precationi singulariter susceptae adjunctum, ejusque saepe comes, Religiosum Jejunium, quod est rigidioris disciplinae species, seu actus a Deo in genere praescriptus, secundum vero

circumstantias liber, quo fidelis firmior, orandi insigniore oblata et urgente necessitate, ab omni cibo, et potu, omnique vitae solito apparatu, ultra consuetum, et ad certum tempus, quantum naturae vires ferunt, minimum interdiu, abstinet, ad excitandum juvandumque in oratione animum spiritumque, maxime autem in humiliatione nostra coram Deo, cum peccatorum poenitentia, ex fide vera, privatim vel publice, religiose susceptum ac observatum.

XL. Religiosum Jejunium cum dicimus, sejungimus ab eo Naturale, quod ad corporis valetudinem tuendam aut recuperandam suscipitur; Item Civile, cum intenti alicui negotio, et in difficultate constituti refectionem debitam defugimus, 1 Sam. 14, 24. Act. 23, 14. et 27, 33. Quin et coactum, et necessarium, ut est fames, et inedia, ac cibi et potus penuria, divinitus aut humanitus injecta, Matt. 24, 7. 2 Cor. 11, 27. Intelligimus itaque illud quod religionis ergo suscipitur.

XLI. Neque tamen huc proprie spectat sobrietas, frugalitas, ac victus temperantia, omnibus fidelibus toto vitae curriculo imperata, Rom. 13, 13. Luc. 21, 34. 1 Pet. 5. Quae ut quotidiana et perpetua, ita improprie jejunium est; nec etiam secundum singularem vocationem vitae peculiaris, tenuitas et austeritas, et jejunandi crebritas, qualis Johannis Baptistae, cui haud communis cum aliis victus ratio fuit, ut qui, praeterquam quod a cibis vulgaribus abstineret, multum jejunabat, Matt. 3, 4. 9. et 14, 14. quod jejunium extraordinarium est; neque denique ex singulari divina efficacia miraculosum jejunium, quale Mosis, Exod. 24, 18. et 34. Eliae, 1 Reg. 19. Christi, Matt. 4. adeoque inimitabile.

XLII. De Religioso ergo illo Jejunio omnibus fidelibus communi, ex definitione haec colligimus Theoremata. Primum est, Quod Jejunii ipsius usus non est ἐθελοθρησκεία, seu spontaneus cultus, sed res divinae institutionis, et observantiae et disciplinae perpetuo in Ecclesia duraturae, Joel. 1, 14. et 2, 15. Matt. 6, 16. et 9, 15. Ac proinde, retento tantum metaphorico et spirituali, scilicet abstinentia a peccatis, (ita ut jejunet os, non a cibo, sed a verbis turpibus, et morsu ac maledicentia proximi, manus a rapina, pedes ab omni re illicita, oculi ab impudicitia, aures ab obtrectatione et calumnia, etc. Esa. 58, 6. Jerem. 14, 12. Zach.

7, 6.) illud externum et corporale, cum reliquis legis ceremoniis in Nov. Test. antiquatum non est.

XLIII. Ita tamen Divinae est institutionis, ut universim quidem, at liberae sit secundum circumstantias dispositionis. Verum in V. Test. unum tantum ex divina descriptione statum et ordinarium seu anniversarium fuit, quod decima septimi mensis festo expiationis die, in domo Domini solenniter quotannis, usque in vesperam celebrabatur, Lev. 16. et 23. Ex institutione vero Ecclesiae in captivitate Babylonica existentis, fuit Jejunium decimi mensis in memoriam obsessae, quarti expugnatae, quinti desolatae urbis Jerusalem, septimi denique caedis Godoliae, quam multae calamitates consecutae sunt, 2 Reg. 25. Jer. 52. Zach. 5, 2. et 8, 19. Quibus accedit a Mardochaeo institutum, et a Judaeis susceptum jejunium Estherae, Esth. 9, 31. 32. Quorum illud, ut ceremoniale, haec vero ut temporalia, et genti illi pro tempore propria, abrogata sunt, Zach. 8, 19.

XLIV. In Novo vero Test. nullum omnino certum jejunii tempus a Christo et Apostolis est definitum, sed liberum relictum, ut idem testatur August. Epist. 86. Illudque usurpandum, ut loquuntur apud Tertull. Lib. de Jejunio Orthodoxi, indifferenter ex arbitrio, non ex imperio novae disciplinae, pro temporibus et causis uniuscujusque, id est, pro ratione personae firmioris; temporis, plurimum luctus; rei, incidentis et urgentis, gravioris alicujus sc. necessitatis, Matt. 9, 15. Marc. 2, 20. Luc. 5, 34. publicae vel privatae, praesentis vel imminentis; et quidem spiritualis vel corporalis boni obtinendi, vel mali avertendi causa, idque sine superstitiosa temporis ac dierum observatione.

XLV. Unde a causa et observatione jejunii, aliud privatum, aliud publicum. Illud quod privatim in privata causa, vel sua vel alterius initur, Dan. 9, 3. et 10, 3. 1 Cor. 7, 5. Act. 10, 3. Hoc, quod in publica, ab Ecclesiae antistitibus indicitur, et publice observatur, Esdr. 8, 21. Act. 13, 2. 3. et 14, 22.

XLVI. Quare Pontificii graviter hic errant, qui contra Christianam libertatem, jejunia ad certa tempora et dies alligarunt, ac ultra Judaismum Ecclesiam sine ulla urgente causa, multis statisque jejuniis onerarunt, et observationis quasi necessaria lege conscientias devinxerunt; utpote hebdomadatim, jejunio

quartae et sextae feriae, itemque post (imprimis in Romana Ecclesia) Sabbathi; annuatim Quadragesimae et Quinquagesimae (solis nempe Clericis) ante Pascha imposito; quin et quatuor temporum, scilicet mense Martio, Junio, Septembri, Decembri; aliisque quam plurimis, ut in vigiliis Apostolorum et aliorum Sanctorum solenniorum.

XLVII. Horum quaedam, scilicet hebdomadaria, et quatuor temporum, ex Judaica consuetudine, causa tantum mutata, ortum ducunt, Luc. 18, 12. Zach. 7. Quadragesimale vero, inani et inepta κακοζηλίᾳ miraculosi jejunii Christi, quod mirandum potius quam imitandum, inductum est. Quod quamvis ab Ecclesia antiqua usurpatum sit, varie tamen et libere, ita ut magna hujus, et in tempore, et in observatione fuerit diversitas et dissimilitudo, unius scilicet, duorum, plurium et quadraginta dierum, Euseb. Lib. 5. cap. 26. Socrat. Lib. 5. cap. 21. Niceph. Lib. 1. cap. 34. At Pontificii ejus observationem necessariam et in conscientia obligatoriam faciunt.

XLVIII. Consistit vero in fraudatione genii, et solito severiore continentia, seu abstinentia omnis omnino cibi, et potus, eaque intra vires humanas, puta, consuete a vespera ad vesperam, Lev. 23, 32. imo continuo usque ad triduum, Esth. 4, 16. vel a mane in vesperam, maxime in plurium dierum jejunio, ut septem dierum, 1 Sam. 31, 13. trium hebdomadarum, Dan. 10, 2. Ubi vespere cibum sumebant, sed parce ac tenuiter. Sic Daniel a carne et vino, quin et a pane delicioso, sed libere, abstinuit, Dan. 10, 3.

XLIX. Proinde Pontificii nihil minus quam jejunant, ut qui Primo jejunium non tam definiunt abstinentia ab omni cibo et potu, quam inepte superstitioso discrimine et delectu ciborum, 1 Tim. 4, 1. 2. 3. seu carnis; atque in Quadragesima omnium, quae a carne originem habent, ut lactis, butyri, casei, ovorum (quibus se fieri immundos putant) abstinentia; ac contra piscium saepe aromatis bene conditorum; aut fructuum deliciosissimorum, in quibus maximae cupediae; aut leguminum, in quibus magna flatulentia, etiam copiosiore usu: non item vini aut potus inebriantis, in quorum largiore usu luxuria est, continentia. Deinde neque carentia cibi et potus toto die, sed prandii dilatione semel tan-

tum singulis diebus ventrem saturantes, quod plerique Veteres tota vita factitabant. Atque hanc legem conscientiis, ut necessariam imponunt, nec nisi accepta pecunia dispensant.

L. Denique, per se res media, et indifferens est, id est, per se nec bona, nec mala; non enim regnum Dei est cibus aut potus, sed justitia et gaudium per Spiritum Sanctum, Rom. 14, 6. 17. 1 Cor. 8, 8. In usu vero; proprie et primo externum seu corporale exercitium et adminiculum est, excitandae, alendae, et fovendae pietatis; ac poenitentiae signum, quod per se non aut parum sane prodest, Col. 2, 23. 1 Tim. 4, 8. sed per accidens praestantioris finis respectu, quatenus scilicet ad pietatem, preces et poenitentiam refertur. Unde commendatur relatum ad justitiam, Matt. 5, 6.

LI. Finis itaque est, ut hac inedia carnis lascivia et torpedine coercita, animus spiritusque disponatur, et excitetur, ut liberior, expeditior et ardentior solito reddatur, ad Deo supplicandum, sanctas meditationes suscipiendas, et preces, quam ordinarie efficaciores, effundendas. Hinc est quod in Scriptura frequenter Orationi Jejunium adjungatur, Joel. 1, 14. Neh. 1, 4. Matt. 6, 5. Luc. 2, 37. 1 Cor. 7, 5. etiam extra rationem singularis poenitentiae, Act. 31, 2.

LII. Maxime autem illustris ejus finis in precatione hominis poenitentis, ad afflictionem carnis, et totius hominis coram Deo humiliationem, Psal. 35, 13. ut sit testimonium et symbolum seriae poenitentiae, et veri doloris ob peccatum concepti, Joel. 2, 12. Unde etiam Jejunium afflictio dicitur, et affligere se, corpus, animam, pro jejunare accipitur, Lev. 16, 29. Esai. 58, 3. Esd. 8, 21. et 9, 5. Res itaque fere est luctus, et luctui opportuna, Matt. 9, 15. Ut contra in solennitatibus cum gaudio et laetitia, largius, et ad hilaritatem sumere, et pauperibus portiones mittere, atque hilaria agere coram Domino, ad testandam gratiarum actionem, consuetum erat, Psal. 116, 13. Zach. 8, 19. Esd. 6, 21. 22. Neh. 8, 11. 13.

LIII. Illi rei olim varios gestus ac ritus, contritionis ac doloris indices, adhibebant, ut scissionem vestimentorum Joel. 2, 12. 13. vestem lugubrem, ut sacci vel cilicii, Psal. 39, 13. sessionem et abjectionem in terram ac cineres eorumque in caput aspersionem, faciei sordidationem et,

obscurationem, 2 Sam. 12, 16. lotionis et unctionis carentiam, Matt. 6, 16. capitis incurvationem, 1 Reg. 21, 27. Esai 58, 5. effusionem aquae, 1 Sam. 7, 6. evulsionem capillorum et barbae, Esd. 9, 3. Ester. 14, 2. fletum, planctum et ululatum, Joel. 2, 12. Quin et infantes et pecudes in graviore luctu in jejunii societatem vocabantur, Joel. 2, 16. Jon. 3, 7. Quae fere omnia, vel communia Judaeis cum Orientalibus, aut illi genti propria fuerunt, aut ad paedagogiam illius populi spectabant, a quibus Christus suos, pro re, loco, ac tempore liberos fecit.

LIV. Ex hisce finibus elucet, et cum iis cohaeret Jejunii modus, scilicet, ut non fiat hypocritice et ambitiose, id est, cum externa apparentia, gloriatione et affectatione famae sanctitatis, Matt. 6, 16. 17. Itemque superstitiose, id est, ex consuetudine, et in honorem Sanctorum, sed cum fide, Rom. 14. Dei timore, proximi caritate, et ad Dei gloriam.

LV. Hisce finibus et modo susceptum et usurpatum, Deo placet, ut usu bonum opus; ac sine eis, quantamcunque afflictionem et corporis castigationem adjunctam habeat, Deo displicet. Unde Deus imprimis urget ejus loco Jejunium spitituale, cum quo illud conjungendum, et ex hoc censendum est, Esa. 58, 5. 6. Zach. 7, 5. 9.

LVI. Cui quidem secundum rationem adjuncti, puta orationis fidei, id est, ex fide factae, et cum resipiscentia conjunctae, tribuitur deprecatio irae Dei, Deut. 2, 18. Jon. 3, 9. merces et retributio a Deo, Matt. 6, 18. Quin respectu humiliationis qualiscunque, affert et mitigationem poenae temporalis, 1 Reg. 21, 27. 28. 29. Imo et efficacia ejectionis daemoniorum ei attribuitur, Matt. 17, 20, 21.

LVII. Quare graviter errant Pontificii, qui vel in speciem tantum jejunantes, vel nimia inedia animum dejicientes, jejunium, seu inanitatem hanc ventris et intestinorum, atque hanc afflictionem et castigationem corporis, per se cultum Dei bonumque opus esse asseverant, illud gratam Deo orationem reddere, satisfactorium pro peccatis, meritorium justitiae et vitae aeternae, seu placare iram Dei, hominem justificare coram Deo; quin imo solvi eo animas e purgatorio, Lomb. L. 4. c. 15. contra evidentia Scripturae testimonia ante a nobis Thesi. 50. et 55. allata.

LVIII. Sub Jejunio comprehenditur et Vigilia quae et ipsa

cum precibus saepe conjungitur, Matt. 26, 38. 41. 1 Pet. 4, 8. qua non modo Vigilia cordis animique, qua semper ad preces, et adventum Domini parati et expediti sumus, Matt. 24, 42. Marc. 13, 35. Luc. 12, 39. 1 Thess. 5, 6. Apoc. 3, 3. et 16, 15. securitati carnali opposita, intelligitur; sed et corporis, qua libere, pro necessitate pars aliqua de nocte detrahitur, ad precationem, et meditationem adventus Domini. Sic David de se testatur, Psal. 119, 55. 62. Christus praeivit, Luc. 6, 12. confirmant Apostoli, Coloss. 4, 2. Actor. 16, 25. scilicet ut praecaveamus, ne intremus in tentationem, Matt. 26, 38. 41.

LIX. Ea non solum privata, sed et publica et stata olim fuit, in Paschalibus Vigiliis, scilicet nocte ante diem Resurrectionis, quae pervigilio celebrabantur, luminibus et publice et privatim accensis, Ambros. Serm. 60. In Paschalis Sabbatho jejunamus, Vigilias celebramus, et Orationibus percunctanter insistimus, seilicet ut Lactant. Lib. 7. cap. 19. et Hieron. causam reddunt, quod ea nocte Christi judicis exspectarent adventum. Sed eam rem pro Christiana libertate, ut libere susceptam usurpatamque, ita libere quoque antiquavit vetus Ecclesia.

LX. Ac tantum de Jejunio: Bacchanalia vero, quae ante jejunium Quadragesimale, in morem gentilem, improba consuetudine observantur a Pontificiis, qui extraordinaria lascivia, et luxu initiant hoc suum jejunium Quadragesimale, ab omnibus Christianis execranda et vitanda omnino sunt.

August. in Enchirid. ad Laur. c. 75.

Sane qui sceleratissime vivunt, nec curant talem vitam moresque corrigere, et inter ipsa facinora et flagitia sua eleemosynas frequentare non cessant, frustra sibi ideo blandiuntur, quoniam Dominus ait, Date eleemosynam, et ecce, omnia munda sunt vobis. Hoc enim quam late pateat, non intelligunt, etc. Itane hoc intellecturi sumus, ut Pharisaeis non habentibus fidem Christi, etiamsi non crediderint, nec renati

fuerint ex aqua et Spiritu Sancto, munda sint omnia, si tantum eleemosynas dederint, sicut isti illas dandas putant? cum sint immundi omnes quos non mundat fides Christi, de qua scriptum est, Mundans fide corda eorum; et dicat Apostolus, Immundis autem et infidelibus nihil est mundum, sed polluta sunt ipsorum mens et conscientia, etc. Nemo autem dat eleemosynam quamlibet, nisi unde det, ab illo accipiat qui non eget, et ideo dictum est, Misericordia ejus praeveniet me.

Idem ad Casulanum, Epist. 86.

Ego in Evangelicis et Apostolicis literis, totoque instrumento quod appellant Testamentum Novum, animo id revolvens, video praeceptum esse jejunium. Quibus autem diebus non oporteat jejunare, et quibus oporteat, praecepto Domini et Apostolorum non invenio definitum.

DISPUTATIO XXXVIII.

DE

Votis.

Praeside D. JOHANNE POLYANDRO.

Respondente GERHARDO PALUDANO.

Thesis I.

Non minus Deus vota nomen ipsius invocantibus, atque eleemosynas proximo largientibus, quam jejunia verbo suo praescribit. Quocirca disputationibus praecedentibus de Invocatione Dei, Eleemosyna et Jejunio, haec de Votis apte subjungitur.

II. Votum, si vocis etymon spectemus, idem apud Latinos, quod apud Graecos εὐχὴ, atque apud Hebraeos נדר denotat.

III. Votum generatim consideratum, est sancta ac religiosa pollicitatio, de rebus praeceptis vel indifferentibus in nostra

dite Jehovae Deo vestro, quicumque circumstant illum, afferant munus illi formidabili.

2. Sanctorum exemplum, Gen. 28, 20. 1 Sam. 1, 11.

3. Beneficiorum a Deo acceptorum recordatio, qua David excitatus, Quid, inquit, rependam Jehovae? omnia beneficia ejus superant me. Vota mea Jehovae rependam mox coram populo ejus.

4. Spes novum aliquod ac peculiare beneficium precibus a Deo postulatum atque exspectatum impetrandi. Qua fultus spe Jacob fecit Deo votum singulare, Gen. 28. quemadmodum et Anna mater Samuëlis, 1 Sam. 1.

5. Denique serium animi propositum carnis libidines ab omni pravitate cohibendi. Quale fuit Jobi se cum oculis suis foedus pepigisse asserentis, ne eos ad virginem adverteret, Job. 31, 1.

XXIV. Tribus porro circumstantiis piorum vota in S. Scriptura limitantur, quarum prima est de illorum subjecto, secunda de materia, tertia de objecto.

XXV. Subjectum votorum capax est homo cum quo Deus foedus gratiae suae iniit.

XXVI. Foedus illud gratiae quod Deus cum parentibus fidelibus pepigit, ad ipsorum quoque infantes pertinet, ideoque hi tamquam rami in illis, tamquam in radice sanctificati, ab illis communi obedientiae voto implicite obligantur. Cujus implicitae obligationis sacramentum olim fuit Circumcisio, nunc autem est Baptismus.

XXVII. Ad cujus obligationis sanctionem, alterum Paschatis sacramentum sub Vetere, ac sacrae Coenae sub Novo Testamento a Deo fuit institutum, ut non minus infantes rationis usum per aetatem assecuti, quam ipsorum parentes, priorem obedientiae suae promissionem solenni illius iteratione confirmarent.

XXVIII. Quod votum generale, tam junioribus, quam senioribus a Deo praescriptum, a quibusdam specialibus discerni debet. Illud utique ratum permanere debet, nec quicquam illi per humanam auctoritatem derogari potest. Haec sunt irrita, si ab iis suscipiuntur, qui non sunt sui juris, sed vel patria, vel maritali, aliave auctoritate legitima constringuntur, Num. 30.

XXIX. Hoc igitur primum Bellarmini axioma, In qualibet hominum aetate, modo adsit usus liberi ar-

britrii, talia licere vota nuncupare, continentiae scilicet, obedientiae et paupertatis, falsum est, cum haec vota nec sint generalia, nec a Deo praescripta, sed specialia et ab hominibus excogitata, ut suo loco demonstrabimus. Vide Bellarm. Lib. 2. de Monachis, c. 35.

XXX. Alterum Bellarmini axioma, Filiis licere, invitis parentibus, ad Religionem transire, verum est, si de religione Christiana proprie dicta intelligatur; at falsum, si ad statum aliquem singularem vitae religiosae aequivoce sumptae ac reipsa superstitiosae (prout fit a Bellarmino) accommodetur, Bellarm. Lib. 2. de Monachis, c. 36. Hac etenim ratione sub praetextu Religionis, liberis violatio quinti praecepti de parentibus honorandis, impie conceditur.

XXXI. Quamvis autem vota specialia, quatenus sunt Legis ceremonialis appendices, per Christum sint abrogata, nullaque propterea de iis praeceptio exstet in Novo Testamento, quatenus tamen juris sunt naturalis ac vincula quibus omnes homines ad opera moralia Deo naturaliter et per se debita arctius astringuntur, non minus ea nobis, quam Patribus nostris ante legem de iis latam, licita esse affirmamus.

XXXII. Ad legem illam ceremonialem nondum Apostolorum temporibus penitus abrogatam, referendum est votum Paulinum, cujus mentio fit Actor. 18, 18.

XXXIII. Quod attinet externa quorundam Christianorum exercitia voluntaria, cujusmodi sunt abstinentia a potu et cibo consueto, aut ab aliis rebus in quarum usu aliquod ipsis periculum occasionis ad peccandum esse videtur, certae atque ordinariae precationes, certaeque Eleemosynarum largitiones, illa et similia non inutiliter ab ipsis suscipiuntur, modo omnis ab illis absit superstitio, illaque ad veram fidem, poenitentiam, sobrietatem, caritatem, aliasque virtutes Christianas alendas ex serio pii Deoque devoti animi proposito peragantur.

XXXIV. Votorum materia aut res sunt verbo Dei expresse praeceptae, aut non expresse praeceptae, sed arbitrariae. Illae per se sunt sanctae ac necessariae, hae per se quidem sunt ἀδιάφοραι, seu indifferentes, sed per accidens fiunt sanctae atque utiles ad salutem quatenus ad cultum Dei principalem referuntur, ejusque promotioni inserviunt.

XXXV. Generale Christianitatis votum in Baptismo inchoa-

tum, atque in Coena Domini renovatum, est tantum de rebus in Decalogo et Evangelio praeceptis.

XXXVI. Specialia sunt, aut de rebus Decalogo et Evangelio non absolute praeceptis, ut sunt caelibatus, et abstinentia a certo potu, cibo, vestimento, aliisque bonis usui hominum concessis; aut de rebus partim praeceptis in genere, quoad earum substantiam, partim non praeceptis in specie, quoad temporum, locorum, personarum et occasionum circumstantias, ut sunt statae preces, jejunia, Eleemosynae, et similia pietatis officia, quorum publica determinatio judicio Ecclesiae, privata executio, cujusque fidelis arbitrio a Deo permittitur.

XXXVII. Priora vota de rebus mere adiaphoris eminuerunt olim in Nazaraeis, Num. 6. ac laudata fuerunt in Rechabitis, Jer. 35. Posteriora in reliquis Judaeis; at nunc utraque damnantur, si quis ex opinione necessitatis, libertati per Christum nobis partae omnino repugnantis, se aut alios, servili eorum jugo implicet, Gal. 5, 1. Coloss. 2, 20.

XXXVIII. Pontificii vota Judaicis similia, aut sibi, aut aliis imponentes, votorum legitimorum conditiones, quarum nonnullas ipsimet approbant, nequaquam observant.

XXXIX. Harum conditionum prima est, Ut fiant juxta Dei praecepta. At nullum in universa Scriptura de tribus votis, ad quae Monachi Romanenses astringuntur, praeceptum apparet. Et quamvis Bellarminus singula vota ex quibusdam Scripturae locis in sensum alienum a se detortis probare satagat, nullum tamen producit, quo illa conjunctim affirmet.

XL. Secunda est, Ne quod verbo Dei praescribitur, aut permittitur, voto aliquo impediatur. Sed hoc fit voto paupertatis, obedientiae et caelibatus.

XLI. Nam voto paupertatis, aut potius mendicitatis, Monachi a labore quem Deus cuilibet homini praecipit, Gen. 3, 19. Exod. 20, 9. ad otia, quae dant vitia, abducuntur.

XLII. Deinde voto obedientiae regularis, vel potius irregularis, iidem, posthabito voto obedientiae universalis soli Christo debitae, juxta Patris mandatum, Hunc audite, Matt. 17, 5. particularibus ac diversis hujus vel illius Praelati regulis humanis, tamquam divinitus ordinatis, simpliciter et sine ulla sententiae ac judicii sui contrarii exceptione auscultant.

XLIII. Tertio denique voto perpetui caelibatus, Monachi injuste

excluduntur a generali Apostoli praecepto, 1 Cor. 7, 2. Propter scortationes suam quisque uxorem habeto, cum ipsis quoque (confitente Bellarmino) insit periculum fornicandi, donumque continentiae, quam voverunt, possint amittere, et vinci aliquando a tentatione, Bellarm. Lib. 2. de Monachis, cap. 9.

XLIV. Tertia conditio est, Ne vota actiones sint suo genere malae, quales sunt in Papatu sanctorum invocatio, imaginum ac reliquiarum veneratio, Monachorum otiosa mendicitas, et similes.

XLV. Quarta est, Ne majus bonum impediant. Quod facit votum paupertatis, quo divites bonis suis renunciantes omni destituuntur facultate Sanctorum communionem alendi per opera hospitalitatis ac beneficentiae, quibus Deus maxime delectatur, Hebr. 13, 16.

XLVI. Quinta est, Ne res vota obsit officio quo quilibet ex jure naturali ac morali in proximum fungi tenetur. Talis est societatis humanae, atque imprimis propinquorum suorum desertio, quam Monachi voventes, ne consanguineorum suorum necessitati inservire cogantur, fidem Christianam quam ore profitentur, reipsa abnegant. Ubi enim est tanta inhumanitas, ibi nulla est in Deum pietas.

XLVII. Sexta est, Ne res sit plerisque voventibus impossibilis, ut est perpetua in vita caelibe castitas, cujus in monasteriis violationem totus Christianismus non sine gravi offendiculo ab aliquot retro seculis animadvertit.

XLVIII. Septima, Ne res sint ineptae, ludicrae et inutiles, ut sunt peregrinationes religiosae, variae habituum Monachalium formae, abstinentia a certis ciborum generibus, etc.

XLIX. Octava, ut ab iis absit omnis opinio cultus necessarii ac meritorii apud Deum ex opere supererogationis. In qua opinione Bellarminus Monachos suos hac voti definitione confirmat: Votum est religiosa promissio alicujus excellentioris boni Deo facta. Quae Bellarmini definitio, hac falsa nititur hypothesi, quod bonum aliquod excellentius in Evangelio nobis a Christo commendetur, quam a Deo in Lege mandetur. Cujus falsitatem in superioribus nostris Disputationibus de Lege et Evangelio abunde demonstravimus.

L. Idem est votorum objectum adaequatum, quod est precum, nempe Deus, ad quem solum veri adoratores vota sua direxerunt, juxta praeceptionem ipsius, Deut. 23. Psal. 50. et 75.

LI. Quapropter Pontificios qui sua quoque vota Sanctis mortuis ac Coenobiarchis nuncupant, pro sacrilegis idololatris honorem soli suo Creatori debitum creaturis ejus attribuentibus jure merito habemus.

LII. Forma votorum interna in eo consistit, ut praevia mentis deliberatione libere fiant, atque ex certa fidei cognitione ac fiducia, sine qua Deo placere nequeunt; externa, ut etiam lingua exprimantur, quae, licet Dei καρδιογνώστου respectu non sit necessaria, ad nostri tamen zeli sanctique propositi vota nostra Deo cum proximi quoque aedificatione offerendi testificationem, non inutiliter adhibetur.

LIII. Finis votorum summus ac generalis est Dei gloria subordinati ac speciales sunt:

1. Ut erga Deum, tum nostram resipiscentiam ob peccata adversus ipsum commissa, tum nostram εὐχαριστίαν seu gratitudinem ob beneficia ab ipso accepta testemur.

2. Ut hoc calcari ad cetera omnia pietatis, caritatis, justitiae et misericordiae officia, quae a nobis proficisci possunt, magis excitemur.

DISPUTATIO XXXIX.

DE

Purgatorio et Indulgentiis.

Praeside D. ANDREA RIVETO.

Respondente GUILIELMO SOESTIO.

THESIS I.

POSTQUAM in praecedentibus disputationibus actum est de Officiis Christi, ejusdem Satisfactione pro peccatis nostris, satisfactionis applicatione per veram fidem in hominis justificatione, et eorum qui ejus participes fuerunt, gratitudine in

sanctificatione et sanctificationis operibus; deque vero Jejuniorum, Eleemosynarum, et Votorum usu, quibus abutuntur Pontificii ad stabiliendas extra Christum satisfactiones humanas; merito subnectemus de Purgatorio et Indulgentiis disputationem elenchticam, qua ostendemus, ascititia haec hominum inventa, nullo solido fundamento inniti, sed Christi meritis et satisfactioni unicae detrahere, et Ecclesiae Dei injuria esse; cujus partem unam, eamque non infimam, apud inferos ad tempus cruciari fingunt.

II. Ne autem adversariis aliquid de nostro affingamus, ex eorum scriptis primum exponemus controversiae statum, et quae apud eos certa et de fide habentur, a minus certis et de quibus disputatur, distinguentes; adversus illa praesertim rationes nostras dirigemus. Sic enim ipsi monent, quaedam esse dogmata de purgatorio magis aut minus certa, quae a suis tenentur, quae non perinde quibuslibet testimoniis et argumentis simul confirmantur, sed aliis atque aliis. Greg. de Val. in 3. part. Thom. disp. 11. qu. 1. punct. 1. §. 4.

III. Sed primam et praecipuam notionem nominis hanc esse statuunt, secundum quam purgatorium esse aeque probari putant testimoniis quae afferri solent vel ex Scriptura, vel ex Patribus, vel ex definitionibus Ecclesiasticis; qua intelligunt Locum aliquem, quo post mortem, eorum fidelium animae, quae vel obstrictae adhuc reatu alicujus temporalis poenae, vel etiam aliquibus peccatis venialibus, ex corpore migraverunt, secundum justitiae divinae rationem cruciantur; quoad penitus ab hujusmodi peccatis expiatae, beatitudinem coelestem consequi valeant. Greg. de Valent. ibid. Bellarm. Lib. 2. de Purg. c. 1.

IV. Omissis igitur controversiis apud ipsos Pontificios agitatis, de Loco purgatorii, de quo etsi fateantur Ecclesiam suam nihil definivisse, secundum tamen magis receptam sententiam, quam veriorem esse censent, subterraneum esse putant, et vicinum inferno damnatorum; de igne, quem plerique proprium, etsi alii improprium; de ejusdem qualitate, nempe an verus sit et corporeus, quam certissimam esse suorum Theologorum sententiam asserunt; de suffragiis vivorum pro defunctis et similibus; substantialem illam, quam vocant, et primariam vocabuli notionem considerabimus, et ad regulam

veritatis exigemus: quandoquidem dogma illud suum, tam creditu necessarium esse statuunt, ut qui illud negat, illum in gehennae sempiterno incendio cruciandum judicet Bellarminus, l. 2. de Purg. cap. 15. Et Panigarula non dubitavit negare Deum esse, si purgatorium non sit. Lect. de Purg. Taurini habita.

V. Nos vero, et Deum esse firmissime credimus, et tale purgatorium esse constanter negamus, nec inferni poenas eo nomine extimescimus; qui praeter Christi sanguinem et Spiritus Sancti gratiam, quae verbo et Sacramentis in hac vita credentibus dispensantur, scimus nullum purgatorium esse a Deo institutum, nisi forte quis dicat afflictiones et castigationes a peccatis purgare; quod tamen non faciunt vi propria sed occasionaliter tantum, ut sic dicam, quatenus παθήματα sunt μαθήματα, quibus de infirmitatibus nostris monemur, ut ad medicum recurramus, quae ratio afflictionibus ignis purgatorii post hanc vitam, ipsis fatentibus adversariis, competere non potest.

VI. Falsissimum est quod supponunt, Ecclesiam Catholicam perpetuo sensisse tale purgatorium esse, quam suppositionem existimant sufficere debere, ad retinendam purgatorii assertionem, licet nullum haberent Scripturae testimonium, aut argumentum aliud. Quod fundamentum caute substernunt, conscii sibi, quicquid ex Sacra Scriptura proferunt, obtorto collo trahi ad alienam causam; nec posse fidem facere iis quibus non est objectum ob oculos Pontificiae auctoritatis glaucoma, et traditionum humanarum nubecula, quae Catholicae Ecclesiae auctoritatem falso sibi vendicat.

VII. Quamvis ergo nonnulla Scripturae testimonia torqueant, fuerunt tamen in ipso Pontificiorum regno, quibus veritas extorsit, non esse in promptu adducere unam aliquam Scripturam, qua protervientem adigat, uti velit nolit, confiteatur, purgatorium esse, et si aliqua esse possit, tamen diligentissimos inquisitores hactenus latuisse, Roffensis contra Lutherum articul. 18. Hinc est quod in Gallia, Petrus Cottonus Jesuita, cum superos flectere non posset, Acheronta movere conatus est, et quod hactenus diligentissimos latuerat, ope daemonis eruere, cui inter alias quaestiones hanc proposuit: Quis esset in Scrip-

tura locus ex quo Purgatorium posset evidenter probari?

VIII. Scilicet noverat, quod ingenue praefatur Petrus a Soto, in Sacerdotum instructione, lect. 1. de Purg. minus apertas, minus efficaces esse, et minus probare auctoritates Scripturae quae a suis Doctoribus afferuntur; illis itaque non esse utendum ad probandum Purgatorium. Item, Non esse necessarium nec opportunum inniti auctoritati loci ex Matt. producti cap. 12. Non remittetur neque in hoc seculo, neque in futuro, quia responderi potest, dictum esse secundum quandam exaggerationem et hyperbolem. Neque celebri illa auctoritate 1 Cor. 3. Sic tamen quasi per ignem, obtineri, esse aliquod tale purgatorium post mortem, quia talis ignis debet intelligi, ut ambo per eum transeant, tam qui aurum, quam qui foenum aedificant: Quae ratio, inquit idem, efficacissime arguit, ibi non probari purgatorium post mortem, aut si cui videtur nihilominus probari posse, certe propter ambiguitatem, sensus minus est evidens. Quare nec illi innitendum.

IX. Locus autem ex cap. 12. Lib. 2. Machab. quem in prima acie collocant Bellarminus et Greg. de Valent. de igne aliquo purgatorio, aut loco in quo animae ustulantur, nihil habet, et ita potest explicari, ut ex eo suffragia pro mortuis, saltem ex facto Judae, probari non possint. Sed praeterea de libri illius auctoritate, an scilicet canonicus sit, dubium fuit apud antiquos, quod tempore Augustini nondum satis explicatum videbatur, ait idem Soto, qui asserit, dogma de purgatorio certius et evidentius esse, quam sit libri illius auctoritas: nec esse evidentiora minus evidentibus confirmanda.

X. Non solum esse dogma ἄγραφον sed etiam ἀντίγραφον, ut ostendamus, non opus est (quod inique ex adversariis nonnulli postulant) ut negativam illam αὐτολεξεὶ et totidem verbis ex Scriptura asseramus, non est locus purgatorius animarum post mortem. Sufficit si ostendamus, multis modis dogma illud Pontificiorum, cum Scriptura et recta ratione pugnare. 1. Scriptura inter fideles et infideles, bonos et malos, in-

trantes per angustam et per latam portam, filios seculi et filios Diaboli, spirituales et carnales, etc. nullum medium ponit, sed inter tales ubique immediatam oppositionem constituit, Luc. 16, 8. Matt. 7, 13. Matt. 25, 32. Joh. 5, 29. Rom. 8, 5. etc. Ergo non agnovit medios illos, neque valde malos, neque valde bonos, quibus sublatis, vacuum est purgatorium.

XI. Eadem Scriptura duas tantum vitas commendavit, et Augustino teste, Tractatu 124. in Joh. Easdem sibi divinitus praedicatas et commendatas novit Ecclesia, quarum una est in fide, altera in spe; una in tempore peregrinationis, altera in aeternitate mansionis; una in labore, altera in requie; una in via, altera in patria; una in opere actionis, altera in mercede contemplationis, etc. Primam autem hujus vitae terminis definit ac diserte circumscribit Paulus Rom. 8, 18. 2 Cor. 5, 10. Idem perspicue docet, ea quae videntur, temporalia esse, quae autem non videntnr, esse aeterna, 2 Cor. 4, 18. Cum autem status animarum post hanc vitam sit invisibilis, eundem aeternum esse oportet. Ipsi Scholastici per viatores intelligunt tantum, qui adhuc istius lucis usura fruuntur.

XII. Scimus, cum eodem Apostolo, 2 Cor. 5, 1. Si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod aedificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, aeternam in coelis, non temporalem in inferis. Extra duos hosce ordines, inquit Ephraem Tom. 1. Tract. de mans. beatis, alius non est ordo medius; loquor autem de altero quidem superno, altero vero inferno. Et paulo post, Effugere gehennam, hoc ipsum est regnum coelorum ingredi, quemadmodum et ex eo excedere, est gehennam introire. Neque enim nos tres regiones Scriptura edocuit. Certe, nam qui credit, transit de morte ad vitam, Joh. 5, 24. Et a modo requiescunt a laboribus suis, qui in Domino moriuntur, Apoc. 14, 13. Nam absurdum est quod Bellarminus et alii statuunt, nonnullos partim in Domino partim non in Domino mori; quasi dicerent, aliquem ad metam pervenisse, qui tamen extra metam adhuc vagaretur.

XIII. Ubicunque Scriptura praecepta et exempla εὐθανασίας proponit, nullam non tantum cruciatuum et tormentorum for-

midinem piis incutit; sed spei et gaudii plenissimam materiam eorum animis ingerit, quod fieri non posset, si piis in Christum credentibus, post mortem metuendae essent purgatorii flammae, ab inferni igne sola duratione differentes, Esa. 57, 1. Justus perit et non est qui recogitet in corde suo, et viri misericordiae colliguntur, etc. veniet pax, requiescet in cubili suo, qui ambulat in dilectione. Ideo morientes dimitti se petebant in pace, Luc. 1, 29. quia iis qui ad mortem usque fideles sunt, promittitur corona vitae, non praeparatur supplicium ignis, Apoc. 2, 10. Quam eandem tam omnibus Christi adventum diligentibus, quam sibi reservatam post hujus vitae certamen testatur Apostolus, 2 Tim. 4, 8.

XIV. Si quis aliqua purgatione satisfactoria post mortem indiguisset, certe is latro qui conversus fuit in cruce, qui se confitebatur digna factis recipere, Luc. 23, 41. debuisset purgatorias poenas post mortem multis annorum centenis luere, qui tamen audit a Christo, Hodie mecum eris in Paradiso. Nam quod Pontificii nonnulli asserunt, mortem patientissimo animo toleratam et confessionem admirandam, potuisse in justam satisfactionem admirandam, potuisse in justam satisfactionem reputari, Bellarm. de Purgat. Lib. 1. c. 2. (unde sunt inter Jesuitas qui hunc latronem Christi Martyrem appellant) omnino repugnat Scripturae et rectae rationi; nam qui patitur quasi homicida, aut fur, aut maleficus, 1 Pet. 3, 15. ille certe non patitur pro Christo.

XV. Nec est quod quis dicat, privilegia paucorum regulam non facere. Nam idem promissum omnibus fidelibus factum est, quod non venient in judicium sed transierunt a morte ad vitam, Joh. 5, 14. Super quos non cadet sol, nec aestus; ergo non ignis purgatorius, Apoc. 7, 14. Ideo anima Lazari, simul ac e corpore egressa fuit, ab Angelis in sinum Abrahae delata est, ubi consolatione fruebatur, Luc. 16, 22. Ergo non sensit ὠδῖνας gravissimas in purgatorio. In hac fide morientes, cupiebant magis emigrare e corpore et praesentes esse apud Dominum, 2 Cor. 5, 8. dissolvi et esse cum Christo, Phil. 1, 23. Nempe qui sciebant, velle Dominum, ut quos dedit ipsi Pater, ubi ille est, sint etiam cum illo, et videant gloriam ip-

sius; non autem in inferno juxta damnatos similem ignem in multos annos patiantur.

XVI. Tempus vitae praesentis esse tempus sementis, post hanc vero vitam esse tempus messis, Scriptura testatur, Gal. 6, 7. quo referet quisque prout gessit in corpore suo, 2 Cor. 5, 10. Esse nunc tempus acceptabile, dies salutis, 2 Cor. 6, 2. Filium hominis dimittere peccata in terra, Matt. 9, 6. Et quae dimittuntur aut solvuntur in terra, eadem in coelo dimitti et solvi, Matt. 16, 19. Cum ergo remissio peccatorum et salus, in hac tantum vita, per fidem ministerio verbi et Sacramentorum accensam obtineatur, vel amittatur, et in coelo exspectandus sit effectus eorum quae in terra geruntur, frustra purgatorium extra terram habitabilem et coelum statuitur.

XVII. Ipsa doctrina de Purgatorio cum remissione peccatorum consistere non potest. Dicunt Jesuitae, in altera vita non esse locum nisi justitiae, in retribuendo videlicet poenam vel praemium, pro meritis aut demeritis hujus vitae. Greg. de Val. Disp. II. quaest. I. punct. 1. Ergo nullus est secundum eos locus misericordiae. Remissionem vero peccatorum esse misericordiae effectum, si quis neget ad agnatos et gentiles est ablegandus. Nam quod addit Jesuita, remitti peccata eatenus quatenus per solutionem poenae satisfit divinae justitiae, adeo est absurdum ut etiam blasphemam consequentiam pariat, Christo nempe remissa fuisse peccata, qui divinae justitiae plene satisfecit.

XVIII. Nec minus absurdum est quod dicunt, remissa culpa purgari hominem a peccato, dum ab eo post hanc vitam temporalis exigitur poena. Cum ipse Bellarmin. de Purgat. lib. 2. cap. 4. Poenam debitam, seu reatum poenae, maculam non gignere, sed debitorem facere, fateatur: ubi autem nulla est macula, quid opus est purgatione? Deinde, quod purgatur, illud aufertur, nam aufert Deus maculas quas purgat; at in purgatorio infertur poena usque ad ultimum quadrantem, ex hypothesi adversariorum. Quis unquam audivit aliquem purgari a poena, quam integram pati cogitur? Nam si quis dicat, eos qui sunt in purgatorio aliquando levari poenis per vivorum suffragia, etsi hoc falsum sit; inde tamen sequitur tantum, suffragia et satisfactiones vivorum esse purgatorias, non ignem aliquem esse purgatorium, qui non purgat, sed a quo purgantur

et liberantur, pro quibus satisfactum est, quo sensu passivo, poenae damnandis debitae erunt purgatoriae, quia Christus suos ab illis, satisfaciendo liberavit.

XIX. Ex his concidit praecipuum adversariorum fundamentum, quo necessario fatendum esse contendunt, tempus aliquod et locum post mortem superesse, quod animae extra ipsum coelum et etiam extra infernum damnatorum, a reatu poenae et culpa veniali expientur, ut ingredi possint in regnum coelorum, quia tales reperiuntur, qui cum sint in gratia Dei, in regnum tamen coelorum statim absque alia expiatione non admittantur, cum nihil illuc intret, ulla ratione coinquinatum, nec sit ibi Ecclesia jam habens aliquam maculam et rugam. Negamus, aliquam maculam aut rugam remanere in iis qui in gratia moriuntur, ad quos pertinet dictum Apost. Rom. 6, 7. Qui mortuus est, justificatus est a peccato. Poenam praeterea debitam, maculam non inurere, fassus est Bellarminus. Idem fatetur, in morte tolli fomitem peccati, sublata sensualitate. Lib. 2. de Purgat. cap. 9. Ubi non est peccati fomes, ibi nullum potest esse peccatum, ne veniale quidem. Sublata enim causa tollitur effectus.

XX. Adde quod distinctio peccati venialis a mortali apud Pontificios usurpata, definitioni peccati repugnat, quod non tantum est extra Legem, sed etiam contra Legem, ac proinde maledictionis divinae reum facit, cui non est remissum. Cum autem qui moriuntur in gratia, non sint sub maledictione, neque etiam rei sunt alicujus peccati; quod nullum sua natura adeo est minutum, sive ex levitate materiae, sive ex imperfectione operis, ut maledictionem aeternam non mereatur, cum omnis transgressio legis sit morte digna, Deut. 27, 26. Divina autem lege interdici peccata etiam minutissima, Christus docuit, Matt. 5, 22. Nec excipitur aliquod peccatum, pro quo sanguis Christi non fuerit effusus, cum purget nos ab omni peccato, 1 Joh. 1, 7. cujus macula si in aliquo remaneat a Christo ante obitum non deleta, is poenae aeternitate sentiet, se non in loco aliquo purgatorio esse, sed in gehenna. Nam stipendium peccati mors, Rom. 6, 23.

XXI. Nec solidius est fundamentum aliud quod purgatorio et indulgentiis (de quibus infra dicendum erit) substernitur; nempe post remissionem culpae mortalis et poenae aeter-

nae, aliquam poenam temporalem exstare exsolvendam, vel in hac vita operibus poenalibus satisfactoriis, vel post hanc, in aliquo igne purgatorio. Haec enim supponunt aliquas esse satisfactiones pro peccato praeter satisfactionem Christi, quod dogma absurdum et blasphemum esse, satis ostendunt consequentiae quas inde nectunt, nempe Christi meritum tum perfectae satisfactionis nomen non mereri, quae verba sunt Tapperi Lovan. Theol. in expl. art. 6. Lov. Tom. 1. contra expressas Scripturae Sacrae sententias, quae testantur, conjectas fuisse in eum iniquitates omnium nostrorum, eumque nos ab omni iniquitate redemisse, etc. Esa. 53, 6. Tit. 2, 14. 1 Joh. 1, 7. et infinitis aliis in locis.

XXII. Quibus testimoniis convicti, etsi nonnulli fateantur, Christum plenissime satisfecisse pro reatu culpae ac poenae temporalis et aeternae omnium peccatorum, Bellarmin. Lib. 2. de Indulg. cap. 10. addunt tamen, quibus quod verbis concedunt, reipsa auferunt; quia nullas satisfactiones Christi iis qui post Baptismum incidunt in peccata, volunt prodesse, nisi ipsi suis satisfactionibus peccata sua diluant; ac si satisfactio Christi ideo praestita esset, ut nos ipsi pro peccatis nostris satisfaceremus; qua ratione absurde volunt, per satisfactiones nostras nobis satisfactionem Christi applicari; quem applicandi modum, extra fidem et Sacramenta, ignorat Scriptura, et ab eo abhorret recta ratio. Quis enim unquam audivit, poenam poena, et Christi satisfactionem ustionibus et tormentis applicari? quomodo misericordia per executionem justitiae in nobis applicaretur, remissio debitorum per exactionem debiti, et venia punitione?

XXIII. Perpetuam fallaciam ab ignoratione Elenchi committunt, cum multis argumentis ex Scriptura et experientia petitis probare conantur, post culpam remissam pios variis modis a Deo affligi, etiam propter peccata admissa et remissa. Non enim id vertitur in dubium; sed in eo est τὸ κρινόμενον, an tales poenae temporales infligantur a Deo, ad satisfactionem pro peccatis nostris, vel ex toto, vel ex parte, non vero potius, ad demonstrationem debitae miseriae, ad emendationem labilis vitae, ad exercitationem necessariae patientiae. Id nos contendimus, aliud a Pontificiis assutum

constanter negamus; et poenas temporales Davidi et aliis post peccatum inflictas, asserimus, pertinuisse tantum ad παιδείαν et δοκιμασίαν, non autem fuisse vel ex parte vel ex toto λύτρον pro peccatis, quia post remissionem, sunt certamina exercitationesque justorum, quae ante remissionem sunt supplicia peccatorum, ut loquitur Augustinus de Peccat. mer. et remiss. Lib. 2. cap. 34.

XXIV. Praeterea negamus, poenas illas castigatorias aut purgatorias, ultra hujus vitae terminos extendi, quod ex illarum fine, propter quem infligi solent, perspicue probatur, qui partim vitae nostrae emendatione, partim in exemplari aliorum cautione, et nostra ipsorum in futurum praecautione consistit, quae in mortuis locum ullum habere non possunt: ad hoc enim corripit Deus ut emendet, ad hoc emendat, ut servet, ut bene Cyprian. Lib. 4. Epistol. 4. qui etiam post mortem nullum poenitentiae locum, nullum satisfactionis effectum agnoscit, ad Demetr. Tractat. 1. Ideo, poenitentiae et remissionis peccatorum, in hac vita tantum praescriptum tempus nos habere, suos catechumenos docebat Cyrillus Jerosol. Catech. 18. Est enim haec vita tempus medicinae. Cum autem poena consideratur ut medicina, tum aliquis pius interdum punitur sine sua culpa, quippe quae per Christum ipsi est condonata, non tamen sine causa. Ut recte distinxit Thomas 1, 2. quaest. 108. artic. 4.

XXV. Denique a poenis a Deo inflictis, ad poenas satisfactorias ab hominibus vel imponendas, vel ultro suscipiendas, nulla est consequentia, quas si Deus requireret ad satisfactiones, bis vendicaret in id ipsum, et duplicem satisfactionem contra justitiae regulam acciperet. Nam quod respondent, esse subordinatas nostras satisfactiones Christi satisfactionibus, id frustra dicunt; quia contraria subordinari non possunt. Sunt autem contrariae, satisfactio perfecta et imperfecta, unica et multiplex, imo imperfecta satisfactio, non est satisfactio, cum sit contradictio in adjecto. Quod si satisfactionem acciperent, pro alicujus conditionis impletione requisita, ad participandam satisfactionem Christi, quae per Metaphoram satisfactio diceretur, id quidem tolerari posset, etsi a catachresi cavendum esset; sed cum illi vere et proprie, pro peccatis nostris, Deo

nos satisfacere asserant, non possunt ullo praetextu excusari. Christus qui purgationem peccatorum nostrorum per seipsum fecit, Ebr. 1, 3. nemini hunc honorem communicavit.

XXVI. Quae autem loca citantur ex Scripturis, aut exempla sunt, in quibus vel requiruntur fructus digni poenitentia, vel opera laboriosa suscepta fuerunt a piis, etc. Ea minus ad rem pertinent, quia a viventibus tantum, non a mortuis requisita fuerunt, aut facta; et nunquam de satisfactione proprie dicta, sed de simplici conditionum in nobis requisitarum praestatione, vel etiam, ut dictum est, de paterna Dei castigatione, et non de judiciaria punitione, intelligi debent; quia nullum est κατάκριμα iis qui sunt in Christo, Rom. 8, 1. quibus cum remissa sit culpa, non potuit juste infligi poena, qua talis. Cum inter culpam et poenam propriam, tanta sit conjunctio, ut uno et eodem plerumque nomine, utramque lingua sancta expresserit, Levit. 10, 9. et ubi debitum remissum est, tollatur omnis obligatio.

XXVII. Necessitatem illam satisfaciendi pro reatu poenae temporalis et culpis venialibus, ante beatitudinis possessionem, evertit plane conditio eorum, qui in novissimo die superstites, in occursum Domini rapientur per aërem, 1 Thess. 4, 17. Nam ita transmutabuntur ἐν ἀτόμῳ, ἐν ῥιπῇ ὀφθαλμοῦ, ut nullis poenis purgatoriis locus et tempus imaginari possit. Cum ergo praedicatio Evangelii et vera in Christum fides meritum Christi apprehendens, sit semper, et ejusdem virtutis, quae ratio esse potest, cur qui superioribus seculis obierunt, et qui singulis diebus moriuntur, igne potius sint ustulandi et torquendi, quam ii quos vivos novissimus dies deprehendet? Nam quod excipiunt Pontificii, purgandos esse illos tum gravissima illa tribulatione, quae novissimum diem praecedet, tum igne de coelis descendente, quando obviam rapientur Domino, absurdissime dicitur. Primo quia tribulatio illa extrema omnibus hominibus erit communis, proinde non natura sua purgatoria, ad statum vitae praesentis pertinebit, de quo jam non agitur; Ignis praeterea de coelo descendens non erit purgatorius, sed εἰς ἐκδίκησιν impiorum atque incredulorum descendet, Apostolo teste, 2 Thess. 1, 8.

XXVIII. Quae cum ita sint, merito purgatorium Pontificium,

ad Gentium et Poetarum figmenta et fabulas, ex quibus originem sumpsit, relegamus. Non enim credimus, si tale quid a Platone in Gorgia et Phaedone, a Cicerone in Somnio Scipionis, et a Virgilio Aeneid. 6. aut a Claudiano poeta et similibus, commendatum fuerit, aut a Mahumetanorum Alcorano, vel Thalmude superstitiosorum Judaeorum insinuatum; inde sequi, vel id eos didicisse ex populo Dei, vel ex naturae lumine, et principiis notis hausisse, nisi forte communem hanc thesim, purgatione peccatorum opus esse, priusquam aliquis beatitudine fruatur. Sed quia hypothesim de vera purgatione peccatorum in Christo, et de ejusdem applicatione ex doctrina Evangelii, prorsus ignorant, non mirum est, si in ea re etiam ut vera Dei cognitione ἐματαιώθησαν ἐν τοῖς διαλογισμοῖς αὐτῶν, καὶ ἐσκοτίσθη ἡ ἀσύνετος αὐτῶν καρδία, Rom. 1, 21. Quam insipientiam, qui post revelatum Christum in ipso Christianismo imitantur, voluntarie caecutientes, multo magis fiunt ἀναπολόγητοι.

XXIX. Nam quod ex Scripturis V. aut N. Test. afferunt, jam ostendimus, nonnullis magni nominis Pontificiis, certam probationem non facere, Matt. 5, 25. et Luc. 12, 58. praeceptum dat Christus, de consentiendo cum adversario dum sumus in via, etc. quem locum ad purgatorium probandum detorquet Bellarminus Lib. 1. de Purgat. c. 7. per totum caput. At vero Maldonatus et Barradius Jesuitae nihil tale viderunt. Hic sensum Chrysostomi secutus Harm. Evang. Tom. 2. Lib. 7. cap. 17. haec verba ad reconciliationis festinationem et dissolvendas lites refert. Ille vero dum allegorice interpretatur, cum Augustino censet particulam donec, non significare, ut ait Augustinus, exituros postea, sed nunquam exituros, quia qui in inferno sunt, cum debitas poenas semper solvant, nunquam persolvunt. Ergo agnoscunt, fratrem suum Bellarminum, magno conatu, nihil nisi magnas nugas egisse.

XXX. Idem Bellarminus c. 8. urget locum Matt. 5, 2. 3. Qui irascitur fratri suo, etc. ut ostendat, poenas aliquas temporales post hanc vitam luendas reservari. At Maldonatus ex Judaeorum libris, omnes illas poenas fuisse capitales ostendit, et Christum gradus distinguere, non genus: Itaque eadem poena inferni plectendos de quibus loquitur Christus, non eadem

poenae gravitate dignos. Emanuel Sa habet aliam interpretationem, sed aeque purgatorio adversam, ut sensus sit: doctrina Scribarum condemnat homicidam, ego vero etiam irascentem; illi dicentem Raca seu fatuum, ad concilium vocant, ego vero in infernum mitto. De reliquis locis quos in hunc finem producunt, in genere hoc dicimus, quod sint Apocryphi et extra Canonem, vel prorsus alieni, vel violenter detorti, vel plane depravati, nec ex omnibus esse unicum, qui nomen purgatorii exprimat, vel definitionem ejus qualemcunque contineat. Sufficiat aliquod specimen hic exhibuisse, cetera ex disputatione patebunt.

XXXI. Quae in eam rem citant ex Patribus et Conciliis, non possunt articulum fidei extra Scripturam constituere, id tamen in genere monemus, 1. Citari a Pontificiis in hac causa multa supposititia scripta. 2. Plerosque auctores ab ipsis productos, vel purgatorii nullam mentionem facere, vel si qui sint qui purgatorii meminerint, illud prorsus aliter describere quam fit a Pontificiis; et praeterea neminem esse inter veteres Scriptores priorum seculorum genuinos, qui pro articulo fidei doctrinam de loco aliquo purgatorio voluerit obtrudere. Ipse Bellarmin. fatetur Lib. 2. de Purgat. c. 1. multos Patres putasse, purgari debere post hanc vitam omnes tam bonos quam malos, excepto Christo. Origenes qui inter primos purgatorium ignem accendit, purgat in eo flagitiosos, sacrilegos, qui in suis sceleribus vitam finierunt, teste August. de Haeres. cap. 43. Augustinus autem dubius haesit, non solum in qualitate poenarum sed etiam in re ipsa. Tale aliquid etiam post hanc vitam fieri incredibile est, et utrum ita sit, quaeri potest, Enchirid. c. 69. Et alibi, non redarguo, quia forsitan verum est, Lib. 21. de Civit. Dei, cap. 26.

XXXII. Inepta est consequentia, quam tamen velut firmam et extra controversiam ponunt, nempe eos omnes purgatorium credidisse, qui orationes et oblationes pro mortuis commendarunt, et earum utilitatem negantes, inter haereticos reposuerunt. Nam etsi verum sit, consuetudinem orandi pro mortuis antiquam esse; certum est nihilominus, veteres alias habuisse causas cur id utile esse duxerint. Cum Ecclesia etiam Graeca, usque in hodiernum diem, consuetudinem illam servet, et tamen usque in hodiernum diem purgatorium non est a Graecis

creditum, ait Alphonsus de Castro Lib. 8. advers. Haeres. Tit. de Indulg.

XXXIII. Ratio igitur primaria, cur pro mortuis preces fuderint, ab ea doctrina profecta est, quam ipsi Pontificii hoc tempore inter errores recensent; nempe quod tot illi et tam celebres antiqui Patres, Tertullianus, Irenaeus, Origenes, Chrysostomus, Theodoretus, Ambrosius, Clemens Romanus, Bernardus, huic sententiae (quae in concilio Florentino, magna conquisitione facta, ut dogma fidei definita est) quod justorum animae ante diem judicii Dei visione fruuntur, non sunt assensi, sed sententiam contrariam tradiderunt, fatente Staplet. De auctor. Scrip. L. 1. c. 2. sect. 5. Quibus addit Sixtus Senensis, Justinum Martyrem, Lactantium, Victorinum, Prudentium, Aretham etc. Bibl. L. 6. annot. 345. Non mirum est igitur, si in hac resurrectionis mora, quam vocat Tertullianus, et animarum omnium exilio et poena damni (non utique sensus) preces mortuis utiles esse censuerunt. Quod fundamentum cum ipsi Pontificii ruinosum esse censeant, non debuimus, qui aliter ex Scriptura edocti sumus, ritum inutilem, et sanctis etiam injuriosum, imitari.

XXXIV. Probationis genus ab apparitionibus animarum, quae se in purgatorio esse renunciarunt, opemque a vivis implorare visae sunt, ad fabulas commentitias referimus, vel ad somnia phreneticorum, abreptitiorum, et morbis oppressorum; ad dolos item diabolicos saepe retectos, quibus decipi meruerunt, qui Deum suum non consuluerunt, sed pro viventibus mortuos, Esai. 8, 19. Hujus caecitatis exemplum praebet ipse Bellarminus delirans, Lib. 2. de gemitu columbae, cap. 9. ubi ex Beda fabulam recitat de visione cujusdam Drithelmi, qui vallem viderat animabus hominum plenam, in qua unum latus erat flammis ferventibus terribile, alterum autem furenti grandine, ac frigore nivium omnia perflante; ibidemque miseras animas, cum vim fervoris tolerare non possent, in medium frigoris infesti prosilientes, et rursum frigore rigentes, in medias flammas infelici vicissitudine redeuntes. Quam historiam, inquit, verissimam esse non dubito, quia Scripturae consentanea est, dicenti in libro Job. cap. 24. Ad nimium calorem transeunt ab aquis nivium. Aliam

ibidem refert, magis anilem et insanam, de quadam Christina, quae post mortem ab Angelis in Paradisum delata, et a Deo optione data aeternum apud eum manendi, aut in terras redeundi, ut gravissimas poenas perferret pro liberandis animabus purgatorii, elegit conditionem patiendi, ea lege ut multis meritis aucta, rediret ad Deum. Illa vero postea ingrediebatur in ardentes clibanos, cruciabatur, horrendos edebat clamores, et tandem egrediebatur illaesa. Sub aquis Mosae hiberno tempore, cum rigerent omnia gelu, sex et amplius diebus perdurabat. Imo sub ipsa rota moletrinae, ubi horrendum in modum circumacta, membris omnibus manebat incolumis, etc. Haec diabolica esse praestigia quis sanus non videt? Et tamen, Ecce, inquit Bellarminus, habemus testes fideles marem et feminam, qui viderunt purgatorii acerbissima supplicia, ut plane inexcusabiles sint qui ista non credunt. Sic enim misit illis Deus efficaciam deceptionis ut credant mendacio, pro eo quod amorem veritatis non receperunt ut salvi fierent, 2 Thes. 2, 10. 11.

XXXV. Non minus frivolum est argumentum quod ab utili ducunt, quia qui cogitat remanere praeter gehennam ignem acerbissimum purgatorii, et quicquid hic per debita poenitentiae opera deletum non fuerit, ibi diluendum, diligentior cautiorque evadit, contra, opinio quae tollit purgatorium homines socordes facit in peccatis cavendis et in bonis operibus faciendis; quasi vero ii quos gehennae ignis non absterret, commentitium ignem sint moraturi, et non potius per inventum illud, peccandi ansa praebeatur iis, qui putant se ex flammis illis liberari posse per aliorum suffragia, quae ditiores facili negotio sibi possunt comparare, praesertim cum ipse sentent. Magister, in purgatorio celeriorem absolutionem contingere diviti quam pauperi, asserere non vereatur, Lib. 4. sent. dist. 45. lit. D. Et Albertus Magnus, tot posse fieri suffragia pro uno aliquo, quod statim in momento liberetur, et ideo in hoc casu meliorem esse conditionem divitis quam pauperis, qui habet unde suffragia fiant pro ipso, unde Prov. 13. dicitur, Redemptio viri divitiae ejus, de offic. Miss. tract. 3. cap. 16. Inde certe non aucta est pietas, sed aucti sunt Ecclesiasticorum reditus, qui in avaritia fictis verbis de hominibus negotiantur, 2 Pet. 2, 3.

dum interim illi ipsi qui purgatorium urgent, bacchanalia vivunt, quod Romae fieri, ubi purgatorii doctrina maxime viget, non solum historiae testantur, sed ipsa clamat experientia.

XXXVI. Quae cum ita sint, concludimus, purgatorium nec ex Scripturis auctoritatem, nec ex testimonio Patrum fidem, nec ex rationibus probabilitatem ullam habere, quale praesertim a Pontificiis creditur, apud quos aedificium illud partibus suis non cohaeret, sed variis incommodis et contradictionibus involvitur; quod verum esse, non solum ex iis quae hactenus dicta sunt, cuivis patebit, sed etiam adversariorum libros legenti praesertim Bellarmini, in quibus vix unum aut alterum caput occurrit, in quo non diversae, saepissime etiam adversae scriptorum Pontificiorum opiniones et fundamenta recitentur; quibus digladiantibus inter se, nos grato animo in sola Christi satisfactione acquiescemus, certo statuentes nullum esse post hanc vitam ignem purgatorium extimescendum iis, qui in Christo vitae auctore firmiter acquiescunt.

DE INDULGENTIIS.

XXXVII. Exstincto purgatorii igne, indulgentiarum fumus per se evanescit; sublato enim purgatorio, vix reperietur qui eas, etiam oblatas, accipere velit. Ideo Roffensis Episcopus Artic. 13. contra Lutherum, cum Indulgentiarum originem incertam videret, et sero admodum apud Christianos fuisse receptas fateretur, causam hanc afferebat, quod de purgatorio apud priscos nulla vel rarissima fiebat mentio, quod ad hunc usque diem Graecis non est creditum. Quandiu autem nulla fuit de purgatorio cura, neminem indulgentias quaesivisse, ex quo pendet omnis indulgentiarum aestimatio, quo sublato, indulgentiis opus non erit; neminem itaque mirari posse, quod in principio nascentis Ecclesiae NULLUS fuerit earum usus, cum purgatorium tam sero fuerit universae Ecclesiae cognitum. Ipse Gregorius de Valentia concedit, vigente apud veteres poenitentia severiore, non magnopere fuisse necessarium beneficio indulgentiarum uti, postea vero decrescente illo poeni-

tentiae fervore, illarum usum increbescere coepisse, Tract. de Indulg. cap. 4.

XXXVIII. Ultro etiam concedunt alii, non solum non esse aperta Scripturae testimonia de Indulgentiis, et suos admonent Catholicos, ne minus certis innitantur, sed addunt insuper, se antiquae et primitivae Ecclesiae non habere certa testimonia: traditionem Apostolicam se in hac materia non habere, sed tantum Romanae Ecclesiae et quorundam Conciliorum (recentium nempe) auctoritatem, ut videre est apud Petrum a Soto, in Instructione Sacerd. Lect. 1. de Indulg. qui nihilominus doctrinam suam de Indulgentiis tamquam fidei articulum obtrudunt, quas definiunt, Relaxationes poenarum temporalium, judicio divino peccatis actualibus post remissam culpam debitarum, per applicationem superabundantium Christi et Sanctorum satisfactionum, factam extra Sacramentum ab eo qui legitimam auctoritatem habet. Greg. de Valent. Tom. 4. disp. 7. quaest. 20. punct. 1.

XXXIX. Quam definitionem si ex sensu eorum explicemus, et uniuscujusque partis vanitatem indicemus, paucis materiam alioquin intricatam absolvemus. De nomine ipsis gratiam faciemus, quod plerumque in partem deteriorem accipitur, quod tamen, omine non bono, in hac materia usurparunt, in qua

Blanda patrum segnes facit indulgentia natos,

ut boni patres habeant quo possint genio indulgere. Nam indulgentiae fiunt ad relevandum indigentiam Ecclesiae, quae non relevatur per solam voluntatem dandi, sed per datum, Augustin. de Ancona de potestate Pap. quaest. 30. artic. 3. dant igitur ut accipiant, nec indulgent gratis. Dicunt esse relaxationes poenarum temporalium, etc. quibus verbis fundamentum primum hujusce nundinationis detegitur, nempe doctrina de poenis quibusdam temporalibus satisfactoriis, ab homine poenitente, cui remissa est culpa, per gratiam Dei, adhuc debitis, et in hac vita vel in purgatorio exsolvendis; quod fundamentum a nobis subversum est supra, Thess. 32. 33. 34. 35. ut hic non sit opus actum agere.

XL. In eo autem se prodit Pontificiorum Doctorum κυβεία,

quod ut probent, fideles post remissam culpam obnoxios adhuc manere poenis temporalibus aut actu luendis, aut per Indulgentias relaxandis; cum ad rem ventum est, coguntur fateri nullam poenam posse per indulgentias relaxari ex iis quas aliquando probant ex Scripturis, nonnullis fidelibus fuisse inflictas, ut Davidi et similibus; sed poenas tantum fictitias purgatorii, aut ab hominibus injunctas, aut quae injungi debuerunt vel ultro suscipi. Non solum ergo indulgentiae non absolvunt a reatu culpae ullius, mortalis vel venialis, sed neque a poenis naturalibus, quales sunt morbi, mors, ignorantia, concupiscentia et similes; neque etiam a poenis quae in foro externo et contentioso, tam Ecclesiastico quam politico infligi possunt; sed tantum poenam tollunt quae debetur in foro secreto et poenitentiali, secundum Bellarm. Lib. 1. de Indulg. cap. 7.

XLI. Ex quibus manifestum est, plerisque, qui magno emunt has merces, et magnificis promissionibus plenariae et plenissimae indulgentiae omnium peccatorum, addita saepe clausula a poena et a culpa, alliciuntur, accidere quod proverbio dicitur, ut pro thesauris, nihil habeant praeter carbones. Nam quia poenae illae, quarum fit mentio Ps. 89. Si peccaverint filii tui, visitabo in virga iniquitates eorum, etc. et Ebr. 11. cum Apostolus dicit, nos a Deo disciplinam accipere, item 1 Cor. 11. nos a Deo judicari et corripi, infliguntur a Deo tamquam a judice externo et criminali, eas non tolli per indulgentiam, largitur Bellarm. Lib. 2. De Indulg. cap. 1. sed tantum tolli poenam quae in foro poenitentiario infligitur, ad quam implendam non cogimur nisi timore Dei, et stimulo conscientiae. Ex quo manifeste patet, quod merito Lutherus objecit, Indulgentias noxias esse, non salutares, cum a bonis operibus, jejuniis, eleemosynis, precibus, etc., nos impediant, imo timorem Dei et stimulum conscientiae excutiant. Nam per indulgentias concessas satisfacit homo poenis impositis in confessione, ut si Confessarius imposuit ipsi disciplinam, jejunium, eleemosynam vel similia aliqua opera exercenda; si indulgentiam consequatur, non teneatur illas subire poenas, Tolet. Instruct. Sacerd. Lib. 6. cap. 24.

XLII. Verum, ne frigesceret zelus eorum qui in indulgenti-

arum dispensatione majus aliquid quaerunt, accensae sunt purgatoriae flammae, quae terrorem incuterent; hoc addito μορμολυκείῳ, fore ut siquis imposita decem annorum poena, ea non impleta obiret, ut in purgatorio acerbissima poena puniretur, a qua liber in coelum evolaret recta, si bullis indulgentiae plenissimae probe instructus, eas janitori coelorum exhiberet. Hinc esse quod plurium millium annorum indulgentiae concedantur, quia etsi tempus hoc longe excedat hominis vitam, tamen cum pro uno mortali peccato injungenda sit poena septem annorum, et accidere possit multis, ut plura peccata mortalia, quam mille commiserint, qui secundum Canones deberent septem annorum millia, si tot victuri essent, in poenitentia transigere; ipsis hoc modo provisum est, concessa indulgentia tot millium annorum, aequante non solum, sed etiam superante poenitentiam, quam implere debuissent, si per tot annorum millia poenitentiam egissent. Quae portenta indicasse, refutasse est.

XLIII. Ut autem suppeterent aliunde tot annis, et tam numerosis peccatorum temporalibus poenis satisfactiones, aliud etiam substratum est indulgentiis fundamentum, nempe superabundantium Christi et Sanctorum satisfactionum, quas in thesauro suo conclusas servant Romani Pontifices, et reliqui Episcopi pro suo modulo, hoc supposito, non solum Christi satisfactionem propter suam absolutam infinitatem, nullum praemium creatum condignum potuisse recipere, et quovis dato infinities majus meruisse, sed etiam, non paucos sanctos homines, multo plura propter Deum et justitiam esse perpessos, quam exigeret reatus poenae temporalis, cui fuerunt obnoxii propter culpas ab ipsis commissas, quorum etiam nonnullos ab omni culpa eximunt. Haec simul mixta, in mortario suo contundunt, ut massam illam conficiant, cujus particulas per indulgentias dispensent.

XLIV. Nos quidem, quicquid contra calumnientur, satisfactionem Domini nostri Jesu Christi esse inaestimabilem thesaurum, Ecclesiae Dei concreditum, sancte agnoscimus; quo vere poenitentibus, et in eum credentibus, dispensantur verae et coram Deo ratae indulgentiae, seu potius peccatorum plenissima remissio, ab omni poena et culpa, tam originalis peccati, quam actualium; sed asserimus, Pontificios huic Christi satisfactioni injuriam facere, dum, ut ipsi adjiciant hominum satisfactiones, eidem

infinitatem suam tollunt, cum eas applicandas censent finito modo, ut aliquid ipsis revera superaddatur, cum passiones Sanctorum illis adjunguntur, ut loquitur Bellarm. de Indulg. Lib. 1. cap. 4. Id autem dicimus, esse non solum infinito finitum addere, sed toti nihil; quia quod de passionibus Sanctorum dicunt, eas nempe duplicem vim habuisse, unam meritoriam, aliam vero satisfactoriam, et quoad rationem meriti plenam accepisse mercedem, non quoad rationem satisfactionis, falsum est et ineptum; neutram enim habent rationem opera Sanctorum, sed satisfactoriam non habuisse, recte ex eo probat Durandus, quod Sanctorum intentio non fuerit, fructum suarum passionum in alios transferre, quae intentio saltem necessaria fuisset; at talis intentio in Sanctis esse non potuit, quae arrogans fuisset et blasphema.

XLV. Si passiones Sanctorum essent pro aliis satisfactoriae et una cum sanguine Christi thesaurum constituerent, discrimen illud ab Apost. Ebr. 12, 24. inter sanguinem Christi et sanguinem Abelis institutum tolleretur, non enim meliora loqueretur sanguis Christi quam sanguis Abel, Heb. 12, 24. uterque enim poenae peccatorum remissionem impetraret. Frustra scripsisset Salomon, Si sapiens eris, tibimet ipsi eris; si autem illusor, solus portabis malum, Proverb. 19, 12. Nequi in semetipso tantum quis gloriam haberet et non in altero, Gal. 6, 4. Nec ulla ratio fuisset cur de Noacho, Daniele et Jobo diceret Deus per Ezechielem cap. 14, 20. quod filios suos et filias non liberarent, sed ipsi justitia sua liberarent animas suas. Nullus unquam Sanctorum fuit, qui non acquievisset Tertulliano interroganti Lib. de Pudic. cap. 22. Quis alienam mortem sua solvit, nisi solus Dei filius? proinde qui illum aemularis donando delicta, si nihil ipse deliquisti, patere pro me; si vero peccator es, quomodo oleum faculae tuae sufficere et tibi et mihi poterit? Aut qui Augustino manum non dedisset, dicenti Tract. 84. in Joh. Etsi fratres pro fratribus moriantur, tamen in fraternorum peccatorum remissione, nullius sanguis martyris funditur.

XLVI. Neque propterea metuendum erit, ne passiones Sanctorum sint inanes, quae alios usus et fines habent, de quibus

nullum dubium potest moveri: ut autem sint inanes quatenus satisfactoriae, et sine tali fructu si egentibus non applicentur, nihil est incommodi; sic enim ne Pontificiis quidem repugnantibus, erunt inanes passiones omnium Sanctorum qui in die Domini manebunt superstites; et quae tum in thesauro Ecclesiae adhuc supererunt, quia tunc nulli erunt quibus dispensari possint, nisi forte existiment Pontificii, evacuato purgatorio, etiam futuras sub styge ferias spiritibus nocentibus, aut eosdem etiam tandem vi satisfactionum emersuros, quod delirium aliquos ex iis olim fascinavit, quibus arriserunt suffragia pro defunctis.

XLVII. Communicationem vero satisfactionum pro peccatis non requirit Sanctorum communio. Nam 1. differt communio a communicatione, cum supponat communio rem aliquam communem, ad quam jus habent aequale illi, inter quos est communio. Non eadem est ratio rei quae communicatur, ab eo cui non est necessaria, alii qui ea indiget. Contra, communio sanctorum, particulares hujus aut illius satisfactiones prorsus evertit; quia quemadmodum in eo consistit communio nostra, ut eundem habeamus Deum, eandem fidem, idem baptisma, eundem Spiritum, non ut Spiritum, fidem, baptisma, nobis superfluum aliis communicemus: sic in eo etiam consistit sanctorum communio, quod omnes jus habent ad unicam Christi satisfactionem. Argumentum igitur a communione sanctorum, in adversarios efficaciter retorquetur.

XLVIII. Nec firmo magis nititur fundamento, quod a communicatione, quae etiam inter Christianos locum habere debet, desumitur, nam communicatio debet esse eorum bonorum quae communicari possunt, et ab uno ad alium transire: tales autem esse fidelium passiones, probari non potest. Nec ulla ratio potest afferri, cur opus bonum qua parte meritorium est, non possit aliis applicari, quod fatetur Bellarm. de Indulgentiis, Lib. 1. cap. 2. et tamen idem opus, quatenus satisfactorium, possit communicari. Adde, satisfactionem non esse bonum absolutum, sed relativum ad eum cui satisfit. Quapropter etiam si talis participatio et communicatio ex parte membrorum, per satisfaciendi intentionem institueretur; non inde sequeretur acceptatio a parte creditoris, sine qua communicationis applicatio prorsus inutilis esset.

XLIX. Vanum igitur est quod dicunt, satisfactiones alienas

per Praelatos Ecclesiae applicatas, esse medium, quo fructus infinitae satisfactionis Christi, quod attinet ad remissionem poenae, ad homines derivatur; quia non possunt ostendere, tale medium esse a Christo institutum. Praeterea, cum satisfactio Christi finito modo applicetur, ut revera superaddantur ipsi satisfactiones sanctorum, ut ex Bellarmino ostendimus; satis patet ex ipsorum doctrina, eodem modo applicari satisfactiones sanctorum, quo satisfactiones Christi, quae proinde non sunt applicationes satisfactionis alienae, sed proprie et per se cum Christi satisfactionibus, in eodem genere considerantur. Mirum autem est, quod vi caritatis, qua Ecclesiae membra sunt sibi invicem unita, hoc velint indulgentiarii, ut quod unus pro altero exsolvit, ita acceptetur pro illo ac si offerretur ab ipsomet, quod certe fieri non potest sine imputatione alienae justitiae; quam cum extra et contra Script. satisfactionibus hominum concedant, iidem tamen sannis excipiunt doctrinam de imputatione justitiae Christi capitis nostri, ex cujus arctissima conjunctione cum membris omnibus veris, fluit communicatio omnium bonorum, ad aeternam electorum salutem conducentium.

L. Ejus solius passiones vim satisfactionis habent, quae ut fidelibus communicentur per imputationem, id sibi tamquam unico redemptori vendicavit. Sed in eo quod passus pro nobis reliquit nobis exemplum, 1 Pet. 2, 21. nempe ut pro aliis pateremur, non per modum redemptionis, sed per modum exempli et exhortationis, juxta illud, si tribulamur, pro vestra exhortatione et salute, ait Thom. part. 3. q. 48. art. 5. ad 3. Quo sensu intelligit dictum Apostoli Col. 1, 24. Gaudeo in passionibus pro vobis et adimpleo τὰ ὑστερήματα, ea quae desunt passionum Christi in carne mea, pro corpore ejus quod est Ecclesia, vel ut ὑστερήματα sint ea quae unicuique Ecclesiae membro sunt patienda post Christi passionem; quem sensum probavit Gabriel Vasquez Jesuita. Annot. in Epist. ad Colos. Sed planiorem existimat, quem in Paraphrasi sequitur hoc modo, Qui nunc gaudeo, quod tot afflictiones vestri causa patior, quibus quidem in praedicatione Evangelii in me ipso perpessis, impleo quod passioni Christi deerat, ut fructus ejus per laborem praedicationis

Evangelicae ad corpus Ecclesiae perveniat, dum ex auditu illius fidem singuli concipientes justificantur. Non ergo ut inde satisfactio aliqua, per indulgentias conferenda, oriatur.

LI. Cum non entis nullae sint affectiones, superfluum esset pluribus agere, de potestate Ecclesiae in collatione talium indulgentiarum; num Pontifici tantum et Episcopis jure divino, aliis autem ex commissione solum competat; num per absolutionem veram, aut per thesauri dispensationem solam applicentur; num eodem modo vivis et mortuis; vel vivis per modum absolutionis, defunctis per modum suffragii tantum; num iis tantum qui sunt in gratia. Item, quid plenaria sit indulgentia, quid Carena, quid quarentena, an pro causis parvis, magnae concessae nullae sint prorsus, vel an sint alicujus valoris, quantum talis causa exigit, et quaenam sit ea concedendi causa justa, de quibus inter se litigant indulgentiarum patroni. Neque enim inter eos de valore indulgentiarum, de thesauro, de causae sufficientia, de dispositione recipientis, etc. convenit. Nec diffitentur Magistri Soto et Victoria diplomata quibus pro minima eleemosyna conceduntur amplissimae indulgentiae intolerabilem errorem continere, referente Josepho Angles in 4. Sent. diff. 3. art. 2.

LII. Non est autem quod quis turbetur, si aliquando in mentionem indulgentiae in veterum monumentis incidat; jam enim hoc largitus est Petrus Soto, non habere Pontificios veteris Ecclesiae certa testimonia. Res igitur ita se habet. Prisci illi Patres, praesertim in gravibus et publicis delictis, non prius absolvebant et reconciliabant peccatorem, quam longis, asperis et difficilibus exercitiis, Ecclesiae suam poenitentiam probasset. Sed ingruente persecutione, ut poenitentes ad martyrium alacriores essent, ante tempus aliquando reconciliabantur. Idem fiebat si quis in poenitentia constitutus, in mortis periculo versaretur; vel si fervor contritionis in peccatore talis animadverteretur, ut longiori probatione non esset opus; aut si indiscreta injuncta fuisset poenitentia: talibus per indulgentiam Ecclesiae succurrebatur, ut aliquid de summo illo rigore relaxaretur; quo sensu non solum accipienda sunt Patrum dicta, sed etiam illud Pauli, quo Indulgentiarii abutuntur, 2. Cor. 2. 10. Cui con-

donatis et ego condono: nam et ego, si cui quid condonavi, propter vos id feci in conspectu Christi, nempe, ne redundante tristitia absorberetur, qui excommunicatus fuerat, v. 7.

LIII. Jubilaei institutionem centesimo quoque anno, infamem reddit, non solum impudentissima illa rerum sacrarum nundinatio, sed etiam ipsius institutoris Bonifacii Octavi (qui intravit ut vulpes, regnavit ut leo, mortuus est ut canis) consideratio; qui aurum undiqne conquisitum, plusquam dici potest, teste Platina, sitiebat. Quem eodem percitus oestro, secutus est Clemens VI. qui (dubium an amore pecuniae, an desiderio salutis hominum) sancivit eum celebrari anno quinquagesimo. Quem postea Sixtus V. cujus ambitio et vafrities omnibus nota est, ad vigesimum quintum quemque annum reduxit; quem vocat annum placabilem, annum remissionis et veniae, tempus acceptabile, et diem aeternum salutis, Clemens VIII. in bulla suae indictionis, vere quidem bulla; cui nos opponimus diploma certum Jubilaei Christiani, Jes. 61. 2. Luc. 4, 18. Dominus misit me, ut praedicarem annum beneplaciti Jehovae, nempe laetissimum Evangelii praeconium, ex sinu aeterni Patris allatum, in quo gratis, omnibus credentibus, vere poenitentibus, annunciatur liberatio ab omnibus peccatis et peccatorum poenis, quocunque tempore et loco.

LIV. Eo autem nomine gratias Deo debemus maximas, quod Patrum nostrorum memoria, cum permisisset nundinationem indulgentiarum ad extremum impudentiae culmen conscendere, Leone decimo publicum forum per omnia mundi regna aperiente, ea occasione suscitavit Martinum Lutherum, qui cum initio nihil aliud cogitaret, quam immoderatos abusus taxare, sensim, Deo sic providente, et adversariorum protervia materiam administrante, deductus est non solum ad totius structurae indulgentiarum, ab ipsis fundamentis eversionem; sed inde etiam, cum adversarii ad locos communes auctoritatis Pontificiae et similes confugerent, eos persequendo, tandem digressus est ad ipsius Pontificis usurpatam potestatem convellendam; donec paulatim per ejus ministerium, opus illud admirandum reformationis verae doctrinae, per eundem et alios promovit, quod postquam maximo Dei beneficio nostris temporibus longe

lateque propagatum est, superest, ut cognito vero fonte remissionis peccatorum, deinceps in eo loti, a peccatis abstineamus, et Deum Patrem, in Christo Filio, per Spiritum Sanctum in aeternum glorificemus.

COROLLARIA.

I. Limbum puerorum, ad quem Pontificii ablegant animas infantium, qui sine externa baptismi lotione ex hac vita decesserunt, aliquo Scripturae aut primaevae antiquitatis fundamento inniti, negamus.

II. Aliquos post hanc vitam in inferis plecti poena damni, qui ab omni sensus poena sint exempti, commentum esse a veritate et a ratione alienum affirmamus.

III. Patriarchas et omnes Sanctos sub Veteri Testamento, in inferno detentos fuisse, spiritus Marcionitici inventum esse, testatur Tertull. Lib. 4. contra Marcionem cap. 34. Utramque nempe mercedem, sive tormenti, sive refrigerii, apud inferos determinantis, eis positam qui legi et Prophetis obedierunt.

DISPUTATIO XL.

DE

Ecclesia.

Praeside D. ANTONIO WALAEO.

Respondente JACOBO BOSSCHAERT.

THESIS I.

ECCLESIAE vox est Graeca, ἀπὸ τοῦ ἐκκαλεῖν, id est, evocare, respondens voci Hebraicae קהל et עדה, et proprie coetum seu conventum hominum significat a superiore aliquo convocatum, non tantum in usum ac finem sacrum, sed etiam profanum et politicum, ut videre est Act. 19, 32. 39.

II. Nos vero hic vocem Ecclesiae sumimus, pro coetu vel conventu sacro, prout inter Christianos receptum. Sumitur quidem aliquando ab iisdem pro loco, in quo conventus sacri habentur, sed hujus significationis exempla in Scripturis non exstant.

III. Definitur generali sua notione, coetus eorum, quos Deus per gratiam suam evocat e statu naturae, in statum supernaturalem filiorum Dei ad demonstrationem gloriosae misericordiae suae.

IV. Deum esse hujus Vocationis auctorem primarium, extra controversiam est in Ecclesia Christi; ut qui solus potest donare gratiam ad quam vocat, et ordinare media, per quae haec vocatio est instituenda, sicuti Apostolus loquitur Hebr. 3, 4. Omnis domus ab aliquo constituitur, porro qui condidit omnia haec, loquens de Ecclesia Christi, est Deus.

V. Materia seu objectum hujus Vocationis, sunt solae creaturae ad imaginem Dei conditae, nempe Angeli et homines. Nam licet Deus ex lapidibus possit facere filios Abrahae, ut Christus loquitur Matth. 3, 9. tamen creaturae ad imaginem Dei conditae, beatae immortalitatis ac coelestis felicitatis per se ac proxime tantum capaces sunt.

VI. De Angelorum quorundam evocatione ex statu mutabilis naturae, ad statum immutabilem gloriosae gratiae, pauca nobis in Scripturis revelata sunt. Quia tamen peculiariter Dei filii passim vocantur, et Angeli lucis, et Angeli gloriae, et Angeli electi, atque ipsum Christum peculiare quoque caput agnoscunt, Eph. 1, 22. et ipsi se conservos nostros appellant, et conservos fratrum, imo et ex fratribus qui habent testimonium Jesu, Apoc. 19, 10., consequens est, ut eos esse membra totius illius corporis, et in familia Christi nostros conservos confiteamur: ac proinde per Spiritus Sancti peculiarem operationem sub Christo unico Ecclesiae suae capite efficaciter in gloria et gratia confirmatos. Unde et nos ad Myriadas Angelorum, per efficacem vocationem, accessisse, declarat Apostolus Hebr. 12, 22.

VII. Etsi vero hoc Angelorum consortium nobis gloriae sit et consolationi, praecipue tamen de Ecclesia hominum nobis est agendum, quia id maxime nostra interest. De qua 1. partes sunt examinandae, earumque modus et forma, 2. divisio, ac denique privilegia ac notae.

VIII. Partes hujus Ecclesiae ὅλως consideratae statuunt, Pontificii tres, nempe unam laborantem in purgatorio, alteram triumphantem in coelo, et tertiam militantem in terra. Duas posteriores partes nos libenter agnoscimus, tertiam ab iis esse extra Dei Verbum confictam, ad crumenas expurgandas et animos hominum δεισιδαιμονεστέρων spirituali servitute premendas, antecedenti disputatione satis est ostensum; ac proinde de duabus reliquis in sequentibus nobis tantum agendum.

IX. Ecclesiae universalis magnam partem, in coelis sub Christo capite suo triumphare, adversus Socinianos, Anabaptistas, Libertinos, et similes haereticos, omnes loci evincunt, ex quibus animae immortalitas evincitur. Nam etsi corpus redeat in terram quemadmodum fuerat, tamen spiritus redit ad Deum qui dedit illum, Eccl. 12, 9. Et licet sint qui corpus piorum possint occidere, animam tamen eorum occidere non possunt, ut Christus testatur, Matt. 10, 28.

X. Imprimis tamen id liquet ex iis locis et exemplis, in quibus defunctorum felicitas et beatitudo describitur. Ut videmus Matt. 20, 8. ubi omnes laborantes in vinea peracto labore accipiunt mercedem suam, et 2 Cor. 5, 1. Scimus quod si terrestris domus hujus tabernaculi fuerit soluta, habeamus aliud domicilium aeternum, et non manufactum in coelis, et Apoc. 14, 13. Beati mortui qui in Domino moriuntur, ἀπάρτι, ab hoc tempore, requiescunt a laboribus suis, et opera eorum sequuntur eos.

XI. Nec vero fideles tantum in Novo Testamento post ascensum Christi in coelos, sed et ipsos fideles sub Veteri Testamento in fide defunctos, ad hanc Ecclesiae in coelo triumphantis partem pertinuisse, tenendum est adversus Pontificios, qui eos in limbo subterraneo conclusos fuisse, atque inde adventum Domini exspectasse sentiunt.

XII. Demonstrant illud Christi promissiones, demonstrant alii loci Scripturae, demonstrant clarissima exempla.

XIII. Promissiones manifestae sunt, Ps. 16, 10. Satietas gaudiorum in conspectu tuo amoenissimorum, dextera tua in aeternitatem. Matt. 5, 3. Beati pauperes spiritu, quia ipsorum est regnum coelorum, et v. 8.

Beati mundo corde, quia ipsum Deum videbunt, et v. 10. Beati qui persecutionem passi sunt δεδιωγμένοι, quia ipsorum est regnum coelorum. Gaudete et exultate quia merces vestra est multa in coelis; sic enim persecuti sunt Prophetas, etc. Haec dicta Christi sine dubio jam tum vera fuerunt, cum ea pronunciavit, non tum demum vera evaserunt, cum Christus a mortuis resurrexit et ad coelos ascendit.

XIV. Loci Scripturae qui statum piorum defunctorum ante Christi passionem declarant, non minus manifesti sunt; quales sunt, Eph. 1, 10. Deus recollegit omnia in Christo, tum quae in coelis sunt, tum quae in terra, et Col. 2, 20. Per Christum reconciliata sunt omnia tum quae in terra, tum quae in coelis. Per quem loquendi modum cum Angeli intelligi non possint, qui per Christum Deo reconciliati non sunt, consequens est ut de Sanctis ante Christum in coelo agentibus, id intelligatur; sicuti Apostolus Hebr. 12, 22. ideo nos sub Novo Testamento dicit accessisse ad montem Sion et civitatem Dei vivi, Hierusalem coelestem, etc. et conventum ac concionem primogenitorum, qui conscripti sunt in coelis.

XV. Exempla ejus rei illustria nobis quoque in Scriptura proponuntur, Elias, 2 Reg. 2, 11. expresse dicitur translatus in coelum sicuti idem confirmatur ex recepta Judaeorum sententia, 1 Macch. 2, 58. Moses et Elias comparuerunt in monte coram Christo, ac discipulis tribus in gloria, et deinde per nubem ab eorum oculis subducti sunt, Luc. 9, 31. Ex qua nube vox descendit, Hic est Filius meus, etc. Quam e coelo descendisse testatur Petrus, 1 Pet 1, 18. Lazarus ab Angelis translatus fuit in sinum Abrahae. Angelos autem ad subterranea loca fideles deferre nunquam dicit Scriptura, cum ipsorum proprium domicilium sit coelum; et Matt. 8, 11. expresse dicitur, quod hic sinus Abrahae, in quo accumbunt fideles, sit coelum: Dico vobis, inquit Christus, quod ab Oriente et Occidente venient et accumbent cum Abrahamo, Isaaco, et Jacobo in regno coelornm. Idem denique confirmat exemplum latronis cum Christo crucifixi, cui Christus promittit quod eodem die cum ipso esset futurus in paradiso, Luc.

23, 12. Paradisum autem esse tertium coelum, asserit Apostolus, 2 Cor. 12, 2. 4.

XVI. Ex quibus apparet, Patres non minus ante Christi adventum in coelis virtute Christi venturi triumphasse, quam in Novo Testamento jam regnant virtute Christi passi et in coelum recepti.

XVII. Imo vero asserimus ex Scriptura, pios defunctos sub utroque Testamento non tantum gaudio aliquo coelesti extra Dei conspectum frui, ut quidam viri magni putarunt, sed in ipso Dei conspectu vera et solida beatitudine perfrui; etsi non negemus, quin aliquis felicitatis gradus iis ad extremum diem, quando cum corporibus suis conjungentur, reservetur.

XVIII. Id demonstrant plurimi Scripturae loci, nam et David veram eorum beatudinem in Dei conspectu collocat, Ps. 16, 23. et 84. Et Paulus optat dissolvi et esse cum Christo, Phil. 1, 23. et 2 Cor. 5, 8. Ideo probamus potius migrari e corpore, et ire ad Dominum habitatum. Christum autem esse apud Patrem et in throno Patris, testatur Apostolus, Apoc. 3, 21. Joh. 17, 5. Hebr. 9, 24. Unde et in Apocalypsi passim Sancti defuncti una cum Angelis ante thronum Dei et Agni constituuntur, ut ei perpetuas laudes et gratiarum actiones accinant, sicut videre est Apoc. 4, 8. et 5, 8. et 7, 9.

XIX. Nec tamen inde sequitur, hanc partem Ecclesiae triumphantis ea ratione praefectam esse militanti in terris, sicuti Pontificii somniant, qui eos Regnis, Provinciis, urbibus et pagis, imo morbis, artibus, paci et bello, tamquam Divos tutelares praeficiunt. Etsi enim S. Scriptura ministerium aliquod commune in his rebus Angelis assignet, de Sanctis tamen defunctis universe testatur, quod ingrediuntur pacem et requiescunt a laboribus suis, Esa. 57, 6. Apoc. 14, 13. et quod non ascendunt neque revertuntur ultra in domum suam, neque agnoscet eos amplius locus eorum, Hiob. 7, 9. imo si augescant liberi, id ignorant, si minuantur, non attendunt, Hiob. 14, 22. Item nos ad illos imus, sed illi ad nos non revertuntur, 2 Sam. 12, 23. et non vident totum illud malum, quod Deus inducit in populum, 2 Reg. 22, 20.

XX. Et vero cum natura ipsorum pugnat, ut sint simul ac curent diversis ac dissitis in locis; sicuti eundem Sanctum

diversis locis ac dissitissimis praefectum volunt. S. puta Jacobum Hispanis, degentibus in Europa, India et America. S. Dominicum, Franciscum, etc. omnibus eorum coenobiis toto orbe dispersis. Beatam vero Virginem coeli reginam, terrae Dominam, ac maris Stellam, (etsi inepte pro maris stilla) vocitant, etc. cum soli Deo conveniat e coelis intueri ac videre omnes filios hominum, e loco habitationis suae prospicere in omnes habitatores terrae, Psalm 33, 13. 14.

XXI. Quapropter ea quae Matt. 24, 47. de praefectura fidelis servi super omnia Domini bona dicuntur, de spiritualibus bonis intelligenda sunt, ut Rom. 8, 17. dicimur haeredes Dei et cohaeredes Christi. Item quae de rectione gentium in virga ferrea et sessione in throno Dei dicuntur, Apoc. 2. et 3. necessario allegorice intelligenda sunt, de plena gloria et dominio adversus Satanam, mundum et carnem; ut Paulus exponit, 1 Cor. 15, 56. et Johannes, Apoc. 5, 10. et 21, 9.

XXII. Explicatis iis breviter quae partem illam Ecclesiae quae in coelis triumphat, concernunt, descendamus ad illam Ecclesiae partem, quae adversus carnem, mundum et Satanam adhuc pugnat seu militat, quemadmodum Paulus loquitur, Gal. 5, 17. 1 Joh. 5, 4. Eph. 6, 12.

XXIII. Ecclesiam semper aliquam in terris fuisse, et usque ad finem mundi futuram, evincunt promissiones plurimae de ejus perseveratione, quales exstant Jerem. 31, 36. Matt. 16, 29. Matt. 28, 29. etc. Evincit officium Christi qui aeternus est Rex, Sponsus, Pastor, ac caput Ecclesiae suae, qui sine regno, sponsa, grege, et corpore quod hic vivificat, esse non potest. Evincit denique officium omnium salvandorum, quia nemo potest Deum habere pro Patre, qui non habet Ecclesiam pro Matre, ut Paulus testatur, Galat. 4, 26.

XXIV. Nec vero sufficit quemadmodum Libertini contendunt, ut membra hujus Christi Ecclesiae singula separatim spiritualem cum ignota Ecclesia communionem dicant se colere, etiamsi extrinsecus vel nullam cum ullo coetu communionem colant, vel etiam cum coetibus idololatricis et apostaticis communionem se colere simulent. Sed ad veram Ecclesiam consituendam, asserimus necessarium esse, ut fideles inter se communionem colant, et vinculo Verbi et Sacramentorum secundum Christi

institutionem consocientur; nisi forte extremae persecutionis causa ad exiguum tempus eandem communionem interrumpere cogantur.

XXV. Demonstrat illud promissio singularis gratiae iis facta, qui in nomine Domini congregati sunt, Matt. 18, 20. item finis institutionis Verbi et Sacramentorum, et usus disciplinae. Fides enim est ex auditu, auditus vero per Verbum Dei, Rom. 10, 7. et quomodo credent nisi iis praedicetur, quomodo praedicabunt nisi mittantur? Sic per Baptismum induimus Christum, Rom. 6. Gal. 3. Coena Domini est communio corporis et sanguinis Domini, 1 Cor. 10. Imo vero Christus, Eph. 4, 11. alios quidem dedit non solum Apostolos, Prophetas et Evangelistas, sed etiam Pastores ac Doctores, ad coagmentationem Sanctorum, ad opus ministerii, ad aedificationem corporis Christi, donec evadamus omnes in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei, etc. Atque ideo mandamur in celebratione S. Coenae, Commemorare mortem Domini donec veniat, 1 Cor. 11, 26. et in offensis fraternis, dicere Ecclesiae, Matt. 18, 17.

XXVI. Haec Ecclesia militans varie dividitur; primo in Ecclesiam Veteris Testamenti et Novi, quae et a nonnullis Catholica vocatur, quia jam certae regioni, urbi, aut templo alligata non est, quemadmodum olim fuit, sed in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terrarum verba eorum, Rom. 10, 18. Et licet olim Gentiles absque Christo et alieni a Republica Israëlis, essent extranei a pactis promissionum, etc. nunc tamen in Christo Jesu illi qui olim erant procul, propinqui facti sunt per sanguinem Christi: ipse enim est pax nostra, qui utraque fecit unum, et intergerivi parietis septum solvit, etc. Eph. 2, 12. et seqq.

XXVII. Secundo dividitur a nostris Ecclesia in visibilem et invisibilem; etsi enim aliqui visibilem cum particulari, invisibilem cum universali confundant, nos tamen salvo meliori judicio haec membra confundenda esse non arbitramur.

XXVIII. Invisibilis Ecclesia dicitur multitudo credentium et electorum, qui tum in particularibus coetibus, tum in omnibus totius orbis Ecclesiis et locis, Dei oculis conspicui sunt. Quae

ideo invisibilis dicitur, quia ipsa illius interna et essentialis forma, nempe vera fides et sanctitas, ab hominibus non videtur. Etsi enim non diffiteamur quin ipsa fides et sanctitas interna per confessionem et bona opera se quoque manifestet, tamen cum hypocritae haec omnia ad tempus imitari possint, ideo ex illis solis infallibile de aliis judicium non potest constitui. Unde et Sapiens 1 Reg. 8, 29. testatur, solum Deum corda nosse omnium filiorum hominis. Item Christus Joh. 10, 14. Ego cognosco oves meas, et cognoscor a meis. Et Apostolus Paulus adversus scandalorum auctores 2 Tim. 2, 19. Solidum tamen Dei fundamentum stat, habens hoc signaculum, Dominus eos novit qui sunt sui.

XXIX. Multitudinem autem hanc credentium cum Scriptura Ecclesiam vocamus; quia per Verbum et Spiritum Dei ad fidem et sanctitatem hanc e mundo evocantur, et quia sinceram et internam cum Christo et omnibus vere fidelibus communionem et societatem habent. Unde et passim in Scripturis appellatur ejusmodi nominibus, quae hanc societatem et communionem internam cum Christo et omnibus Sanctis efficaciter denotant.

XXX. Hinc vocatur sponsa et amica Christi, Cant 4, 7. et Eph. 5, 27. Sion Sancta, et Jerusalem coelestis, et Israël Dei, Esai. 52, 1. et Gal. 4, 26. et 6, 16. item Ecclesia quam Christus sibi mundavit, ut sisteret eam sibi gloriosam, non habentem maculam aut rugam, Eph. 5, 27. Corpus Christi, quod congruenter coagmentatum et compactum est per omnem subministrationis juncturam, juxta vim intus agentem pro mensura cujusque membri, Eph. 4, 16. Vocatur populus Christi quem servat a peccatis suis, Matt. 1, 21. Unum ovile et unus pastor, Joh. 10, 16. Domus Dei et Sacerdotium Sanctum, 1 Pet. 2, 5. Templum Dei in quo Spiritus Dei habitat, 1 Cor. 3, 16. etc. Conjux agni, Apoc. 21, 4. etc. quae omnia et similia cum nec hypocritis nec irregenitis, sub quacunque larva tegantur, ullo modo possint competere, consequitur necessario, Ecclesiam de qua haec dicuntur, esse solam illam quae a nobis antea est descripta.

XXXI. Ad hanc Ecclesiam quoque proprie pertinent omnes salutares et spirituales promissiones, quae Ecclesiae Dei passim in Scriptura fiunt, a quibus tam hypocritae quam injusti ex-

cluduntur; et inter ceteras promissiones etiam haec, quod nunquam in hoc mundo deficiet, ut Jer. 31, 36. Si defecerint leges Solis et Lunae coram me, dicit Dominus, tunc et semen Israël deficiet, ut non sit gens cunctis diebus. Sic Matt. 16, 18. Portae inferorum non praevalebunt adversus eam. Hinc Matt. 24, 24. testatur Christus fieri non posse ut seducantur electi, et Apoc. 13, 8. et alibi ab Antichristi seductione et mundi totius apostasia eximuntur illi, quorum nomina scripta sunt in libro Vitae agni.

XXXII. Visibilis Ecclesia est coetus eorum qui per verbum externum, Sacramentorum ac disciplinae Ecclesiasticae usum, in unum externum corpus ac societatem coalescunt, quae Ecclesia visibilis appellatur, non tam quia homines ipsi visibiles sunt, sed quia ipsorum ordo, professio, et communio sensibus externis exponuntur.

XXXIII. Haec Ecclesia visibilis consideratur duobus modis, vel ut coetus aliquis particularis unius pagi, urbis, aut provinciae, eorum scilicet qui inter se non tantum communitate fidei ac Sacramentorum, sed etiam regiminis externi forma, et Ecclesiasticis ritibus colligantur; vel ut coetus aliquis oecumenicus et universalis per totum orbem diversis locis dispersus, licet ipsa regiminis externi forma ac ritibus circumstantialibus saepe multum inter se differant, communitate tamen fidei et Sacramentorum essentiali conveniens, unde et illud frequens apud Cyprianum, Episcopatus unus est, cujus a singulis in solidum pars tenetur.

XXXIV. Haec Ecclesia visibilis non est proprie alia Ecclesia ab invisibili, sed alio tantum modo consideratur, illa in fieri, haec in facto esse, quemadmodum domus quae aedificatur et aedificata est. Nam in visibili Ecclesia illa invisibilis, antea nobis descripta, colligitur et formatur; invisibilis in illa visibili haeret ac continetur.

XXXV. Atque hinc fit ut visibilis Ecclesia tam particularis quam universa, ita nunquam sit pura et sincera, ut nulli hypocritae et impii ei sint immixti; sicut Christus eam propterea reti comparat in quo boni et mali pisces capiuntur, item agro et areae, in qua purum frumentum cum zizaniis crescit et colligitur, et convivio nuptiali, in quo et illi nonnunquam

comparent, qui nuptiali veste induti non sunt. Atque ideo et Apostolus Paulus eam confert cum magna domo, in qua non tantum sunt vasa aurea et argentea ad decus, sed et fictilia et lignea ad dedecus, 2 Tim. 2, 20.

XXXVI. Etsi vero haec Ecclesia ab hypocritis et impiis nunquam plene sit libera, tamen et hypocritas, quantum potest, detegere, et impios per claves a Christo concessas tenetur e suo coetu excludere, secundum praescriptum Christi, Matt. 18, 17. et Apoc. 2, 2. et 14. ipsos vero fideles in vitae aut fidei defectum prolapsos, per eandem disciplinam ad resipiscentiam seriam potenter revocare, ut Paulus monet, 1 Cor. 5, 5.

XXXVII. Haec Ecclesia visibilis respectu doctrinae et morum vel pura est vel impura: impura rursum vel simpliciter errans, vel haeretica, vel scismatica.

XXXVIII. Ecclesiam simpliciter errantem vocamus, quae errores quidem aliquos tuetur ac fovet, sed qui fundamentum fidei, nempe Christum et officium ejus, 1 Cor. 3, 11. non evertunt, ita tamen ut parata sit quotidie proficere, et errores, quorum convicta fuerit, ad Dei praescriptum corrigere; qualis fuit Ecclesia Galatica, Corinthiaca, Colossensis, etc. in quibus Apostolus graves quidem errores reprehendit, quia tamen vel fundamentum non concernebant, vel ipsi pertinaces in erroribus non fuerunt, idcirco Apostolus eas quidem graviter reprehendit, nec tamen ab earum communione aut se aut fideles separat.

XXXIX. Ecclesiam haereticam vocamus, quae in articulis gravis momenti et fundamentalibus ita errat, ut omnem correctionem respuat, et in errore pertinaciter perseveret. Pertinacia enim est de formali ratione haereseos: tum enim quis demum pro Ethnico et Publicano est habendus, quando Ecclesiam recte monentem audire non vult, ut Christus monet, Matt. 18, 17. et Paulus Gal. 5, 12.

XL. Haeresis est duorum generum, vel quae directe fundamentum, id est, Christum vel ejus officium evertit; vel indirecte et per consequentiam, ut vocant; quorum primi ab ipsa Scriptura Antichristi et Apostatae appellantur, posteriores generali voce Pseudoprophetae aut falsi doctores.

XLI. Scismatica Ecclesia proprie dicitur, quae in fundamentis fidei cum orthodoxa Ecclesia consentiens, tamen vel propter externos aliquos ritus ἀδιαφόρους, vel propter lapsus aliquos

particulares in moribus, communionem Christianam abrumpit, et separatos coetus erigit. Quemadmodum enim haeretici de Deo falsa sentiendo, fidem ipsam violant: ita scismatici disscissionibus iniquis a fraterna caritate dissiliunt, quamvis ea credunt quae credimus, ut August. de Fide et Symbolo recte loquitur; etsi et hoc ex Thomae 2. parte secunda addendum, scismaticos proprie dici qui ex intentione sine idonea causa, ab Ecclesiae unitate se dividunt.

XLII. Quaeritur hic, an cum Ecclesia haeretica et scismatica liceat Christiano communionem colere? Respondemus, cum errante in fide et moribus communionem colendam, et omni modo operam dandam ut ab errore et scismate revocetur, quemadmodum a Christo et Apostolis passim factum videmus. Cum proprie dicta tamen haeretica et scismatica, quum ea sint opera carnis, communionem Christianam servandam negamus, ex praescripto Christi, Matt. 7, 15. atque Apostoli, Rom. 16, 17. et Tit. 3, 10. et 2 Joh. 9. etc.

XLIII. Puram Ecclesiam vocamus, quae et praedicationem verbi, et confessionem fidei habet puram atque integram. Etsi enim nulla Ecclesia in terris sit, quae ita pura sit atque integra, ut nihil in ea vel in fide vel moribus possit requiri, tamen a praedominante doctrinae parte hic denominandam esse censemus cum Apostolo, Phil. 3, 15. Quotquot perfecti sumus, hoc sentiamus, quod si quid aliter sentitis, hoc quoque Deus vobis revelabit: attamen in eo ad quod pervenimus, eadem incedamus regula, et itidum simus affecti.

XLIV. Ex iis quae antea explicata sunt, satis apparet solutio ad quaestionem inter Pontificios et nos controversam, an scilicet Ecclesia errare ac deficere possit? Ecclesia enim electorum et invisibilis, etsi in circumstantialibus errare possit, tamen eam a fide nunquam deficere posse credimus, quia si deficeret, Ecclesia Christi esse desineret; visibilem vero Ecclesiam quod attinet, ipsi Pontificii nobiscum agnoscunt, particulares Ecclesias deficere posse, etsi suam Romanam sine ulla ratione hinc excipere conentur; et plurimas sane Ecclesias defecisse experientia et Scriptura testetur. Universa vero visibilis Ecclesia, etsi in magnas angustias redigi possit, et ad tempus, mundi

et persecutorum oculos nonnunquam effugere cogatur, quemadmodum praedictum fuit sub Antichristi tempore futurum, 2 Thess. 2. et Apoc. 11. 12. et 17. etc. credimus tamen Deum semper non tantum pios et fideles aliquos in mediis persecutionibus ac defectionibus mundi conservaturum, sed etiam omnibus seculis et temporibus fideles pastores excitaturum; qui eosdem pios verbo et Sacramentis sint pasturi, et alios per idem verbum invitis inferorum portis ad eandem Christi invisibilem Ecclesiam collecturi, idque secundum promissionem Christi, Matt. 28, 19. Ego vobiscum ero omnibus diebus usque ad consummationem seculi.

XLV. Unde etiam satis liquet, veras et essentiales hujus Ecclesiae purae et visibilis notas, esse puram praedicationem et receptionem verbi, obsignatam per legitimum usum Sacramentorum, et vindicatam per verum usum clavium, seu disciplinae Ecclesiasticae, secundum institutionem Christi; et quantum ab ea institutione et verbi puritate receditur, tantum quoque a vera et salvifica Ecclesiae puritate receditur.

XLVI. Nam si impura et falsa Ecclesia ex impuritate et falsitate doctrinae cognoscitur, quemadmodum antea probatum, et Christus Matt. 7, 16. et Johannes 2 Epist. v. 10. testatur, puram et veram Ecclesiam ex doctrinae puritate et veritate dignosci est necessarium. Unde et eos qui ex Deo sunt, Christus ex eo describit, quod audiant verbum Dei, Joh. 8, 47. et oves suas, ex eo, quod vocem Pastoris audiunt, ac cognoscunt eam, peregrinum autem non sequuntur sed ab eo fugiunt, quia vocem peregrinorum non norunt, Joh. 10, 4.

XLVII. Quod hinc etiam manifestum est, quia communicatio et acceptio tabularum foederis, sunt certum signum populi foederati; cum nemine enim Deus foedus facit, cui tabulas foederis non communicat. Unde et Gentiles ab Ecclesia Israëlis alienos, sine foederibus fuisse dicit Apostolus loco antea citato Eph. 2, 12. et contra, populum Israëlem usque ad adventum Christi fuisse Dei Ecclesiam hinc demonstrat Apostolus, quod ad ipsos foedera pertinebant, Rom. 9, 4. Verbum autem Dei esse tabulas illas Dei foederis nemo ambigit, atque id ipsa vox Testamenti evincit, et signa ac sigilla illius foederis esse Sacramenta, est extra controversiam inter Christianos.

XLVIII. Unde etiam fit, ut, cum Deus Ecclesiam suam in populo aliquo erigit, aut jam collapsam restaurat, non aliter id quam per Verbum et Sacramenta praestet; quemadmodum videmus Deum per Mosis ministerium erexisse Ecclesiam inter Israëlitas, cum eis Verbum suum et verbi sigilla dedit, et Christum per Apostolos suos Ecclesias per totum mundum propagasse, cum hoc mandato: Ite et docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, Filii, et Spiritus Sancti, et docete eos observare quaecunque praecepi vobis, Matt. 28, 19. et 20.

XLIX. Perperam ergo Pontificii, cum se hac veritate destitutos vident, alias Ecclesiae notas comminiscuntur, in quarum tamen designatione multum discrepant, aliis 15. aliis 8. aliis 4. tantum notas assignantibus; praecipuae tamen hae sunt, antiquitas, successio Episcoporum, multitudo profitentium, et miracula, quibus Bellarminus addit nomen Catholici, unitatem in doctrinae professione, doctrinae efficaciam, sanctitatem Doctorum quorundam, et imprimis eorum qui Monachorum ordines instituerunt, denique magnas victorias obtentas adversus eos quos haereticos appellat.

L. Sed ut praetereamus, quasdam ex his notis non esse certas, quasdam non esse perpetuas, omnes vero eas semper sibi vendicasse Gentiles, et adhuc vendicare Mahumetanos; ut mittam jam Ecclesias Graecas et Aethiopicas, quae a Pontificiis pro heterodoxis habentur, easdem sibi non minori jure tribuere quam Pontificios, dicimus eos occulto sane Dei judicio sibi diserte tribuere eas notas, quas ipsa Scriptura Antichristi Ecclesiae manifesto assignat.

LI. Prima ergo est Antiquitas, nam jam tum Apostolorum tempore operabatur mysterium iniquitatis; Successio et nomen Catholici, nam sedet in templo Dei; Multitudo et unitas profitentium, nam totus mundus adorat bestiam, et abit post eam; Miracula, nam venit cum signis et prodigiis mendacii; Doctrinae efficacia, nam mittit Deus efficaciam erroris ut credant mendacio; Sanctitas auctorum Monachatus, nam venit in veste ovili et habet cornua duo similia agno; ac denique Victoriae adversus fideles, quos ipsi haereticos vocant, nam bestia ascendens ex abysso geret adversus Sanctos bellum et vincet eos,

et Christi Ecclesiam in desertum fugabit. Haec omnia manifesta sunt ex 2 Thess. 2. Apoc. 11. et 12. et 15. et 17. etc.

DISPUTATIO XLI.

DE

Christo Capite Ecclesiae et de Antichristo.

Praeside D. ANTONIO THYSIO.

Respondente GUILIELMO SURENDONCK.

Thesis I.

De Ecclesia Dei, quae corpus Christi est, ejusque notis, superiore disputatione cum actum sit, sequitur ut de ejus Capite Christo, et contra de Antichristo, malignantis Ecclesiae Capite, breviter dispiciamus.

II. Per Caput Ecclesiae, metaphorice intelligimus, Christum θεάνθρωπον ac Mediatorem, supremam et absolutam dignitatem, majestatemque, auctoritatem, potestatem et jus habentem, et exercentem, quo ipse (ut in quo est omnium quae ad salutem requiruntur, plenitudo, et ad Ecclesiam conveniens symmetria, et cum ea conjunctio et unio) in Ecclesiam universam Spiritu suo per verbum efficaciter influit, omnia bona spiritualia ei communicat, eam vivificat, regit et defendit, idque tum interne, tum externe, ad salutem ejus, Deique gloriam.

III. Haec porro Christi Filii Dei et hominis in Ecclesiam potestas et efficacitas, variis in Scriptura Sacra similitudinibus declaratur. Ac primo quidem a rebus Physicis, videlicet a Capite et reliquo corpore deducta. Cum enim Ecclesia sit instar corporis, ἀκέφαλος, sine capite, et unum corpus, πολυκέφαλος, multiceps. esse nequit. Illud autem unicum Ecclesiae caput est Christus, Rom. 12, 4. 5. Multi unum corpus in Christo, scilicet Capite, Eph. 1, 22. Constituit, Deus scilicet, eum caput super omnia Ecclesiae, et 4, 15. Qui est caput, ex quo totum corpus congruenter coagmentatum et compactum per om-

nes suppeditatas commissuras, ex vi intus agente, pro mensura cujusque membri, incrementum capit corpori conveniens, ad sui ipsius exstructionem per caritatem, et cap. 5, 23. Item Col. 1, 18. et 2, 10. et 19.

IV. Qua quidem Capitis similitudine, summa eminentia, arctissima et proportionata ad supernaturale hoc Christi corpus symmetria, unio, communio atque *συμπάθεια* significatur. Ut enim caput in homine eminens ac suprema corporis pars est, in quo principium vitae, sensuum et motus est, a quo eorum defluxus et in corpus influxus, malorum aversio, bonorum prospectio, et totius corporis regimen residet; ita Christus supra, in, et circa Ecclesiam spiritualiter sese habet. Atque haec Capitis denominatio ad ceteras quoque extenditur. Unde Caput sponsae dicitur, 1 Cor. 11. et Eph. 5. Caput populi, Caput anguli, etc. dicitur.

V. Secundo a rebus Oeconomicis sumitur, idque secundum primarias ejus relationes, nempe 1. Sponsi et Mariti, scilicet Ecclesiae sponsae et uxoris, Sponsi quidem, Matt. 9, 15. 1 Joh. 3, 29. Apoc. 18, 23. et 21, 9. Mariti, vero 2 Cor. 11, 11. Ubi habetur ratio, ut coalitionis utriusque in unam carnem, seu corpus, societatis totalis, ac participationis omnium bonorum, *αὐθεντίας* et juris maritalis in uxorem, vicissim subjectionis uxoris sub marito, Eph. 5, 24. Affectionis item seu amoris et curae erga uxorem, v. 25. Ita et Christi, cum, super, in et erga Ecclesiam suam.

VI. Deinde in genere quidem Patrisfamilias suorum, seu propriorum ac domesticorum, a quo tota familia (ut in quam jus habet) dependet ac regitur. Unde Christus Paterfamilias, et fideles domestici Dei et Christi dicuntur, Matt. 10, 25. et 36. Luc. 13, 15. Eph. 2, 19.

VII. In specie vero Patris filiorum, fratrumque, Matt. 23, 9. Neque Patres vocemini: unus enim vester omnium Pater, Deus (scilicet spiritualis) vos autem omnes fratres. Esai. 8, 18. Hebr. 2, 13. Esai. 9, 5. et 53, 30. ubi patriae potestatis respectus est. Quamvis alibi improprie et metonymice, nempe instrumentaliter, quin et ratione affectus, ministris Dei ea appellatio aliquando communicetur, 1 Cor. 4, 15.

VIII. Quin Heri et Domini, scilicet famulorum et servorum, qualiter simpliciter Dominus, videlicet animae et con-

scientiae cujusque membri, totiusque Ecclesiae appellatur, Joh. 13, 13. et 14. 1 Cor 8, 5. 6. Quo proprietas, usus, et perfectum summumque in Ecclesia vindicandi disponendique jus indicatur.

IX. Denique secundum Oeconomiam χρηματιστικήν, Pastoris ovium. Ut enim unum est ovile, ita et unus Pastor, Ezech. 34. et 37. Joh. 10. ut sit unus pastor et unum ovile. Unde absolute Christus dicitur ὁ ποιμὴν, eximius ille pastor, cujus propriae sunt oves, Joh. 10, 11. et 12. ἀρχιποίμην, princeps pastorum, 1 Pet. 5, 4. et magnus ille ovium Pastor, Heb. 13, 20. Cujus directioni et pastioni omnes, seu tota Ecclesia subest, cujus et unius vocem audit, vers. 4. et 5. Eo tantum communicabilis, quo ministerium, non imperium, denotat.

X. Tertio ducitur a Politicis rebus, videlicet a statu in politica sublimissimo, Monarchae, Regis, Principis, Dominatoris, Gubernatoris et Vicarii. Reges enim Capita, Patres et Domini populi nominantur passim. Ita et Christus Rex Ecclesiae appellatur, Ps. 2, 6. Esa. 2. Zach. 9, 9. Matt. 21, 5. Luc. 1, 32. Apoc. 1, 5. et 15, 14. et 19, 26. Et vicarius Dei, qua a Patre et sub Patre constitutus, vicem ejus tenet et gerit, 1 Cor. 15, 27. Quibus celsa Christi in Ecclesiam potestas et imperium designatur.

XI. Quarto et postremo a rebus artificialibus sumitur, scilicet nominibus fundamenti, petrae, lapidis angularis, puta aedificii, domus, templi, civitatis spiritualis, id est, Ecclesiae Dei; quae Christo, ut propria tribuuntur, Esai. 28, 16. Dan. 2, 35. 45. Matt. 16, 28. et 21, 42. Act. 4, 11. Rom. 19, 33. 1 Pet. 2, 4. 1 Cor. 3, 11. Eph. 2, 19. Atque fundamenti quidem, quod vi sua immotum stet, ipsi innitatur, et ex eo exsurgat reliqua moles aedificii spiritualis; petrae vero, ut qua soliditas et firmitas fundamenti indicatur, adeo ut originis, subjecti, sustentationis et stabilimenti habeatur respectus. Angularis autem lapidis, ut in quo anguli, puta Judaei et Gentes, concurrant et connectantur. Eademque hujus ad aedificium, quae capitis ad corpus, est proportio.

XII. Harum porro omnium similitudinum prima naturae, et ut postrema, artis naturae imitatricis, tertia vero consensus: Secunda tum naturae, tum consensus est. Quibus omnibus simul mystica haec Christi cum Ecclesia unio et communio (quae

illas omnes veritate et efficacia complectitur et excedit) ad majorem evidentiam explicatur.

XIII. His ergo cum prima origo, summa potestas, jus, vis et regimen absolutum in Ecclesiam significetur, solius Dei Patris, Filii, et Spiritus Sancti, esse evincitur. Christus hujus αὐτεξουσίας et αὐθεντίας, auctoritatis et potestatis, non foret capax, nisi verus Deus esset, Hebr. 3, 4. 5. 6. Quamvis Christus secundum ordinem, qui est in personis divinis, certamque redemptioni convenientem oeconomiam et dispositionem, utpote Deus et homo, dignitatem hanc acceperit a Patre et habeat sub Patre, et quasi vicariam exerceat, pari tamen scientia et potentia divina praeditus, 1 Cor. 13, 22. et 11, 3. et 15, 24. 27. 28. Matt. 28. Quemadmodum neque Spiritui Sancto, qui Filio quasi vicarius submittitur, Joh. 14, 16. et 26. et 15, 16. eadem adaequata potestas conveniret, nisi verus Deus esset. Singulariter ergo Christi est, et quidem qua θεάνθρωπος pro officio suo excellenti ejusque efficacia.

XIV. Refertur autem et restringitur haec Christi potestas, quae alias latissime ad Angelos usque, imo et Diabolos, omnemque adeo potestatem, quocunque nomine censeatur, sese extendit, Col. 2, 10. Heb. 2, 7. 8. singulariter ad Dei Ecclesiam, Col. 1, 18. Idque non modo qua interna et invisibilis, sed etiam qua externa et visibilis, quaque universalis et particularis est.

XV. Consistit vero in primatu super Ecclesiam, unionis et communionis cum ea principio, gratiae in eam defluxu et influxu, seu ejus vivificatione et augmento; nec non gubernatione et regimine ejus in spiritu per verbum suum, idque non tantum interna, sed et externa administratione, quae est in ministrorum vocatione, missione, eorum per verbum suum instructione, etc. quae omnia summae potestatis sunt, et ex praescripto et de rato geri debent. Adeoque haec summa potestas in Ecclesiam, non est κοινωνητὸς sed residet in Christo, ut in proprio subjecto, omnisque hic potestatis qualiscunque per homines exsecutio, tantum ministerialis est.

XVI. Est ergo Christus unicum et solitarium, immediatum et aeternum Caput, Sponsus et Maritus, Paterfamilias, Pater, Herus et Dominus, Pastor, Rex, Monarcha, atque fundamentum Ecclesiae Dei, Deique vicarius.

Neque hujus summae potestatis nomina, aut res ulli communicari possunt, nisi hujusmodi, et quatenus instrumentum et ministerium hujus potestatis includere possunt. Omnia enim illa sese habent, ut immediate ac relative opposita, correlatis suis correspondentia, Hebr. 3, 5. et 6. Adeo ut illi censeantur in corpore, uxore, domesticis, filiis et fratribus, ministris et servis, grege, regno atque aedificio: quocunque gradu et modo, etiam cum respectu proprii officii cuique competenti, considerentur, ut dum Ministri et Mysteriorum Dei dispensatores, Apostoli et Architecti, Praefecti, Praesides, Duces, Episcopi, Presbyteri, Pastores etc. Dei et Ecclesiae dicuntur. Non quod super Ecclesiam Dei emineant, aut ei immineant, ac potestatem in eam habeant aut exercere debeant, 1 Cor. 3, 21. 22. 23. 1 Pet. 5, 2. 3. et 4. sed tantum quod circa eam ut administri Dei occupentur.

XVII. Unde sane nefas est, quod Pontificii nomina haec summam et celsam illam potestatem praeferentia, Christoque propria, inter Apostolos Petro, et inde ejus, ut volunt, successori Pontifici Romano, sub quocunque demum respectu, sive internae communicationis, sive externae gubernationis attribuunt. Equidem Petrus ipse in Christi Ecclesia ejus minister est, communi ac pari cum reliquis Apostolis ministerii aequalitate. Unde a Christo juxta ac reliqui Apostoli, sub eodem Apostolatus nomine et munere, evocatus ac constitutus est, Joh. 1, 39. 40. Matt. 4, 18. 21. Mittitur et emittitur pariter, Matt. 10, 28. parilique potestate, Joh. 20, 21. pariter promittitur, et accipit Spiritum Sanctum. Neque Apostolorum quisquam se reliquis superiori aliquo nomine ostentat, 1 Pet. 1. et 5, 1. Apostolicus gradus summus est pariter, 1 Cor. 12, 28. Eph. 4, 11. Pari potestate munus exercent, Actor. 15, 28. Christus eos pariter ὁμοθρόνους facit, Matt. 19, 28. Aeque Ecclesia fundata dicitur super fundamentum Apostolorum et Prophetarum; fundamentis novae Jerusalem ex aequo et citra ullam ὑπεροχὴν inscripta sunt nomina duodecim Apostolorum, Apoc. 21, 14. Et peculiariter Jacobus, Cephas et Johannes aequaliter οἱ δοκοῦντες, et pari gradu columnae dicuntur, Gal. 2, 6. 9.

XVIII. Singulariter vero Paulus negat, se ab hominibus aut per hominem Apostolatum adeptum, aut ab homine Evangelium accepisse, aut ductu ullius Apostoli praedicasse; cum aliis

contulisse quidem, at nihil ab aliis sibi collatum esse, imo mutuo societatis dexteras dedisse, et partito egisse, ut Petrus inter circumcisos, ipse vero inter Gentes versaretur, Gal. 1, 2. Nihilo e summis Apostolis inferiorem fuisse, 2 Cor. 11, 5. Amplius quam illos laborasse, 1 Cor. 15, 10. Quinimo Petrus ab Ecclesia reliquisque Apostolis Antiochiam mittitur, Act. 8, 14. officii rationem reddit, Act. 11, 2. etc. Imo vero non recto pede incedentem reprehendit, et ei in os resistit Paulus, Gal. 2, 11. etc. Tantum abest, ut Petrus reliquis tamquam caput fuerit impositus, reliquique sub ejus ductu ac directione fuerint.

XIX. Concedimus tamen, ut Apostoli suo in administratione gradu, pro singulari vocatione et Spiritus Sancti extraordinaria assistentia, primarium locum tenuerunt, ita et εὐταξίας, seu ordinis gratia, Petrum inter eos aliquando primas tenuisse; sed ideo potestatem in illos aut universam Ecclesiam habuisse vel exercuisse negamus. Totus autem hic primatus non gradus est inter inferiores, sed ordinis inter pares; et auctoritatis, non jurisdictionis.

XX. Neque huic rei firmandae quicquam facit locus Matt. 16. ubi Petro primatus hujus supereminentiae sit facta promissio, dum ait Jesus: Et ego dico tibi, Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferorum non praevalebunt adversus eam; et dabo tibi claves regni coelorum, quidquid ligaveris in terra, ligatum erit in coelis. Neque alter, Joh. 21, 15. ubi promissionis ante factae sit praestatio, dum Simoni Petro inquit, Simon fili Jonae, diligis me plus quam hi? Dicit ei Petrus, Certe Domine tu nosti, quod amem te. Dicit ipsi: Pasce agnos meos. Dicit rursum secundo, Simon Jonae, diligis me? Certe Domine tu nosti quod amem te. Dicit ei: Pasce oves meas. Dicit ei tertio, Simon fili Jonae, amas me? Tristitia fuit affectus Petrus, quod tertio dixisset ipsi, amas me? Dixit ei, Domine, tu omnia nosti, tu nosti quod amem te. Dicit ei Jesus, Pasce oves meas.

XXI. Equidem ad priorem locum quod attinet, ut Christus interrogat communiter omnes Discipulos, quid homines de se

dicerent: ita et responderunt omnes, vers. 15. (forte unus aliorum nomine). Utque exquiritur communis ipsorum a Christo de se sententia: ita Petrus respondet pro reliquis ex eorum omnium sensu, aut saltem assensu, quod ex responso ipso apparet: Tu es Christus, ut est apud Marc. 8, 27. vel, Tu es Christus Dei, Luc. 9, 18. vel, ut hic, Tu es Christus Filius Dei vivi. Cui accedit etiam prohibitio omnibus discipulis post facta, ut nemini dicerent, se esse Jesum illum Christum. Unde communis consensus evincitur.

XXII. Et sane utrumque, Jesum esse Christum, et Filium Dei vivi, omnes Apostoli et Discipuli de Christo antehac habuerunt persuasissimum. Talem eum Johannes Baptista agnovit, Joh. 1, 29. et talem se testatus est suis discipulis, vers. 34. 35. Inter quos Andreas frater Petri, qui illud Simoni Petro renunciavit, vers. 42. ut Philippus Nathanaeli, v. 46. et Nathanael, Tu es Filius ille Dei, tu es Res Israël, v. 50. Johannis discipulis ad se eo nomine missis, confirmavit Christus, Matt. 11, 3. Professi sunt discipuli Christi, Matt. 14, 34. Quinimo et Samaritana, Joh. 4. et Samaritani, 29. 42. Caeci illi, Matt. 9, 27. Syrophoenissa, Matt. 15, 22. etc. nedum Apostoli, imo idem Petrus antea ceterorum nomine similiter professus est, Joh. 6, 68. 69. Nos credimus et scimus te esse Christum Filium Dei viventis.

XXIII. Unde et ea quae Petro, ut omnium voci, deinceps singulariter accommodantur, sub persona et in figura ejus, communiter et aeque de reliquis intelligenda sunt, utpote beatitudinis illius, ob praeclaram hanc confessionem ab eo editam, praedicatio, ejusque in revelatione divina, causa, Luc. 10, 21. 22. 23. Matt. 11, 27. Gal. 1, 12. 16. Recognitio quoque nominis Cephae, quod petram notat, ei singulariter ante editi, Joh. 1, 43. Marc. 3, 16. et jam ob fundamentalem fidei summam ab eo editam confirmati, ratione scilicet prioris illius impositionis reddita, dum ait, Et ego, id est, vicissim dico, i. profiteor tibi, Quod tu es Petrus, scilicet nomine et re, firmitatis fidei et confessionis ratione ratione habita, in quo ita ipsius ut reliquorum commendatio est: qui similiter respectu doctrinae, ejusque professionis et administrationis, preciosorum lapidum nominibus insigniuntur, Esai. 54, 11. Ecce ego collocaturus sum cum ornamento

lapides tuos, et fundaturus sapphiris. Sic et Apoc. 21, 14. 19.

XXIV. Quin et promissio ei facta de aedificanda super hanc petram Ecclesia sua. Quod non de Petro personaliter, sed de fidei ejus Christum intuentis professione realiter intelligendum est; non enim dicit, super te Petrum, sed super hanc petram, commutato Petri nomine in petrae, masculino in femininum, et persona secunda in tertiam, et addito pronomine demonstrativo; et in Syro articulus, qui tantum appellativis additur, voci Cephae hic praepositus, idem indicat. Neque Ecclesiae aedificatio super personam ullius hominis, sed solius Christi, qui est unica illa Petra, 1 Cor. 3. et 1 Cor. 10. doctrinamque de eo editam, facta est. Quo sensu et id reliquis Apostolis, ut architectis aedificii Dei, 1 Cor. 3. et ipsorum insuper doctrinae communiter tribuitur. Eph. 2. Apoc. 21. et fides fidelium fundamentum dicitur, cui ipsi superstructi, Judae vers. 20.

XXV. Ad haec promissio de petrae illius fundamentalis, et Ecclesiae ei inaedificandae firmitate; Et portae inferorum non praevalebunt adversus eam. Quod de Petro per se intelligi nequit, ut cujus fides et mores aliquando vacillarunt, Matt. 16, 22. 23. et 26, 33. 34. Luc. 22, 31. 34. Gal. 2, 12. etc. Sed de fide ab eo edita, quae firma et immota manet, si ipsam professionem, non simpliciter profitentem spectes. Neque de Ecclesia qualibet, sed de Ecclesia Catholica, quae est columna et firmamentum veritatis.

XXVI. Denique promissio ei facta de clavibus regni coelorum, at non inquit, Et tibi dabo soli claves regni coelorum, quibus metaphorice administrationis potestas in Ecclesia Dei significatur, ejusque ratio altera metaphora indicatur, et quicquid ligaveris in terra, ligatum erit in coelis, et quicquid solveris in terra, erit solutum in coelis, quod fit, tum praedicatione Evangelii, privatim in conscientia cujusque, Matt. 28, 18. 19. Marc. 16, 16. tum publice usu disciplinae et excommunicatione, Matt. 18, 15. 17. 18. Quae gubernationis potestas non est absoluta, sed ministerialis et promulgatoria, pro ratione fidei et resipiscentiae cujusque. Ac ea quidem Ecclesia est, Matt. 18, 18. specialiter vero, ut omnibus Apostolis hic promittitur, ita post

committitur, Joh. 20, 21. 22. 23. Matt. 28, 18. a commissione autem ad promissionem ante factam valet argumentum.

XXVII. Ad locum vero alterum Joh. 21. quod attinet, non tribuitur eo ipso Simoni Petro universale pastoris munus in totam Ecclesiam, reliquosque Apostolos, sed commune pascendi cum reliquis officium, Matt. 18. ex quo merito trina abnegatione exciderat, Matt. 10, 32. terna opposita confessione restituitur, quod et dolor arguit, quem concepit Petrus ex tertiata interrogatione, quasi dubitantis Christi hic sermo esset; neque βόσκε et ποίμαινε, pasce τὰ ἀρνία, agnos meos, atque τὰ πρόβατα, oves meas, diversam notionem habent. Neque pascere, imperium notat, sed ministerium. Alienas enim oves jubetur pascere. Neque dicitur, πάντα τὰ πρόβατα, sed indefinite etiam aliis commissa, Matt. 28, 19. Marc. 16, 15. 2 Cor. 11, 28. Neque denique omnes Ecclesias pavit, sed partito cum reliquis egit, Gal. 2.

XXVIII. Neque quicquam in adversum facit, quod quaerit ex eo Christus, amas me plus, quam hi, scilicet Apostoli praesentes, Thomas videlicet et duo filii Zebedaei, etc. quasi ab excessu amoris ipsius prae reliquis, concluderetur super reliquos principatus. Neque ea interrogatione Christi, constat eum plus reliquis amasse, imo contra, quod quaestio institueretur de re, ad quam respondere nequibat (unde non de alieno, sed de suo amore testatus est ipse) constat, non id affirmantis, sed ejus confidentem ambitionem, ut qui dixerat, etiamsi omnes offendantur in te, ego nunquam offendar, Matt. 26, 35. exprobrantis et arguentis esse. Ac tantum eo indicatur, quam magna fidei et caritatis perfectio ab omnibus ministris Ecclesiae exigatur.

XXIX. Multo minus Pontifici Romano, successionis et haereditatis (ut volunt) jure, haec ipsa competit in Ecclesiam Dei et Christi reliquosque Episcopos potestas, et administrationis primatus. Id enim multa praesupponit, 1. Petrum reliquis Apostolis fuisse constitutum superiorem, quod secus esse jam probavimus. 2. Jus illud superioritatis in eo non fuisse personale, sed successivum. At Apostolis nemo, quod singularis eorum sit vocatio, succedit; et si succeditur, in doctrina et communi officio succeditur. 3. Successionem illam alligatam fuisse certo loco et cathedrae. At locus successionem non confert. 4.

Sedem illam postremam fuisse quam postremo tenuit. 5. Eam Hierosolymis (unde verbum proditurum Evangelii diserte dicitur, Esai. 2. et Christus consummatus est) translatam in Antiochiam, (ubi primi Christiani appellati sunt) inde demum Romam, ubi non modo fuerit et vixerit multos annos, sed et martyrio consummatus sit. Adeo ut is, qui illi ibidem quocunque modo successerit, licet fide et dilectione impar reliquis, etiam in privilegium et jus Petri successerit. At Paulus quamvis scribat Romanis, et Romae epistolas ad Galatas, Ephes. Philip. Timoth. Philem. nusquam Petri in salutationibus suis meminit. Quae omnes hypotheses divinis testimoniis, quibus fides nititur, probandae erant. At nihil minus possunt, sed ad traditionem eamque incertam, hic confugere necesse habent; cui fides nostra inniti non potest. Imo vero omnis qua fruitur praerogativa Pontifex Romanus, humani potius et imperatorii, puta Phocae impii et Regicidae Imperatoris, est instituti.

XXX. Imo vero Episcopus et Papa Romanus, dum se universae Ecclesiae Dei et Christi, Dominum, Regem, Monarcham, Sponsum et Maritum, Caput et Fundamentum, itemque vicarium Dei in his terris, et universalem Episcopum, sen Episcopum Episcoporum vocare, et pro iis se gerere non veretur; idque cum salutis necessitate credendum asserit; Antichristum illum se revera esse eo ipso demonstrat, ut qui summam potestatem, Christo reipsa propriam invadit, ejusque se consortem facit, Ecclesiae Dei et conservis suis se praefert: quem in templo Dei sessurum, et se elaturum super omne quod dicitur Deus aut numen, Apostolus praedicit, 2. Thess. 2.

XXXI. Equidem dum se Herum, Dominum, Principem, Regem, Monarcham Ecclesiae dicit, absolute quidem, quoad spiritualia, in temporalibus vero universim, idque cum respectu, quatenus ea ad spiritualia ordinata sunt, ac ea, quae Domini ac Regis sunt, agit, ut dum ceu legislator interpretandi divina potestatem sibi infallibilem arrogat, de divinis dispensat, eaque abrogat, leges obligantes conscientiam ipsi fert, tantundem est, ac si quis minister aut servus, aut etiam legatus se Dominum ac Regem faceret, aut quae Domini sunt, sibi arrogaret. Quod est contraria nectere, et laesae Majestatis divinae crimen committere.

XXXII. Et sane nusquam hic titulus in Scriptura ministris Dei tribuitur. Imo vero Christus Rex immediatus Ecclesiae est, quod primitus adumbratum fuit in Regno Israëlis; ubi Deus immediatus Rex populi esse voluit, donec visibilem Regem petentes, Deum ipsum dicuntur rejecisse, et Deus illis Regem dedisse in ira sua. Complementum vero accepit in Romana Ecclesia et Pontifice Romano.

XXXIII. Sponsum et maritum dum sese Ecclesiae facit, quid aliud quam Ecclesiam adulteram, et sese adulterum facit? Nullus hic Vicarii est locus. Qui habet Sponsam, inquit Johannes Baptistes, Sponsus est, amicus vero Sponsi qui stat et audit eum, gaudio gaudet propter vocem Sponsi, Joh. 3, 19. Paulus similiter est is, qui praeparat eam tamquam virginem puram, uni viro Christo sistendam, 2 Cor. 11. 2. Suffecit ergo eis esse paranymphis. Neque hic titulus usquam in sacris literis Ecclesiae administris assignatur. Quem palliare similitudine imaginarii concubitus, inter magnates usitati, ineptum est; fuerit enim ita sane Papa tantum imaginarius Ecclesiae Sponsus.

XXXIV. Caput Ecclesiae universale dum se esse affirmat, πολυκέφαλον Ecclesiam statuit (at unius corporis unum est caput ejusdem ordinis) adeoque monstrosum corpus constituit. Neque distinctione capitis sub capite, aut visibilis Ecclesiae visibilis capitis, monstrum in hoc corpore evitatur. Non enim haec visibilis et invisibilis Ecclesiae distinctio essentialis, sed ei accidentalis est. Quin quae proportio hujus visibilis capitis ad totum Ecclesiae corpus? et quomodo una haec persona universam Ecclesiam curare potuerit? Unde et partito egerunt Apostoli.

XXXV. Nusquam etiam haec appellatio capitis Ecclesiae, ministris Ecclesiae tribuitur. Sacerdotes enim capita populi, non nisi communi magistratus, optimatum et honorabilium notione dicuntur, Esa. 9, 14. 15. Os. 6, 1. Summus Sacerdos insuper typice ad Christum, cujus in eo complementum est. Etiamsi autem in Ecclesiae Christi administratione praestantiora ejus membra sub capitis nomine forte veniant, 1 Cor. 12, 21. (ubi tamen capitis dignitas de Christo dicitur, vers. 12. et 27.) non tamen una aliqua persona, sed officia ac dona potiora ea appellatione designantur, ut apparet ex filo totius capitis, aut intelligendum de constitutione corporis mystici.

XXXVI. Fundamentum porro Ecclesiae Catholicae dum sese jactitat, quamvis fundamentum in fundamento et secundarium fundamentum dicat, quid aliud quam nugas agit, contradictoria in adjecto nectens. Non enim proprie fundamentum quicquam est, quam unum, et cui reliqua moles inaedificatur, quod solus Christus est, 1 Cor. 3, 11.

XXXVII. Quod vero duodecim fundamenta coelestis Jerusalem dicuntur, quibus inscripta sunt nomina 12. Apostolorum, intelligendum est vocabulum fundamentorum secundum extensionem seu distributionem partium unius ejusdemque fundamenti. Sic fundamentum et fundamenta templi dicuntur, 1 Reg. 5, 17. et 1 Chron. 3, 3. Hebr. 11, 10. Ita revera unum idemque Ecclesiae fundamentum, secundum ejusdem in particularibus Ecclesiis repositionem, fundamenta appellantur, atque in iis inscripta nomina Apostolorum, ut qui singuli secundum partes Ecclesiarum, eorum, ut architecti, positores fuerunt. Sic civitatis hujus 12. portae assignantur, et in iis 12. Angeli ut custodes, et inscripta nomina 12. Patriarcharum. Cum autem una sit porta illius, nempe Christus, Joh. 10. similiter ad Eph. 2, 20. Ecclesia aedificata dicitur super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, scilicet quod illi posuerunt. Quo sensu Apostolus alienum fundamentum suo opponit, Rom. 15, 20. vel metonymice super doctrina ab illis annunciata, Hebr. 6, 2.

XXXVIII. Vicarium porro Dei et Christi universalem in terris, dum prae se fert, quid aliud, quam origine quidem, non tamen sapientia et potentia ac potestate se diversum a Christo facit? Utrumque autem sibi arrogat, dum jactitat se habere omnia jura in scrinio pectoris sui, errare non posse, et agere ex plenitudine potestatis. At vero hoc vicario opus non est, cum Deus in Christo, per Spiritum Sanctum semper et ubique Ecclesiae suae praesens adsit. At absentis vicarius est.

XXXIX. Pastorem denique Pastorum, Episcopum Episcoporum, et Oecumenicum Episcopum, et Patrem Patrum, dum se asseverat, nihil aliud, quam ambitione ac insigni superbia sua Antichristum sese exhibet. Episcopus nusquam nisi respectu Ecclesiae, non etiam aliorum Episcoporum, usurpatur in Sacris, Act. 20, 28. Neque hujus muneris inter munera Ecclesiastica fit mentio, 1 Cor. 12, 28. Rom. 12, 8. Eph. 4, 11. 1 Tim. 3. Quod fieri debuisset in re, quam faciunt

fidei. Quin si quis oecumenicum Episcopum se dicit, non modo dominatur in clerum, 1 Pet. 5, 3. sed et in conservos et sympresbyteros tyrannum agit, contra mandatum Christi, disceptantibus discipulis, quis ipsorum major esset, ter repetitum, videlicet in itinere Capernaum versus. Matt. 18, 1. Marc. 9, 33. Luc. 9, 46. prope Jericho, Matt. 20, 21. Marc. 10, 35. Hierosolymis in sacra Coena, Luc. 22, 24. Ac eo Diotrephen φιλοπρωτεύοντα aemulatur. Quod autem dicitur Matt. 20. et Luc. 22. Vos non sic, ibi vos non sic, non dominationis modum, ut Bellarminus vult, sed rem ipsam notat, qualiter Ps. 1. Non sic impii, et Ps. 147. Non sic facit omni nationi, id est, non id.

XL. Ex quibus utique apparet, Pontificem et Papam Romanum revera Antichristum et filium perditionis, Romanam vero Ecclesiam, Papanam et Antichristianam esse. Cujus pleniorem demonstrationem, ob materiae amplitudinem, in aliam disputationem rejicimus.

Augustinus, Serm. 13, de verbis Domini secundum Matth.

Tu es ergo, inquit, Petrus, et super hanc Petram, quam cognovisti dicens, Tu es Christus Filius Dei vivi, aedificabo Ecclesiam meam, super me aedificabo te, non me super te.

Idem, Tractatu in Joh. 124.

Super hanc, inquit, Petram aedificabo Ecclesiam meam. Petra enim erat Christus, super quod fundamentum etiam ipse aedificatus est Petrus. Fundamentum quippe aliud nemo potest ponere praeter id, quod positum est Christus Jesus.

Idem in Joh. Tract. 118.

Quum essent interrogati omnes, solus Petrus respondet, Tu es Christus, et ei dicitur, tibi dabo claves, quasi ligandi et solvendi solus acceperit potesta-

tem, quum et unus pro omnibus dixerit, et hoc cum omnibus, tamquam personam gerens ipsius unitatis acceperit. Ideo unus pro omnibus, quia unitas in omnibus.

Gregorius Papa Lib. 6. c. 194. Epist. 30.

Ego fidenter dico, quia quisquis se universalem Sacerdotem vocat, vel vocari desiderat, in elatione sua Antichristum praecurrit.

DISPUTATIO XLII.

DE

Ministrorum Ecclesiasticorum vocatione et functionibus.

Praeside D. JOHANNE POLYANDRO.

Respondente ISAACO VALCKNAER.

Thesis I.

Quemadmodum Dominus noster Jesus Christus, unicum Ecclesiae Catholicae caput, eam invisibiliter per Spiritum Sanctum; sic eandem visibiliter per Regni sui oeconomos et administros in hoc mundo gubernat.

II. Horum alii quibuslibet Ecclesiae membris bona spiritualia, alii quibusdam *τὰ βιωτικὰ*, seu corporalia, ad hujus vitae alimentum necessaria administrant.

III. Priorum duo sunt genera. Nonnulli enim et verbi divini, et regiminis Ecclesiastici, nonnulli regiminis tantum Ecclesiastici sunt administri.

IV. Vocatio administrorum verbi divini, quemadmodum et ceterorum Ecclesiae Christi publice inservientium, non tantum ex externo Spiritus Sancti instinctu atque afflatu praeeunte, sed etiam ex externo verorum Ecclesiae membrorum assensu subsequente cognoscitur.

V. Internus Spiritus Sancti instinctus, quo virorum Dei praecordia ad sacrosancti Ministerii desiderium efficaciter flectuntur atque excitantur, in omnibus fidis Dei verbis, ad Ecclesiae ipsius administrationem vocatis, priusquam munus suum subeant et obeant, necessario requiritur. Nam sicuti Domini messis est, operarios suos in vineam suam emittere, Matt. 9, 38. sic nemo ex fidis illius operariis hunc sibi sumit honorem, sed qui a Deo vocatur. Quod Aaronis exemplo probat Apostolus, Hebr. 5, 4. hacque interrogatione innuit, Quomodo praedicabunt, nisi missi fuerint? Rom. 10, 15. De Pseudoprophetis Deus e contrario pronunciat, Me non mittente, hi Prophetae cucurrerunt, meque ipsos non alloquente prophetarunt, Jer. 23, 21.

VI. Cum Socinianis, qui singularem aliquam mittendi rationem ad sacrum ministerium obeundum requiri negant, haec loca objicimus, regerunt, Apostolum Hebr. 5, 4. de solo loqui Pontificatu Aaronico, in quo olim plus honoris erat, quam laboris: at in hodierno ministerio Ecclesiastico, plus laboris esse quam honoris, neque hujusmodi ministerium, idoneos ad docendum sibi sumere, aut arrogare, cum jus illud concupiscendi atque obeundi ex dono alios docendi habeant, In Catech. Socin. Racoviensi cap. 2. De regimine et gubernatione Ecclesiae Christi. Socin. in Tract. de Ecclesia. Theoph. Nicolaid. in defens. Tractat. Socin. de Ecclesia, cap. 1.

VII. Falsa est haec Socinianorum ad locum illum ex cap. 5. ad Hebraeos exceptio. Quamvis enim Apostolus ibi in genere disserens de Pontificatu, hoc suum axioma, Nemo sibi sumit hunc honorem, sed qui vocatur a Deo, Aaronis exemplo ὑποδειγματικῶς illustret, cum tamen Pontificatum ab effectis sacri Ministerii Ecclesiastici, ibidem describat, et ex Logicorum regula de similibus idem sit judicium, necessario sequitur, axioma illud Apostoli generale, ratione Ministerii Ecclesiastici, cujus sunt variae species, eodem modo ad alios Ministros Ecclesiasticos, cujuscunque sint ordinis, accommodari posse, quo illud ab Apostolo ad Aaronem peculiariter applicatur, cum nullum aut ex Prophetis, aut ex Apostolis et Evangelistis, aut ex aliis Ministris Ecclesiasticis a Deo approbatis exemplum dissimile ex sacris literis proferri possit. Nemo enim ex illis absque Dei

vocatione dignitatem muneris Ecclesiastici sibi sumpsisse legitur.

VIII. Pontificis deinde Aaronici λειτουργία, qua sacra quorum mentionem ibidem facit Apostolus, tam suo, quam populi nomine peragebat, non minoris erat laboris, quam honoris, ac proinde honor ab Apostolo synecdochice nuncupatur, propterea quod ob istam λειτουργίαν duplici honore dignus esset, quod Apostolus de Presbyteris quoque Novi Testamenti asserit, 1 Tim. 5, 17. Nec plus aut minus, sed tantum laboris, quantum honoris Apostolus operi sacri ministerii attribuit, cum illud opus praeclarum appellat, 1 Tim. 3, 1. Et quamvis desiderium Episcopatus, ut ibidem docet Apostolus, sit laudabile, eorum tamen culpanda est ambitio, qui nec Dei missionem, nec Ecclesiae approbationem exspectantes, munus illud ex proprio judicio ac privato arbitrio capessunt.

IX. Al locum Rom. 10, 15. regerunt, Paulum de suo tantum tempore loqui, cum adhuc nova et inaudita esset Evangelii doctrina, ac proinde res ipsa postularet, ut qui eam essent annunciaturi, missionem suam docere possent; cum vero hoc nostro tempore nihil novi afferatur, sed antiqua Evangelii doctrina proponatur, ideo non opus esse singulari quadam vocatione. Osterod. in Instit. cap. 42. Theoph. Nicolaid. in defens. Socin. de Ecclesia.

X. Haec Socinianorum exceptio, veritati quoque adversatur. Non minus enim haec Apostoli interrogatio, Quomodo praedicabunt, nisi missi fuerint? quam praecedentes, in enunciationem universalem est resolvenda. Proinde sicuti semper et ubique vera sunt atque erunt haec axiomata, Nulli invocabunt Deum, in quem non crediderunt, nulli credent ei, de quo non audierunt, nulli audient absque praedicante: sic idem de isto axiomate Apostolico censendum est, Nulli praedicabunt, nimirum legitime, nisi missi fuerint. Nec per opus Praedicationis Evangelicae solis Apostolis, sed aliis quoque Pastoribus, ut videre est Matt. 26, 13. et 28, 20. et alibi, attribuitur.

XI. Nova praeterea doctrina Apostolis falso affingitur, qui nihil crediderunt nec docuerunt, extra ea quae scripta sunt in Lege et Prophetis, ut liquet ex confessione Apostoli Pauli, Act. 24, 14. et 22, 26. Nec non ex ipsius responsione ad Judaeorum qui Romae habitabant, interrogationem, quaenam sentiret. His

enim cum testificatione dicitur exposuisse Regnum Dei, suadens eis quae de Jesu Christo sunt, ex Lege et Prophetis, Act. 28, 23. Non ergo missio Apostolorum fuit novae doctrinae, sed divinae vocationis indicium, et conformis vocationi Prophetarum qui eodem modo missi sunt, tametsi nihil novi, sed eadem quae Moses, dixerint, calamoque suo consignaverint.

XII. Quocirca futilis est Socini adversus Pontificios exceptio, ab iis contendi non posse, ut Ministri qui cum ipsis non consentiunt, suae vocationis, aut muneris, legitimum auctorem ostendant, cum non gerant se pro novis Christi Apostolis, aut divinis Prophetis; nec inauditam prius doctrinam aut Religionem mundo se annunciare profiteantur, neque ex novis principiis priusve incognitis testimoniis quidquam doceant, sed ea tantum quae apud omnes Christiani nominis certissima sunt, ex ipsis scilicet Evangelistarum et Apostolorum scriptis. Socin. in Tract. de Ecclesia. Idem enim Apostolus de se scribit, Rom. 1, 1. quod Evangelium praedicaverit non ex novis principiis, aut prius incognitis testimoniis, sed illud quod Deus ante promiserat in Scripturis Sanctis per Prophetas. Nihilominus tamen vocationis suae aut muneris auctorem legitimum Romanis ibidem ostendit, cum se ex Dei vocatione Apostolum separatum ad illud Evangelium praedicandum asseverat.

XIII. Futilis quoque est asseclarum Socini exceptio, ac nominatim Ostorodii ad locum Jer. 23, 21. Deum ibi agere de Pseudoprophetis qui jactitabant se esse Prophetas a Deo missos, ut novi aliquid idque singulare populo annunciarent. Nam hujusmodi gloriatione de suae doctrinae novitate se esse successores verorum Prophetarum demonstrare non potuerunt, cum Moses sacrorum suorum scriptorum conformitatem cum praecedentibus Dei revelationibus non scriptis, ab Adamo usque ad sua tempora in primo suo libro ostendat, ac Christus posteriorum Prophetarum doctrinae antiquitatem ex ejus ἁρμονίᾳ cum Mosis doctrina declaret, Matt. 7, 12. Luc. 24, 27.

XIV. Atque haec de necessitate vocationis Ministrorum Ecclesiasticorum quae fit a Deo, dicta sufficiant: cujus vocationis modum si spectemus, aut fit a Deo immediate, aut mediate, aut extraordinarie, aut ordinarie.

XV. Immediata vocatio est, qua nonnulli ad munus docendi

regendique Ecclesiam a Deo vocantur absque hominum opera atque interventu, qualis, sicuti olim fuit vocatio Mosis, Esaiae, Jeremiae, sub Vetere, ita et Apostolorum sub Novo Foedere ab ipso Christo missorum ad praedicandum Evangelium.

XVI. Mediata vocatio est, cum Deus aliquos vocat interveniente aliorum hominum administratione, qualis fuit Aaronis ac ceterorum Sacerdotum et Levitarum sub Veteri, Timothei, Titi, Episcoporum, Presbyterorum et Diaconorum sub Novo Testamento.

XVII. Extraordinaria vocatio est, qua nonnulli donis extraordinariis supra communem aliorum Ministrorum sortem a Deo exornati, ab ipso extra ordinem ac seriem praecedentium Ministrorum Ecclesiae a Deo vocantur, cujusmodi vocatio fuit Prophetarum in Veteri, Apostolorum, Prophetarum, et Evangelistarum in Novo Testamento. Quorum vocatio fuit temporaria, sub Veteri foedere ad Ecclesiae Dei collapsae instaurationem, sub Novo ad ejusdem dilatandae propagationem ordinata.

XVIII. Ordinaria vocatio est, qua aliqui donis ordinariis a Deo instructi, ordinariam ac communem Ecclesiae Dei operam praestant; qualis olim fuit Patriarcharum ante legem, Sacerdotum et Levitarum sub Lege, Pastorum vero et Doctorum sub Evangelio vocatio, quae ad Ecclesiae Christianae a temporibus Apostolorum per totum orbem terrarum dispersae, aedificationem quibuslibet in locis promovendam, usque ad finem mundi locum habebit, juxta Christi promissionem, Matt. 28, 20. Ite et docete omnes gentes, baptizantes, et docentes eos servare omnia quae mandavi vobis. Et ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi.

XIX. Quo respiciens Apostolus extraordinariam primorum ac temporariorum Ecclesiae Catholicae fundatorum vocationem primo loco ponit, eorumque tres tantum ordines recenset, cum Christum ait post ascensionem in coelos dedisse alios Apostolos, alios vero Prophetas, alios autem Evangelistas, ad aedificationem corporis sui mystici, nimirum Ecclesiae, Eph. 4, 11. et 12.

XX. His duos tantum ordinariorum ac perpetuorum verbi divini administrorum ordines ibidem conjunctim subjungit, cum addit, eundem Christum alios praeterea dedisse Pastores et

Doctores, ad coagmentationem Sanctorum, et opus Ministerii, donec evadamus omnes in unitatem fidei et cognitionis Christi in virum adultum ad mensuram perfectae in ipso staturae. Cui operi ut Pastores commodius vacarent, ipsis Seniores ad Ecclesiae gubernationem, et Diaconi ad curam pauperum aliorumque afflictorum, ex Christi Apostolorumque institutione, Matt. 18. Act. 6. adjuncti sunt, de quibus suo loco disseremus.

XXI. Apostoli erant praecones Evangelii universales ad Ecclesiae Catholicae fundamentum, quod est Christus, ubique terrarum ponendum, ab ipso Christo immediate atque extra ordinem missi, dono absque errore alios docendi, doctrinaeque suae veritatem miraculis confirmandi a Deo instructi, Matt. 28, 20. 1 Cor. 3, 10. 11. Matt. 10, 1. Joh. 16, 13. Act. 2, 2. et seqq.

XXII. Prophetae qui sub Novo Testamento vixerunt, dono, tum futura praedicendi, tum loca Scripturae difficiliora perspicue interpretandi et ad Ecclesiae aedificationem dextre applicandi, a Deo praediti fuerunt. A priore dono describitur Agabus qui famem sub Claudio et Pauli vincula praenunciavit, Act. 11, 28. et 20, 10. Ab utroque, Barnabas, Simeon, alias dictus Niger, Lucius Cyrenaeus, Manahen et Saulus, qui propterea Prophetae et Doctores a Luca appellantur, Act. 13, 1. A posteriore, illi de quibus Apostolus disserit, 1 Cor. 14, 29. et seqq.

XXIII. Evangelistarum alii erant Scriptores historiae Evangelicae, de vita et morte, dictis et factis Salvatoris nostri Jesu Christi, alii ab Apostolis ad Evangelium una cum ipsis praedicandum vocati, ideoque ipsos ut *συνεργοὶ*, comitabantur, nisi cum ab ipsis ad tempus certis quibusdam Ecclesiis praeficerentur; quales erant Barnabas, Silas, Timotheus et Titus, quibus nonnulli 70. discipulos, quorum Lucas meminit cap. 10, 1. annumerandos esse existimant.

XXIV. Quamvis Barnabas, qui plerumque Apostolo Paulo Gentibus Evangelium annuncianti praesto fuit, Apostolus vocetur Act. 14, 14. non ideo tamen (ut nonnulli putant) ceteris duodecim Apostolis in Apostolatu una cum Paulo accessit, qui ad munus illud singulari omnino ratione atque immediate a Christo e coelo vocatus fuit, Act. 9, 5. In illo enim loco Apo-

stolus latiore significatione appellatur, atque eodem sensu quo Epaphroditus Apostoli Pauli collega individuus, Ecclesiae Philippensis Apostolus nominatur, id est, Legatus ab ista Ecclesia Romam missus, ut ibi Apostolo Paulo necessaria subministraret, Phil. 2, 25.

XXV. Pastores erant verbi divini dispensatores certis Ecclesiis docendis ac regendis ab Apostolis et Evangelistis praefecti, quorum officium describitur, Act. 20. 1 Tim. 3. Tit. 1. et 1 Pet. 5.

XXVI. Horum officii partes ipsis cum superioribus verbi divini administris extraordinariis communes sunt, 1. Populum Dei ex verbo ipsius docere. 2. Eidem juxta Christi institutionem Sacramenta administrare. 3. Pro eodem preces suas ad Deum fundere. 4. Eum freno disciplinae Ecclesiasticae intra limites obedientiae Deo secundum verbum ipsius debitae continere, Matt. 28. et 18, 17. Act. 20, 36. Eph. 4, 14.

XXVII. Doctores erant Prophetarum Novi Testamenti imitatores, qui diversarum linguarum, scientiarum atque historiarum cognitione instructi, Sacras Scripturas juxta fidei analogiam interpretabantur, easque apta methodo aliis proponentes, ab haereticorum corruptelis et infidelium calumniis vindicabant. Quos idcirco Apostolus a pastoribus discernit, quod illi in doctrina et redargutione ad fidem vacillantium confirmandam; hi in correctione et admonitione ad vitam peccantium emendandam, operas suas praecique occuparent. Unde illis κατ' ἐξοχὴν docendi, his exhortandi munus attribuitur, Rom. 12, 7. 8.

XXVIII. Hisce Evangelii praeconibus, tam extraordinariis, quam ordinariis, nomen Ministrorum communiter attribuitur ab Apostolo, 1 Cor. 3, 5. Quis igitur Paulus? quis autem Apollos? nisi Ministri per quos credidistis? Et cap. 4, 1. Sic de nobis reputet homo, ut de Ministris Christi et dispensatoribus mysteriorum Dei. Et 1 Tim. 4, 6. Hoc si subjeceris fratribus, bonus eris Minister Jesu Christi.

XXIX. Iisdem idem Apostolus Episcoporum et Presbyterorum epitheton indifferenter assignat, Act. 20, 28. ubi Presbyteros Ecclesiae Ephesinae monet, ut attendant animum ad semetipsos et totum gregem, in quo Spiritus Sanctus ipsos constituerat Episcopos. 1 Tim. 3, 2. ubi Episcopum describit ab at-

tributis et effectis, quae Apostolus Petrus suis praescribit συμπρεσβυτέροις, 1 Pet. 5, 1. 2. 3. Sic in Epistola ad Philippenses c. 1, 1. sub nomine Episcoporum quibus gratiam Dei comprecatur, eos intelligit qui Philippis verbo et gubernationi praeerant, eosque a Diaconis aerarii Ecclesiastici oeconomis distinguit. Et Tit. 1. quos v. 5. Presbyteros nominaverat, vers 7. Episcopos appellat, non correlate ad Presbyteros tamquam ad secundarios sibique subordinatos praesules, sed ad Ecclesiam vigilanti ipsorum curae atque inspectioni commissam. Non enim alicujus in alios Christi Ministros auctoritatis, aut alicujus prae aliis praerogativae, sed solius istius curae ac vigilantiae respectu, Episcoporum titulo in sacris literis insigniuntur.

XXX. Non ergo ex divino, sed ex humano instituto aliquis post Apostolorum tempora, aliis ex ordine Presbyterorum fuit auctoritate Praepositus atque Episcopus dictus ex singulari praerogativa, sicuti post Hieronymum nonnulli quoque Pontificii confitentur, nominatim, Lombardus, Gratianus, Cusanus, et alii, Hier. in Tit. cap. 1. et ad Evagr. Lomb. Lib. 4. dist. 24. Grat. dist. 93. c. legimus. et dist. 25. c. olim. Cusanus de Concordantia Catholica, Lib. 2. cap. 13.

XXXI. Ad legitimam Pastorum ordinariorum vocationem, duo potissimum media sunt adhibenda, vocandorum electio, et electorum ordinatio.

XXXII. Jus Pastores eligendi. est penes Ecclesiam, ac proinde plebi commune cum Presbyteris; jus eos ordinandi, soli Presbyterio est proprium.

XXXIII. Ideo Pastorum electio olim fiebat per χειροτονίαν atque acclamationem totius plebis, quae audito nomine Pastoris eligendi, suum suffragium presbyterii suffragio consentaneum sublatis manibus indicabat, Act. 14, 23. Ordinatio autem, quae hodie confirmatio nuncupatur, fiebat ab aliquo ex Pastoribus, nomine totius Presbyterii, coram facie Ecclesiae, per χειροθεσίαν, seu manuum impositionem, 1 Tim. 5, 22.

XXXIV. Jus illud Pastores eligendi, suoque suffragio Presbyterii de Pastoribus eligendis judicium, aut approbandi, aut improbandi, Ecclesia primitiva aliquandiu ab Apostolorum aetate retinuit, ut patet ex hoc Cypriani testimonio Lib. 1. Ep. 4. Plebs maxime habet potestatem, vel eligendi dig-

nos Sacerdotes, vel indignos recusandi. Et Ep. 68. Videmus de divina auctoritate descendere, ut Sacerdos, plebe praesente, sub omnium oculis deligatur, et dignus atque idoneus, publico judicio ac testimonio comprobetur. Ideo Augustinus postquam Eradium in successorem suum elegisset, Ecclesiam suam rogavit, ut ad Episcopatum eum reciperet.

XXXV. Ne autem in Episcopi electione error aliquis toti Ecclesiae perniciosus committeretur, pia antiquitas 1. solenni solebat examine doctrinam ac vitam illius prius explorare, et sicubi idoneis Judicibus destitueretur, Presbyteros ex vicinis Ecclesiis in eum finem accersere, secundum Canonem Apostoli, 2 Tim. 2, 2. Haec committe fidis hominibus qui sint idonei ad alios quoque docendos. 2. nomen illius, ubi id licebat, in tabella perscriptum omnibus publice solebat proponere, ubi vero id non licebat, in coetu Ecclesiastico palam recitare, ut si quid vitii, probri, aut scandali, in eo compertum fuisset, illud intra diem praefinitum ad Presbyterium deferretur. Qua circumspectione cautum fuit, ne quis ad sacrum ministerium admitteretur, nisi bonum quoque testimonium ab extraneis haberet, juxta commonefactionem Apostoli, 1 Tim. 3, 7. Diacono enim proclamante in Ecclesia, licuit omnibus Pastori ordinando aditum ad regimen animarum objicere, si quod aliquando crimen patrasset, ut docet Origenes contra Celsum, Lib. 8. sub finem.

XXXVI. Uterque piae antiquitatis ritus nobis semper imitandus est, ut ex idoneo atque universali domesticorum fidei testimonio, toti populo probe constet, Ecclesiae Pastorem accedente ejus suffragio electum et ordinatum, esse irreprehensum atque aptum ad oves Christi pascendas. Neque in Episcoporum tantum et Presbyterorum, sed in Diaconorum quoque ordinationibus ritum utrumque nobis imitandum esse, monet Cyprianus Epist. 68.

XXXVII. Quamvis Pastores electos ordinandi potestas, seu in ministerio confirmandi, ad totum Presbyterium, quod hodie vocamus Consistorium, pertineat, olim tamen Presbyterium eam ritu τῆς χειροθεσίας. non tam per Seniores qui praecipue praeerant disciplinae, exsequebatur, quam per Pastores, qui imprimis vacabant Prophetiae seu Scripturarum explicationi, earun-

demque ad usum fidelium applicationi. Unde Prophetia cum manuum impositione, per quam olim fiebat ordinatio Pastorum, ab Apostolo conjungitur, 1 Tim. 4, 14.

XXXVIII. Post tempora Apostolorum Episcopus collegio Presbyterorum praepositus, Pastoribus electis manus plerumque coram facie Ecclesiae primus imponebat, deinde ceteri quoque Presbyteri, secundum Canonem 4. Concil. Carthaginensis: Presbyter cum ordinatur, Episcopo eum benedicente, et manus super caput ejus tenente, etiam omnes Presbyteri, qui praesentes sunt, manus suas juxta manus Episcopi super caput illius teneant. Tandem solus Episcopus secundum posteriores Canones Ecclesiasticos (ut testatur Leo in Epistola ad Episcopos Galliae et Germaniae) Presbyteros et Diaconos consecrabat.

XXXIX. Pastorum electionem, eorumque ordinationem cum toti Presbyterio communem esse dicimus, ad Ecclesiam jam plene constitutam respicimus. Nam ubi hujusmodi nondum est Ecclesia, ibi negotium illud aliter, pro re nata, geri potest.

XL. Antequam haec ad nostrarum Ecclesiarum reformatarum Pastores accommodemus, munus quod obeunt, primitus ac divinitus institutum esse, pro certo ponimus, cum primariae partes sacri ipsorum ministerii, normae omnibus Pastoribus, ab ipso Christo, Matt. 28, 20. et 18, 17. praescriptae, omnino respondeant, cujusmodi sunt pura verbi divini praedicatio secundum Scripturas, legitima Sacramentorum administratio, recta et sedula disciplinae Ecclesiasticae procuratio.

XLI. Vocatio primorum quorundam Pastorum orthodoxorum, qui Christi Ecclesias foeda quondam Antichristi idololatria diraque tyrannide deformatas admirabili zelo, fide, et industria reformarunt, partim fuit ordinaria, partim extraordinaria. Ordinaria, quatenus ad eam fuerunt, aut in Romana, aut in Ecclesia aliqua reformata, ordinati. Extraordinaria, quatenus ut malo extraordinario remedium extraordinarium afferrent, extraordinariis ad illam functionem dotibus instructi fuerunt.

XLII. Si vero ex illis aliqui in principio reformationis absque praevia certae cujusdam Ecclesiae vocatione Evangelium Christi plebi ipsis reclamanti annunciarunt, illi eodem spiritu ad illud opus sacri Ministerii acti fuerunt, quo olim Apollos, Cyprii et Cyrenaei, qui olim in Judaeorum Synagogis et coram

Gentibus mysteria Jesu Christi praedicasse dicuntur, Act. 11. et 18. tametsi aut a Judaeis, aut a Gentibus, aut ab Apostolis, aut Evangelistis ad illud munus fuisse ordinatos, nusquam legatur.

XLIII. Interim sicuti illi, accedente postea Apostolorum approbatione, per Barnabam aliosque Christi discipulos in isto munere inchoato fuerunt solenniter confirmati, teste Luca, Act. 11, 23. et 18, 27. sic Origenes alicui in urbe in qua nullus est Christianus, Evangelizanti contingere posse asseverat, ut postmodum communi auditorum quos ad Christum convertit, suffragio, Episcopus ordinetur, Homil. 11. in 18. Num.

XLIV. Et sane ubi nulla est Ecclesia, ibi viris a Deo ad Evangelizandum missis, non est ab hominibus Deum ignorantium exspectanda vocatio, sed Deo mittenti immediate obtemperandum, ex communi obligatione ad regnum ipsius pro occasione oblata promovendum, donec tum Ecclesiae ab ipsis colligendae, tum fratrum vicinorum, aut remotorum consensu, in inchoata functione stabiliantur.

XLV. Donum miraculorum, nec vocationis prorsus extraordinariae, nec mixtae, id est, partim ordinariae, partim extraordinariae, necessarium est adjunctum. Nam Abdias, Micheas, Oseas, Zacharias, quorum vocatio fuit extraordinaria, suam doctrinam miraculis non confirmarunt, nec Johannes Baptista, cujus vocationem aliqua ratione mixtam fuisse ex eo apparet, quod secundum ordinem Aaronis, ex cujus erat tribu, patris sui successor fuerit legitimus docendi potestate praeditus et secundum spiritum Eliae sibi communicatum, Minister ac praecursor Christi extraordinarius.

XLVI. Multi e contrario Pseudoprophetae miracula edituri dicuntur: in quorum numero, ne veri Prophetae nostri seculi a caeco populo collocarentur, Deus eos aliis potius donis adversus hostes suae veritatis, quam dono miraculorum armare voluit. Invictae enim fortitudinis suae constantia Ecclesias ab Antichristi tyrannide, ac veritatem doctrinae Evangelicae ab illius erroribus asseruerunt, innumerasque oves ab Antichristi emissariis seductas ad Christi ovile aggregarunt.

XLVII. Quamvis pauci ex prioribus nostrarum Ecclesiarum Pastoribus ab Episcopis, plerique ex recentioribus a Presbyteris sint ordinati, non minus tamen legitima est horum, quam illorum vocatio, quoniam Episcopi et Presbyteri re olim et munere

iidem fuerunt, ut Thes. 29. docuimus; ac proinde ex jure divino eadem fuit utrorumque ad Pastores ordinandos auctoritas.

XLVIII. Vocationis illorum qui in Pontificiorum Ecclesia sunt ordinati, tres causae diversae sunt considerandae, una principalis, nimirum Deus, duae minus principales, Pontificiorum scilicet, Ecclesia et Episcopus. Quatenus nomine Ecclesiae Romanae adulterinae ab aliquo Episcopo ordinati sunt secundum normam institutionis divinae, ut Evangelium Christi praedicarent, ejusque Sacramenta administrarent, eatenus pura est ac legitima eorum ordinatio. Quatenus vero ab eodem Episcopo sunt ordinati, ut secundum statuta Pontificis Romani humanas traditiones Laicis pro divinis obtruderent, Christi corpus Deo in Missa commentitia offerrent, eatenus impura et illegitima est eorum vocatio, ac similis aquae ex puro fonte emananti, quae ex impuro canali per quem fluit, sordes suas contraxit.

XLIX. Pastorum ordinariorum duplex est successio personalis, aut continuata a primaeva verorum antecessorum ordinatione, aut interrupta. Priorem successionem Antichristus in templum Dei irrumpens plerisque ex nostris antecessoribus, jam pridem variis in locis eripuit. Posterior quibusbam attribui potest. Non enim omnes proxime et immediate orthodoxis superiorum aetatum Doctoribus, sed nonnulli post subsecutorum Antichristi errorum, ejusque mercenariorum rejectionem in Ecclesia Christi, accedente pii Magistratus auxilio, ad eam ab ipsorum corruptelis repurgandam successerunt. Non secus atque in regno a Tyranno ejusque praedonibus liberato, posteriores legitimi Regis administri, prioribus, decurso intermedio tyrannidis spatio, ad illud instaurandum surrogantur, aut sicuti in corpore aegri convalescentis posterior sanitas priorem, sublato prius subsecutae luis contagio, sequitur.

L. Non ergo ex continuatione successionis personalis, sed verae doctrinae, boni Pastores a mercenariis ac latronibus, neque ex successionis personalis, sed purae praedicationis interruptione, mercenarii ac latrones a bonis Pastoribus dignosci debent.

LI. Mercenarii enim ac latrones prioris doctrinae Orthodoxae cursum in Ecclesiis, quas invaserant, interrumpentes, eodem modo Patribus orthodoxis successerunt, quo interdum Tyranni ac praedones in Republica, legitimo Regi ejusque administris,

aut in ovili, lupi Pastoribus, aut in corpore aegri, sanitati morbus, et vitae mors succedit.

LII. In horum mercenariorum principe, qui se Apostoli Petri successorem nominat, nullum successionis in Apostolatum ipsius vestigium apparet.

LIII. Petri enim vocatio fuit extraordinaria omni carens successione. Nam nulli Provinciam ac curam docendi omnes Gentes, ante obitum suum delegavit. At Romani Pontificis vocatio est ordinaria, ejusdemque Monarchiae continuatio, qua novus Papa in prioris demortui Cathedram Monarchicam succedit.

LIV. Petrus, ut omnes Gentes secundum Christi mandatum doceret, varias regiones peragrasse legitur, Act. 10. et seqq. Pontifex autem Romanus soli Cathedrae atque urbi Romanae alligatus, nunquam ex ea ad exteras nationes docendas egreditur.

LV. Petrus ab ipso Christo Episcoporum Principe immediate ad munus suum fuit vocatus: Romanus vero Pontifex a Cardinalibus sibi subordinatis ad suum Pontificatum promovetur.

LVI. Petrus viva voce Evangelium Salvatoris nostri Jesu Christi aliis annunciavit. Hic instar statuae elinguis atque inutilis ad docendum, ut κωφὸν πρόσωπον, sedem suam Pontificalem occupat.

LVII. Quemadmodum Petrus munus suum Apostolicum sibi suisque coapostolis, sic munus suum Episcopale eadem ratione qua Paulus Act. 20, 28, sibi ceterisque Ecclesiae Pastoribus communiter attribuit, dum eos suos συμπρεσβυτέρους appellat, 1 Pet. 5, 1. Sed Pontifex Romanus summum Episcopatum sibi singulariter vendicans, se Episcoporum ac Pastorum in Ecclesia docentium ordine prorsus excludit.

LVIII. Si quis reliquam Patriarcharum, Cardinalium, Archiepiscoporum et Canonicorum Pontificiorum hierarchiam consideret, non minorem differentiam inter eos et Evangelii administros a Paulo Eph. 4. enumeratos, quam inter Pontificem Romanum et Petrum, animadvertet. Nam sicuti illi ne nomine quidem tenus in Pauli catalogo reperiuntur, sic neque dignitatum atque auctoritatis inaequalitas, qua superiorum clericorum ordinatio ab inferiorum ordinatione distinguitur, ullo aut Apostolorum, aut reliquorum Evangelii praeconum exemplo nititur, ut supra Thes. 29. et seq. demonstravimus. Ex quibus omnibus vocationem Pastorum Ecclesiae Christi reformatae inservientium

legitimam, Pontificis vero Sacerdotumque ipsi subordinatorum, ut nomine ipsius Clero dominentur, illegitimam esse concludimus.

LIX. A Pastoribus de quibus hactenus dictum est, Seniores Ecclesiae, olim quoque Presbyteri a pellati, sunt distinguendi, ut patet ex Rom. 12, 8. ubi Apostolus eos qui praesunt in Ecclesia, ab iis discernit, qui aut in ea docent, quos Eph. 4, 11. Doctores, aut in ea quoslibet praeterea ad fidei obedientiam adhortantur, quos ibidem Pastores nuncupat. Quam distinctionem Apostolus multo facit evidentius, 1 Tim. 5, 17. cum ait, Qui bene praesunt presbyteri, duplici honore digni habentur, maxime qui laborant in sermone et doctrina.

LX. Hac enim limitatione Apostolus duo Presbyterorum genera constituit. 1. Eorum qui in sacrae doctrinae explicatione atque ad usum populi, tam publica quam privata applicatione maximopere desudabant. 2. Eorum qui vacantes disciplinae, id solum curabant ut omnia fierent in Ecclesia rite ac decore, omniaque offendicula ex sinu illius tollerentur. Unde horum functio ab Apostolo gubernatio vocatur, 1 Cor. 12, 28. Neque hic admittenda est insulsa quorundam ad locum 1 Tim. 5, 17. exceptio, voce κοπιῶντες, discerni Pastores diligentius laborantes a negligentius laborantibus. Nam praeterquam quod participium κοπιῶντες, non ad praecedens vocabulum, Presbyteri, sed ad sequentia refertur, in sermone et doctrina, ex ipsorum interpretatione sequeretur, eos, qui negligentius laborant in sermone et doctrina, duplici quoque honore dignos esse. Quo nihil absurdius statui potest, nec a mente Apostoli alienius, qui summam ab omnibus Episcopis seu Pastoribus vigilantiam efflagitat, 1 Tim. 3, 3. Unde negligentiores Pastores duplici potius censura dignos esse rectius concludimus.

LXI. Horum officium est se in disciplinae administratione Pastoribus adjungere, causas ad Presbyterii cognitionem pertinentes ex legibus veritatis, prudentiae ac caritatis cum iis dijudicare, non minus Pastorum et Collegarum suorum, quam totius plebis Religionem ac mores observare, quoslibet errantes ad Christi ovile revocare, delinquentes officii admonere, et contumaces ad Consistorium deferre, ut gliscenti malo ac scandalo censuris suis Ecclesiasticis mature occurrant.

LXII. Si malo oborto aut ab errante in doctrina, aut a pec-

cante adversus Dei atque Ecclesiae disciplinam, in Presbyterio aptum promptumque remedium afferri nequeat, in Classicalem aut Synodicum conventum rejici poterit, ut illud adhibita subsidiaria aliorum Pastorum ac Presbyterorum opera, prorsus sopiatur. Qua in re Ecclesiarum nostrarum presbyteri vestigiis presbyterorum Ecclesiae Antiochenae insistent, Act. 15, 1.

LXIII. Olim Apostolorum hortatu Ecclesia Christiana presbyteris diaconos adjunxit aerarii Ecclesiastici custodes ac Oeconomos, ut quorumlibet, pauperum, sanorum et aegrorum, domesticorum et peregrinorum, liberorum ac captivorum usibus succurrerent, Act. 5, 5. ad quorum subsidiariam curam et operam, piae quoque viduae sexagenariae, dictae Diaconissae, admittebantur, 1 Tim. 5, 9.

LXIV. Ut Pastorum et Presbyterorum, sic Diaconorum quoque functio et vita canonibus Apostolicis definitur, Rom. 12. 1 Tim. 3.

LXV. Sacramentorum administratio non minus Pastoribus est propria, quam verbi praedicatio. Nusquam enim Apostoli, aut Presbyteris, quos vulgus hodie seniores appellat, aut Diaconis, docendi Sacramentaque administrandi munus imposuerunt, aut a suis successoribus imponi voluerunt; sed illud solis Pastoribus et Doctoribus juxta Christi institutionem assignatur, Matt. 28, 20. Act. 6, 4. Eph. 4, 11. 1 Tim. 3, 2. 1 Pet. 5, 1. 2.

LXVI. Quae de Stephani praedicatione ac baptismo Philippi Diaconi ex Actor. 7. et 8. nobis objiciuntur, non sunt exempla officii ordinarii auctoritate Apostolica confirmati, sed zeli factique extraordinarii. Neuter enim ab Apostolis, aut ab Ecclesiae ex qua egressi sunt episcopis ac presbyteris, ad evangelizandum eodem modo ac ritu dimissus est, quo ab Episcopis Ecclesiae Antiochenae peculiari Spiritus Sancti oraculo admonitis, Paulus et Barnabas dimissi dicuntur, postquam scilicet iis manus in signum emissionis ad vicinas Ecclesias pascendas imposuissent, Act. 13, 3.

LXVII. Nec Stephanus coram suis hostibus pertinacibus conciones habuit, sed unicam tantum orationem apologeticam. Nec Philippus ex proprio suo, aut alieno consilio humano, sed ex singulari Dei delegatione coelesti sibi ab eodem Spiritu Dei revelata, Hierosolymis in Samariam abire, atque inde ad Eunuchum docendum et baptizandum proficisci voluit, a quo post-

ea Azotum usque miraculose abreptus fuit, Act. 8, 5. 27. 39. 40.

LXVIII. Nugantur ergo Sociniani, cum ex istorum Diaconorum exemplis extraordinariis concludunt, posse aliquem ex Diaconis ordinariis sine Ecclesiae vocatione, tunc etiam cum ordo in eo servatur, et a doctrina recepta non receditur, Evangelium praedicare, ac Sacramenta administrare.

LXIX. Idem se spiritu contradictionis ac vertiginis agitari ostendunt, dum opus officii pastoralis, ad quod non nisi ad Ecclesiam Dei pascendam idoneos, juxta canones a se praescriptos, admitti vult Apostolus, 1 Tim. 3. et Tit. 1. opus caritatis nuncupant, quod quilibet in Ecclesia exercere possit, ministrosque respectu dispensatorum ab illis Sacramentorum verbi divini cooperarios appellari negant. Nam praeterquam quod ex Apostolorum atque aliorum pastorum missione, usque ad finem mundi juxta Christi promissionem duratura, falsi redargui possunt, Deum qui per Apostolum jubet, ut omnia fiant in Ecclesia Dei ordine et decenter, 1 Cor. 14, 40 τῆς ἀκαταστασίας, seu incompositi status, a quo maxime abhorret, teste Apostolo, 1 Cor. 14, 33. auctorem atque approbatorem faciunt. Socin. de Ecclesia. Ostorod. Instit. cap. 42. Nicol. circa finem defens. Soc. Smalc. disp. de Minist.

LXX. Cum non minus ad Presbyterorum ac Diaconorum, quam ad Pastorum electionem, Magistratus ac populi eandem fidem cum Presbyterio profitentis, consensus requiratur, peccant Pontificii, qui nec magistratus, nec populi Christiani suffragium ad Ecclesiasticorum suorum electionem admittunt. Vocatio enim eorum qui operam suam toti Ecclesiae consecrant, totius Ecclesiae consensu approbari debet, ne minister aliquis ineptus, aut ingratus ei obtrudatur.

LXXI. Interim, sicuti Matthias ad apostolatum et diaconi ad diaconiam, praeeuntibus Apostolis, totius Ecclesiae priscae consensu electi fuerunt, sic, si ordine saltem praecedente presbyterii cognitione atque electione, pii Magistratus primo loco, ut custodes utriusque tabulae mandatorum Dei, atque ipsius Ecclesiae nutricii seu conservatores: deinde reliqui ex plebe, ut ejusdem Ecclesiae domestici, presbyterii electioni suum quoque calculum adjiciant, omnibus numeris completa erit ministri futuri vocatio atque ordinatio.

LXXII. Non solum pastorum, sed et presbyterorum quoque

et diaconorum functio olim fuit perpetua. Nunc quia minor est in nostris, quam fuit olim in Apostolicis Ecclesiis, virorum zelo domus Dei aedificandae, aliisque donis spiritualibus eximie ornatorum numerus, ac minor hujus, quam prisci aevi, in eos qui Ecclesiae Christi inserviunt, munificentia, ideo admittitur potius, quam culpatur hodie a nobis continuae presbyterorum ac diaconorum functionis in biennem mutatio: praesertim quod aliqua ex parte similia λειτουργίας interruptae exempla reperiantur in Sacerdotibus ac Levitis Veteris Testamenti, 1 Chron. 24, 4. atque in Zacharia patre Johannis Baptistae, Luc. 1, 5.

LXXIII. Et quamvis presbyteri ac diaconi longiore intervallo suum ministerium hodie intermittant, quam olim Sacerdotes ac Levitae, qui certis hebdomadum vicibus munus suum obibant; in eo tamen laudanda est Ecclesiarum nostrarum consuetudo, quod probatae fidei atque integritatis presbyteros ac diaconos decurso paucorum annorum spatio, in functiones praecedentes restituant.

LXXIV. Temporibus Apostolorum non tantum presbyteri, sed etiam diaconi sic Ecclesiae Dei olim consecrabantur, ut spectata ipsorum probitate atque in mysteriis fidei explicandis industria ad ministerium pastorale promoverentur, 1 Tim. 3, 13. Unde colligimus, ab antiquis in presbyterorum ac diaconorum electione, non tantummodo puram ipsorum conscientiam, prout in nostris plerumque fit Consistoriis; sed solidam quoque ipsorum scientiam, atque ad alios ubi res posceret, erudiendos officiique commonefaciendos, industriam fuisse consideratam.

LXXV. Nomina atque officia Ostiariorum, Exorcistarum, Lectorum, Acoluthorum, et Subdiaconorum, non magis in Apostolicis Ministrorum Ecclesiasticorum descriptionibus supra productis comparent, quam epitheta ac munera Archidiaconorum, Curionum, Monachorum, Abbatum, et cetera, quae Thes. 58. recensuimus.

COROLLARIA.

I. An ministri futuri ordinatio in Ecclesia semper requiratur?

Sicuti ejus vocationem, sic ejusdem ordinationem in Ecclesia jam constituta semper requiri, adversus Socinianos affirmamus, tum quia Apostoli et Evangelistae ritum illum ordinationis, ut ipsi quoque Sociniani confitentur, in Ecclesiam Christi introduxerunt, tum quia Ecclesiae ordo ac decorum efflagitat, ut idem ritus in domo Dei perpetuo observetur.

II. Quomodo Christus qui clavem habet Davidis, eam Petro quoque tradiderit.

Nos Christum Davidis clavem habere, ut Ecclesiae Dominum atque Episcoporum principem oecumenicum, Petrum vero eam a Christo, ut fidum mysteriorum Regni ipsius dispensatorem atque administrum, accepisse, respondemus.

III. An Christus claves Regni coelorum soli Petro, an vero easdem Petri quoque coapostolis tradiderit?

Nos Christum easdem claves omnibus suis Apostolis eodem modo ac fine tradidisse ex aequipollentibus Christi effatis, Matt. 16, 19. et Johan. 20, 23. adversus Pontificios concludimus.

IV. An Apostolus Paulus cum hominem incestuosum Satanae traderet, quicquam peculiare habuerit?

Nos contra Socinianos, Apostolum Paulum non ex jure sibi peculiari, sed sibi cum omnibus Ecclesiae presbyteris communi, incestuosum illum Satanae tradidisse, colligimus ex 1 Cor. 5, 5. et Matt. 18, 17. 18.

DISPUTATIO XLIII.

DE

Sacramentis in genere.

Praeside D. ANDREA RIVETO.

Respondente JACOBO BAALDE.

Thesis I.

Cum tota Ecclesiae ratio consistat in unione membrorum cum capite Christo, membra autem Christi non nascantur sed fiant, idque operante Deo per verbum, in Ministerio Evangelii, operae pretium fuit omnino, ut vocatio illorum innotesceret, per quos vocamur in communionem Jesu Christi: sed non minus necessarium est, ut administrationis illorum partes praecipuas investigemus; ut quid Deus per homines illos, qui alioqui sunt testacea vasa, nobis offerat agnoscentes, eos quam maxime caros ducamus, propter opus ipsorum, 1 Thess. 5, 13.

II. Postquam igitur de vocatione et officio Ministrorum Ecclesiae, in genere actum est immediate, et de omnibus quae ad Verbi administrationem proprie pertinent, hactenus satis superque disputatum; requirit ordinis ratio, ut de Sacramentis, quae tamquam appendices verbo adjecit Dominus, disputationem instituamus; et primum in genere, eorum naturam et causas; secundo, efficaciam, differentiam juxta varia Ecclesiae tempora; numerum denique illorum quae ad finem usque seculi ad usum Ecclesiae Christianae instituta sunt, paucis explicemus et definiamus.

III. Sacramenti nomen, cum latinum sit, in authentico S. Scripturae textu non haberi certum est, nec etiam apud aliquem interpretem reperiri, in illis locis in quibus exponuntur res eae, quae Sacramenta dici solent. Sed Graecam vocem μυστήριον, prisci Theologi Latini sic verterunt; qua usi sunt Patres Graeci, ad sacros illos ritus significandos, qui arcanam aliquam significationem habent, et aliud sunt quam significant; adhibentes sanctissimis rebus denotandis, quae ad turpissima sacra olim accommodata fuerant; quos imitati Latini, cum viderent juramentum militare, στρατιωτικὸν ὅρκον, quod

apud Herodianum Lib. 8. appellatur τῆς Ῥωμαίων ἀρχῆς σεμνὸν μυστήριον, imperii Romani grave mysterium, Sacramentum dici, a sacrando, et qui Sacramentum militare praestitissent, militiae sacratos. id est initiatos; eodem etiam vocabulo usi sunt in Sacris illis explicandis quibus Deo consecramur.

IV. Utramque vocem, tam mysterii (quam ab Ebraeo סתר, satar, occultare, a quo מסתר, mistar, res abscondita, secretum, deducimus, omissis Graecorum Grammaticorum nugis) quam Sacramenti, ut et voces Ebraeae et Chaldeae סוד, sod, et רזא, raza, quibus exprimendis, usus est voce Sacramenti vetus Bibliorum interpres; latius patere, et aliis multis rebus convenire quam sacris illis ritibus, in confesso est apud omnes; ut plane ridiculi sint, qui ex mysterii et Sacramenti voce, Sacramenta proprie dicta, nobis cudere volunt: Quibus, etsi quod eam rem attinet, ἀγράφοις, non illibenter utimur, distincta prius ὁμωνυμίᾳ ea tamen lege, ne tamquam necessariae obtrudantur et ad fidem pertinentes, in eodem gradu positae quo res ipsae; de quibus si ex Scriptura constet, de verbis non litigandum censemus, nec temere rejicienda vocabula, quae olim in Ecclesia fuerunt usurpata, sine ulla innovatione in ipsa Prophetarum vel Apostolorum doctrina. Fallit ergo et fallitur Bellarminus, cum Luthero, Zuinglio, etc. litem movet, quasi absolute a vocibus illis abhorruissent, Bellarm. de Sacram. Tom. 3. L. 1. c. 8.

V. Ad rem quod attinet, Sacramenti vox specifice sumpta, vel relate, vel absolute intelligitur. Relate et proprie accipitur pro signo; Metonymice autem, pro re significata; absolute vero, idque Synecdochice, pro utroque. Et pro varia ista acceptione, variae etiam cuduntur definitiones. Ad primam acceptionem ferme respexerunt omnes veterum definitiones a recentioribus etiam plerisque usurpatae aut interpolatae, quibus Sacramentum est invisibilis gratiae visibilis forma: aut signum visibile, divinitus Ecclesiae institutum, cujus usu Christus cum suis beneficiis, convenienti quadam analogia significatur, et credentium animis obsignatur.

VI. Ad secundam autem, qui Sacramenti genus actionem statuentes, illud sic in genere descripserunt, ut sit actio sacra, divinitus instituta, in qua Deus, congrua quadam signorum et rerum significatarum analogia, secundum promissionem suam, in adjuncto institutionis verbo declaratam, salutarem

in Christo gratiam nostris animis offert et obsignat; et nos mutuam erga ipsum fidem et pietatem testantes, nostram a mundo separationem, mutuamque inter nos societatem sancitam credimus.

VII. Juxta secundam acceptionem de Sacramentis acturi, non praejudicamus illorum sententiae qui Sacramenti genus signum constituunt, et eorum otiosas disputationes improbamus, qui anxie quaerunt, in quo praedicamento sit Sacramentum, relationisne, vel actionis? an sit ens reale, vel rationis? an aggregatum, vel per se? illorum praesertim, qui contentionis aestu abrepti, Lutheri nomine tamquam Ephod Gedeonis abutentes, lites movent, a quibus Lutherus alienus fuit; et cum satis norint, pro varia acceptione varie definiri posse Sacramentum, et id etiam aliquando fateantur, laborant anxie, et digladiantur, ut actionem in definitione pro genere stabiliant, quasi de summa rei ageretur, et nos, etiam invitos, in adversam partem trahere volunt.

VIII. Sacramenti causa efficiens et auctor, est Deus solus, qui cum solus gratiam conferre possit, solus etiam sigilla gratiae instituere potuit. Cum autem Christus Jesus mediator inter Deum et homines, sit una cum Patre Deus, ipsi etiam eandem tribuimus potestatem, qui summus Sacerdos sui sacramenti est institutor et auctor (ut habet auctor Ser. de ablut. pedum, apud Cyprian.) Christo, inquam, θεανθρώπῳ, observata semper illa veterum distinctione, verbo operante quod verbi est, et carne exsequente quod carnis est, quam tamen in persona in qua subsistit, non negamus Sacramenta instituisse; etsi negemus, ad humanam naturam in se, tamquam ad actionis principium, referendum esse, quod ab excellentia et majestate divina pendere fatentur οἱ ἐξ ἐναντίας.

IX. Efficit autem Sacramentum Deus verbo institutionis, in quo est mandatum de ritu observando, et ritui addita promissio gratiae, de κοινωνίᾳ Christi et beneficiorum ejus, quae ab Evangelii promissione non differt, si testificationem ipsam de Evangelii beneficiis spectemus; sed tantum praeter alias Evangelii promissiones habet, quod symbola ad usum sacramentalem dedicat et sanctificat, ut in recto illorum usu, vi divinae institutionis, ordinationis, et promissionis, res coelestes significatae, exhibeantur et obsignentur: qua ratione symbola terrena in

novum et meliorem statum transferuntur, non mutata quidem substantia, vel interna quadam qualitate instillata; sed quatenus σχέσιν aliam, et usum recipiunt.

X. Hoc sensu si quis verba institutionis operatoria vocet (etsi ab hac voce malimus abstinere, ne quis existimet, in sono vel quantitate verborum aliquam vim subjective inesse) non multum repugnabimus; si quis, inquam, elementi in Sacramentum conversionem, hac phrasi tantum intelligat; dummodo simul agnoscat, esse etiam verbum concionale, ad veram Sacramenti rationem necessarium, quo intelligimus verbum praedicatum et creditum. Etsi id fiat paucis, non enim prolixas conciones sive homilias, ut vocant, ad essentiam Sacramenti, sed ad decentem publicae administrationis modum requirimus: quae dum non distinguit Bellarminus, Calvinum impetit frustra, qui nihil aliud requisivit, quam Augustinus decantatis illis verbis, Accedit verbum ad Elementum, et fit Sacramentum etiam ipsum tamquam visibile verbum: unde ista tanta virtus aquae, ut corpus tangat et cor abluat, nisi faciente verbo? non quia dicitur sed quia creditur, Tract. 80. in Joh. At quo modo credent, nisi ei de quo audierint? nempe, a praedicante, Rom. 10, 14.

XI. Hinc est, quod mandatum de Sacramentorum administratione, Christus conjungit cum mandato de doctrina et praedicatione, Matt. 28, 28. quae administratio commissa est dispensatoribus Mysteriorum Dei, qui et θεοῦ σύνεργοι dicuntur, 1 Cor. 4, 1. et 1 Cor. 3, 9. non quidem in institutione, quae a Deo immediate; sed in dispensatione, ad quam sub praetextu casus necessitatis, nemo est admittendus, ad id non legitime vocatus, ac proinde eorum mos rejiciendus, qui vel laicis vel mulieribus etiam, Sacramenta quaedam administrandi potestatem faciunt, imo ipsis Judaeis, Turcis, et Ethnicis. Bellarmin. de Sacram. Bapt. l. 1. c. 7. ex Nicol. Papa, de consecr. dist. 4.

XII. Quamvis autem ad Sacramentum rite administrandum necessaria sit vocatio, ratione muneris, non tamen censemus, necessariam esse personae sanctitatem: sed quia Minister Dei nomine, non suo, in hac administratione agit, dignitatem vel indignitatem Ministrorum, Sacramentorum integritati vel efficaciae aliquid vel addere vel detrahere posse negamus; ut nihil derogabatur dignitati verbi Dei ab iis, qui ex

contentione Christum annunciabant, non sincere, Phil. 1, 7. qua in re illud Thomae non improbamus, Instrumentum agere non secundum propriam formam, sed secundum virtutem ejus a quo movetur, part. 3. quaest. 64. Artic. 5.

XIII. Intentionem faciendi quod Deus in Ecclesia fieri praecepit, in Sacramenti administratione, Ministro necessariam esse, ne in peccatum incurrat, affirmamus: at vero intentionem pertinere ad rationem et essentiam Sacramenti, ita ut validum non sit sine Ministri intentione, etiamsi institutio Christi, et alia in Sacramento necessaria, observentur, pro sacrilego dogmate habemus; quo labefactatur certitudo fidei et consolationis, quam ex Sacramentorum perceptione speramus; et secundum Pontificios, qui salutem hominum ascribunt ipsis Sacramentis, salus hominum ab impii Ministri arbitrio pendebit, et causa instrumentalis derogabit actioni et efficaciae causae principalis.

XIV. Nec tamen verum est, velle nos administrari verum Sacramentum, sive quis serio, sive joco, sive irrisorie, sive alia voluntate det, ut lavandi corpus, aut refrigerandi, ac petulanter commaculandi et aspergendi, ut nobis per calumniam impingit Costerus, Enchir. cap. 8. Scimus enim, actionem sacramentalem, non debere esse mimicam subsannationem, aut ridiculum lusum. Ideo requirimus Ministrum ad id vocatum, et circumstantias omnes externas a Christo institutas, et actionem solemnem et Ecclesiasticam, quae non in quovis homine, profano more abluente, neque in psittaco Bellarmini, verba institutionis proferente, reperiri possunt.

XV. Materiam Sacramentorum cum Irenaeo, Lib. 4. cap. 34. constituimus unam terrenam, et alteram coelestem. Nam quicquid est in Sacramentis, aut in sensus externos incurrit, et signi rationem habet, aut est res spiritualis sive coelestis, per illam externam significata. Quarum illa signum, haec signatum, vulgo appellatur,

XVI. Cum autem inter signa aliqua sint naturalia, alia ex instituto et haec rursus miraculosa vel prodigiosa, alia absque miraculo; signa Sacramentalia, inter naturalia non ponimus. Nam quamvis similitudinem habeant earum rerum

quarum sunt Sacramenta, quam si non haberent, Sacramenta non essent, August. Epist. 23. ad Bonif. non tamen absolute requirenda est similitudo physica, sed tantum moralis, quae ab instituto et voluntate pendet, eaque in Sacramentis divina; ut supra ostendimus. Non negamus tamen, convenientius fuisse, ut res eligerentur quae naturalem etiam aliquam haberent analogiam, quod in nostris Sacramentis factum fuisse constat: quae honorem tamquam religiosa habere possunt, stuporem tanquam mira non possunt. Aug. Lib. 3. de Trinit. c. 10. nec proinde inter signa prodigiosa reponi.

XVII. Porro, quoniam inter signa data, seu instituta, etiam divina, quaedam sunt μνημονευτικὰ tantum, i. in eum usum instituta, ut sint praeteritarum duntaxat rerum monumenta, ut duodecim lapides ex Jordanis alveo sublati, in testimonium exsiccati fluminis; alia σημαντικὰ, rem praesentem vel futuram designantia, ut Iris in coelo; alia denique, ut praeter memoriam rerum praeteritarum, testentur etiam id cui significando adhibentur, vere et reipsa dari, ejusque promissionem in communicantibus velut impresso sigillo obsignent: ad postremam illam speciem, sacramentalia signa revocamus, ut partim sint praeteritorum μνημονευτικὰ, partim praesentium et deinceps futurorum σφραγίδες.

XVIII. In actione autem sacramentali, signorum partes duae considerantur; quarum una est elementaris, altera ceremonialis, illa rem substantialem, haec actionem et ritus respicit. Appellamus autem rem substantialem in Sacramento, illud omne, quod a communi usu, ex instituto Dei segregatum est, et rebus internis et spiritualibus significandis, obsignandis, praebendis destinatum. Talem autem rem non tantum in genere sensibilem, sed etiam in specie visibilem, Sacramentorum ratio requirit. Nam verbum est etiam signum visibile, quod a Sacramento perspicue distinguitur, ἀκουστὸν nempe ab ὁρατῷ. Ideo Augustinus appellavit Sacramenta, verba visibilia, de catech. rudibus, cap. 26. Nec abnuit Catechismus Tridentini Concilii, cum definit, Sacramentum invisibilis gratiae visibile signum, ad nostram justificationem institutum, Part. 2. c. 1. Sect. 3.

XIX. Male igitur a Concilii verbis, imo a veritate ipsa recedit Bellarm. de Sacram. in gen. L. 1. c. 14. dum satis esse ad Sacramenti naturam asserit, si aliquo sensu percipi-

atur, nec debere excludi sensum audiendi, cum excellentissima omnium signorum sint, ea quae hoc sensu percipiuntur. Qui litem Christo intentare debuit, quando in excellentissimis Sacramentis Baptismi et Eucharistiae, ignobilius signorum genus eligit, nempe visibile, potius quam quod auditu percipitur; imo Concilio suo Niceno secundo, qui toties illud ingeminat, Imago melior est quam oratio: illud etiam Poetae usurpans, Segnius irritant animos demissa per aures, etc. sensum tamen auditus in Sacramentis non excludimus, sed verba quibus auditus necessarius est, visibilibus elementis addita, Sacramentum constituere ostendimus.

XX. Actio est ritus a Deo institutus, tum a Ministro Dei vices agente, tum a fideli percipiente observandus; quae ut signi partem facit, externa tantum est, nam actio interna non ad ritus, ceremonias et signa, sed ad rei significatae perceptionem pertinet. Utraque ergo signa in externos sensus incurrentia, menti nostrae res alias plane spirituales et coelestes ingerunt, intelligendasque et per fidem obsignandas, proponunt.

XXI. Res autem illae sunt, Christus ipse, cum omnibus ipsius beneficiis nobis per fidem applicandis. Est enim Christus in universum res Sacramenti, ratione personae, quia totus animae fideli exhibetur, ad spiritualem κοινωνίαν; et ratione meriti, quia Sacramentis, mortis Christi, per quam nobis vitam acquisivit, veritas et efficacia proponitur et confirmatur; inde fluit, omnium beneficiorum Christi communicatio, justitiae nempe, sapientiae, sanctificationis, redemptionis, ad quae capita revocantur a Paulo 1 Cor. 1, 30. Quamvis autem Christus, verum et naturale corpus retinuerit, merito nihilominus, res spiritualis et coelestis in Sacramento significata, dicitur: quia in illis mysteriis proponitur, non corporis sensibus et corporeo modo, sed mente contemplandus, et fidei manu apprehendendus; unde patet differentia inter signum et rem signatam.

XXII. Forma Sacramenti quatenus actio sacra, ex ipsa actione, tum Dei simul et Ministri offerentis et dantis, tum hominis, animo simul et corpore recipientis, resultat; sed quatenus Sacramentum consideratur in Categoria relationis, forma ejus interna et propria, est pulcherrima illa ἀναλογία et σχέσις signi ad rem signatam, et mutua unius ad alterum relatio; quarum illa in comparatione et similitudine effectuum, haec in ordina-

tione signi ad rem significatam consistit, ex qua oritur unio, quam Sacramentalem vocamus; quae quia verbo institutionis tamquam externo quodam adjuncto nobis significatur, ipsis etiam verbis aliquando formae nomen inditum est, sed metonymice, non in propria significatione.

XXIII. Nec verum est quod quidam objiciunt, talem analogiam extra Sacramentum locum habere; Sacramenta Veteris Testamenti clariora et illustriora Novi Testam. statuere; Sacrificia cum Sacramentis confundere, et Sacramentum esse posse sine actione Sacramentali, inferre: fallunt enim argumentantes a genere ad speciem; a quavis analogia ad Sacramentalem, quae alibi non reperitur, sive in verbis, sive in sacrificiis, neque in signo extra considerationem actionis Sacramentalis; in eo praeterea ludunt, quod analogiam illam Sacramentalem in physica significatione tantum constituunt, non in significatione morali, et in obsignatione et praebitione ab institutione Dei pendente; a qua, non a signorum natura, pendet Sacramentorum praestantia et perspicuitas.

XXIV. Ex dictis satis colligitur, nullam nos statuere signorum et rerum significatarum in Sacramentis unionem, aut connexionem, vel physicam, qualis est materiae et formae, aut subjecti et accidentis, per inexistentiam; aut localem, per indistantiam; aut etiam spiritualem, per infusionem virtutis alicujus in ipso signo latentis; sed relativam, et Sacramentalem, qua tamen res ipsae vere et exhibentur et obsignantur fidelibus, sed modo spirituali percipiendae.

XXV. Sequitur ergo, Sacramenta non esse causas physicas gratiae, sive primarias, sive etiam instrumentales; vel per qualitatem aliquam inhaerentem, vel per Dei motionem, Sacramentum ad talem effectum elevantem, quem attingat; ut voluit Bellarminus de effect. Sacram. l. 2. c. 11. quam sententiam ipse fatetur non esse certam, et ab aliis Scholasticis impugnari, statuentibus, Deum solum producere gratiam ad praesentiam Sacramentorum, Bellarm. de effect. Sacram. l. 2. c. 11. Ita quod Sacramentum nihil ad hoc efficit, sed tantum concomitatur, aut praecedit, afferentes exemplum de Bulla qua acquiritur alicui praebenda, cum tamen nihil efficiat, nec in ea sit aliqua virtus, sed tantum in ea sit intimatio voluntatis Papae. Nicol.

de Nysse. Resol. Theol. Tract. 6. part. 1. punct. 3. qu. 1. aut quomodo plumbeum signum a Rege institutum, ut quicunque illud afferat, accipiat centum aureos, dici potest generali modo causa illius acceptionis, etc. G. Estius in Lib. 4. Sentent. dist. 1. sect. 5.

XXVI. Etsi autem Bellarminus diversas inter suos opiniones, de modo quo Sacramenta sunt causae gratiae, ita elevare conetur, ut inde nullum detrimentum sentiat communis illorum sententia, de opere, quod barbare operatum vocant, quo docent solam actionem externam, active, proxime et instrumentaliter, efficere gratiam justificationis: aliud tamen judicavit Greg. de Valent. Lib. de efficacia Sacrament. c. 2. ubi postquam recitavit sententiam Bonaventurae, Scoti, Durandi, Occami, Gabrielis, Richardi, etc. docentium, Sacramenta gratiam conferre, non quod eam producant, sed quia Deus ex pacto in usu Sacramentorum, eam producit et offert, notat, hanc opinionem nihil amplius Sacramentis tribuere quam haereticos. Et paulo ante dixerat, non immerito videri eos tollere id ipsum quod secundum fidem dixerat esse certum, Sacramenta scilicet esse veras causas gratiae.

XXVII. Hi concedunt, Sacramenta magna ex parte consistere in sua significatione, et significando seu virtute suae significationis agere; quia si nihil significarent, nihil agerent. Significationem autem, cum sit tantum ens morale, non posse agere physice, ergo nec Sacramenta, nec continere gratiam, nisi quatenus illis virtus divina assistit; negare Patres, aquam, physica actione, regenerare aut dare Spiritum Sanctum. Sacramentum praeterea, quoad vim et modum producendi effectum, recte comparari voci; quae dum sonat in aere, immutat intellectum audientis, ut aliqua intelligat, ut instrumentum humanum ex instituto significans; intellectum autem non movere, nisi significatione mediante, quae est aliquid morale. Aegid. de Koning, Jesuita, Tom. 1. de Sacram. quaest. 62. artic. 4. dub. primo.

XXVIII. Quamvis autem in eo sint culpandi, quod ὑποτυπώσει sanorum verborum rejecta, Κενοφωνίας introducant, ad rem nihilominus quod spectat, melius sentire videntur, quam qui a Luthero, potius quam a Christo, nomen suum deducentes, de

Verbo et Sacramentis ita loquuntur, ut ipsis etiam collationem gratiae et justificationis tribuant; et opus operatum verbo rejicientes, non minus tamen efficaciae, actioni externae ascribunt, quam qui Sacramenta causas gratiae proprias statuunt; et Dei actionem propriam, et incommunicabilem, in instrumenta immediate transferunt.

XXIX. Ab utrisque calumniam patimur, quasi signa nuda, vacua, et prorsus inefficacia statueremus, cum praeter significationem ex instituto Dei, suam etiam exhibitionem (sed modo Sacramentis apto) et obsignationem promissionum divinarum, ipsis attribuamus, ex quibus sumuntur variae illae locutiones figuratae, tam in Scriptura quam in communi Ecclesiae usu; cum nomen rei signatae signo tribuitur, ut Gen. 17, 13. Pactum meum erit in carne vestra, et vice versa, ut 1 Cor. 5, 7. Pascha nostrum immolatus est Christus. Vel cum signo tribuitur proprietas rei, ut Eph. 5, 26. Mundans eam lavacro aquae in verbo, vel contra Joh. 6, 55. Caro mea est vere cibus, et sanguis meus est vere potus.

XXX. Finis Sacramentorum proprius est, ut obsignent fidelibus promissionem Evangelii, et fidem confirment, quoniam, ut verbum, ita Sacramenta sunt organa, per quae Deus operatur et movet corda credentium. Accidentalis autem finis et minus proprius est, ut sint testificatio pietatis in Deum, caritatis in proximum, et publicae professionis tesserae, Ecclesiam ab infidelibus discernentes.

XXXI. Ex hac definitione non erit difficile colligere quaenam fuerint pro vario hominum statu, a Deo instituta Sacramenta, vel ante lapsum sub foedere operum, vel post lapsum sub foedere gratiae, ad quae praesertim in definitione respeximus. Cum autem nonnulla foedus gratiae promissum spectaverint, Ecclesia adhuc infante et sub paedagogia constituta, qualia fuerunt Circumcisio et Pascha, alia vero ad foedus jam confirmatum pertineant, qualia sunt Baptismus et Coena; satis patet, inter Sacramenta Veteris et Novi Testamenti, aliquam esse differentiam constituendam.

XXXII. Non autem consistit illa, in causa efficiente, quae eadem est utrobique: neque in σχέσει et relatione vel analogia signi et rei significatae, quae non alia fuit sub promissione et foedere veteri, quam sub confirmato, ut nec alia res significata.

Nec enim quia una eademque res, aliis atque aliis Sacris et Sacramentis, vel praedicatur, aut prophetatur, ideo alias atque alias res, vel alias atque alias salutes oportet intelligi, ut scite August. Epist. 49. in summa, conveniunt tota definitione generali.

XXXIII. Differunt ergo tantum, 1. ritibus propriis, quia non eadem sunt in Novo, quae in Veteri Testamento, in quo signa difficiliora instituta sunt, sub servitute legis, quam post Christum in statu libertatis Evangelicae. 2. Numero, quia olim plura fuerunt, nunc pauciora. 3. Modo significandi, quia vetera Christum venturum promittebant, nova exhibitum denunciant. 4. Objectis, quia vetera solos Judaeos natura vel ex gentibus proselytos obligabant; nova omnium gentium Ecclesiam. 5. Duratione, quia vetera usque ad Christum manere debuerunt, sub quo translatio Sacerdotii facta est; nova usque ad finem seculi, quibus nulla alia sunt successura. Denique, verborum Sacramentalium perspicuitate, et utilitatis copia et ubertate, quarum illa, multo illustrior in nostris est quam in veteribus; haec autem major et abundantior. Proinde aliis tunc nominibus et signis, aliis autem nunc: et prius occultius, postea manifestius: et prius a paucioribus, postea a pluribus, una tamen eademque religio vera, significatur atque observatur, August. Epist. 49.

XXXIV. Ex quibus liquet, falsam esse illorum sententiam, qui Sacramenta Veteris Testamenti volunt fuisse tantum figuras novorum; gratiam justificantem tantum adumbrasse, non exhibuisse, neque obsignasse, quam nova realiter contineant, et omnibus percipientibus sua vi propria communicant; cum Sacramenta veteris legis in se fuerint inutilia, et egena elementa quae gratiam per se non contulerint ex opere operato, sed tantum ex opere operantis, quantum merebatur suscipientis devotio, ut fit in exercitio aliorum piorum operum. Nec minus hallucinantur, qui Sacramenta vetera volunt fuisse typos tantum rerum absentium, cum novis realiter et substantialiter rem esse conjunctam, ipsis corporis organis percipiendam.

XXXV. Haec autem pauca quae pro multis, eademque factu facillima et intellectu augustissima, et observatione castissima, quae ipse Dominus et Aposto-

lica tradidit disciplina, (August. de doctr. Christi. Lib. 4. c. 9.) duo tantum esse et non plura affirmamus: quorum unum est initiationis seu regenerationis, alterum nutritionis seu alimoniae; quia non plura fuerunt a Christo instituta, et de illis administrandis solum, Novi Testamenti Ministris mandatum dedit, quorum tantum ipse, tamquam caput, consors factus fuit, ut ea pro membris suis sanctificaret: ut per unum Spiritum in unum corpus baptizati omnes una potione potaremur, Matt. 3, 16. et 26, 26. 2 Cor. 5, 6. His duobus solis veram Sacramentorum definitionem competere non dubitamus.

XXXVI. Esse aliqua Sacramenta quae characterem indelebilem imprimant, hoc est, qualitatem quandam singularem Christo nos conformantem, quae in animabus etiam damnatorum remaneat, cujus ratione iterari non debeant; pro Scholasticorum recenti commento habemus, de cujus natura, ne quidem inter ipsos inventores adhuc convenit; hinc ex illis non nemo fatetur ingenue, omnia quae de charactere dicuntur, magna ex parte esse voluntaria et minima ratione suffulta. Gab. Biel. in 4. Sent. distinct. 6. dubio 6. quod cum maxima ratione ab eo dictum esse censemus.

XXXVII. Cum autem verus Dei cultus, abunde nobis in Sacra Scriptura sit praescriptus, tum maxime in Sacramentorum administratione, a regula Sacrae Scripturae discedendum non esse contendimus; quapropter jure, a Pontificiorum sacrilega audacia abhorremus, qui ceremonias Sacramentales institutioni Christi addiderunt, quas sine gravi peccato omitti non posse, meritorias esse, et vim quandam arcanam et spiritualem in sanctificando habere, partemque divini cultus efficere, decernunt. Bellarm. Lib. 2. de Sacram. c. 30. et seqq.

XXXVIII. Usus Sacramentorum ex finibus supra descriptis satis patet; nam ut eis bene utamur, ad suos fines sunt a nobis referenda. Atqui ut talis Sacramentorum necessitas non est ponenda, quae ipsis Dei gratiam alliget, aut a qua absolute pendeat hominum salus: cavendum est tamen, ne in defectu peccantes, ea ut inutilia, aut parum ad rem facientia negligamus; ingrati in eum, qui si incorporei fuissemus, nuda et incorporea obtulisset nobis dona: sed quoniam anima corpori conserta est, in sensibilibus intelligibilia nobis praebuit. Chrysost. homil. 60. ad pop. Antioch.

XXXIX. Ergo Sacramentis a Deo institutis nostri causa, crebro ac reverenter in vera poenitentia ac fide utendum, ut ad ea quae nobis promittuntur credenda, vehementius moveamur, ne Sacramentorum vis contempta, sacrilegos faciat; aut pignore quo se Deus sponte obligavit, neglecto, a promissa haereditate excidamus.

XL. Ipsi ergo debitas pro Sacramentorum institutione perpetuo gratias agentes, et memores juramenti fidelitatis, quo in Sacramentorum perceptione obstringimur, velut spirituales milites adversus Satanam, carnem et mundum, perpetuam militiam exerceamus; in qua his adminiculis adjuti, tandem eo perveniamus, ubi cessantibus signis, rem ipsam beata visione contemplabimur, et aeterna fruitione possidebimus, finito omni bello, in perpetua pace degentes, cum Principe pacis Jesu Christo: cui gloria in aeternum.

COROLLARIA.

I. Post constitutum Canonem Novi Testamenti, nullum verbum institutionis aut mandati divini agnosci debet, quod accedens ad elementum faciat Sacramentum, si in Apostolorum aut Evangelistarum scriptis non sit expressum.

II. Nulla Sacramenta sunt absolute ad salutem necessaria.

III. Nulla etiam sunt ex hypothesi praecepti divini, ita necessaria, necessitate medii, ut si contemptus abfuerit, et impossibilitas privationis causa fuerit, possit aut debeat a participatione salutis arceri, qui visibili elemento non potuit uti.

IV. Septenarius Sacramentorum numerus, non solum in Scriptura nullum habet fundamentum: sed nec apud aliquem Scriptorem Ecclesiasticum qui primis decem seculis vixerit, praecise ostendi potest.

V. Nihil habet rationem Sacramenti extra usum a Deo institutum.

VI. Nullus infidelis fit particeps rei significatae in Sacramento.

August. Quaest. super Levitic. Lib. 3. q. 84.

Dominus invisibili gratia, per Spiritum Sanctum sanctificat: ubi est etiam totus fructus visibilium Sacramentorum. Nam sine ista sanctificatione invisibilis gratiae, visibilia Sacramenta quid prosunt? nihil profuit Simoni Mago visibilis Baptismus, cui sanctificatio invisibilis defuit, etc. Proinde colligitur, invisibilem sanctificationem quibusdam affuisse atque profuisse sine visibilibus Sacramentis, quae pro temporum diversitate mutata sunt; visibilem vero sanctificationem, quae fieret per visibilia Sacramenta, sine ista invisibili posse adesse, non prodesse. Nec tamen ideo Sacramentum visibile contemnendum est. Nam comtemptor ejus invisibiliter sanctificari nullo modo potest.

Cyrillus Hierosolym. Catech. 4.

Δεῖ περὶ τῶν θείων καὶ ἁγίων τῆς πίστεως μυστηρίων, μηδὲ τὸ τυχὸν ἄνευ τῶν θείων παραδίδοσθαι γραφῶν.

Hoc est:

Divinorum Sanctorumque fidei Sacramentorum nihil, ne minimum quidem, absque divinis Scripturis tradi debet.

DISPUTATIO XLIV.

DE

Sacramento Baptismi.

Praeside D. ANTONIO WALAEO.

Respondente MICHAELE a GOGH.

Thesis I.

Explicatis iis quae ad naturam communem Sacramentorum constituendam pertinent: reliquum est, ut de singulis Novi Testamenti Sacramentis, quantum instituti nostri ratio exigit, nonnulla subjungamus.

II. Horum autem Sacramentorum primum est Baptismus, quod ideo Sacramentum regenerationis nostrae, et initiationis in Ecclesiam appellatur; unde et Hebr. 5, 2. Baptismatum doctrina inter prima Christianismi fundamenta post poenitentiam et fidem recensetur, et tota Apostolorum praxis ostendit, cum ipso in Ecclesiam externam, per fidei et resipiscentiae professionem, ingressu, Baptisma in ejusdem rei signum semper fuisse adhibitum.

III. Ut ergo ad explicationem ejus progrediamur, βάπτω et βαπτίζω, a quo βαπτισμὸς, proprie tingere et lavare significat, cujus significationis exemplum apertum est Luc. 11, 38. atque inde et poculorum et aeramentorum, ac lectulorum Pharisaicae lotiones βαπτισμοὶ vocantur Marc. 7, 4. et lotiones ceremoniales Veteris Testamenti, Hebr. 9, 10. Metaphorice vero vox ea solet sumi pro copiosa donorum spiritualium effusione, aut vehementi rerum tristium ac dolorum immissione.

IV. Hinc orta est distinctio, ab ipso Tertulliano usurpata, inter Baptismum fluminis seu aquae, ex Matt. 3, 11. flaminis seu Spiritus, ex Act. 1, 5. et sanguinis seu Martyrii, ex Marc. 10, 38. Quibus alii addunt Baptismum luminis, seu doctrinae, ex Act. 18, 25. quia verbi praedicatio lumen intellectui homini affundit, ejusque mentem luce sua lustrat atque illustrat.

V. Nobis autem proprie de Baptismo fluminis seu aquae est agendum, quod ut compendiose atque ordine fiat, 1. De ejus causa efficiente, 2. De materia et forma ipsius, 3. De fine et effectu; ac denique de ejus subjecto et quibusdam adjunctis, agemus.

VI. Causam efficientem principalem seu institutricem hujus Sacramenti esse ipsum Deum, patet ex Matt. 21, 25. ubi Baptismus a Johanne administratus, ex coelo esse dicitur et non ex hominibus; et ipse Baptista testatur, Joh. 1, 33. eundem esse qui ipsum misit, ut baptizaret aqua, qui ei dixit, super quem videbis Spiritum descendentem, ac manentem super eum, hic est qui baptizat Spiritu Sancto.

VII. Unde colligimus, formulam illam Baptismi, quam Christus praescribit discipulis suis, Matt. 28. et Marc. 16. non continere primam Baptismi institutionem, sed ejus ad omnes gentes extensionem ac strictiorem administrandi modum.

VIII. Statuimus enim cum Ecclesiis Reformatis eundem omnino esse, si ejus substantiam spectes, Baptismum a Johanne inchoatum, et ab Apostolis ex Christi mandato continuatum,

etsi in nonnullis circumstantiis varietas aliqua observari possit.

IX. Varietas observari potest in eo, quod stricta illa forma, in nomine Patris, Filii et Spiritus Sancti, non legatur observata, si τὸ ῥητὸν spectes; etsi non sit dubium, quin Johannes Baptismo suo obsignaverit doctrinam illam, quae Patris, Filii, et Spiritus Sancti eandem divinitatem, et Christi θεανθρώπου officium distinctius explicavit: sicuti ex Matt. 3. item Joh. 1. et 3. ubi concionum ejus summa continetur, manifestum est.

X. Deinde, quod Johannes baptizando praecepit, ut crederet in Christum qui venturus erat, et opus redemptionis nostrae completurus, Act. 19, 4. quum nos baptizemus in eum qui mortuus est, ut nos cum eo peccatis moriamur, et resurrexit, ut nos in novam vitam secum suscitaret; sicuti Paulus id explicat Rom. 6. v. 2. et deinceps.

XI. Alioquin eadem Christi beneficia in utroque fuerunt obsignata; nam sicut Baptismus Johannis erat Baptismus resipiscentiae et remissionis peccatorum, Marc. 1, 4. Act. 19, 4. ita et noster Baptismus obsignat remissionem peccatorum, et regenerationis donum, ut postea latius probabitur.

XII. Causa administra Baptismi est solus Ecclesiae administer seu Pastor, quemadmodum omnia exempla, quae toto Novo Testamento exstant, evidenter evincunt, et ipsum Christi praeceptum, Matt. 28, 19. Docete omnes gentes baptizantes eos, etc. Nam sicuti Principum sigilla, Principum diplomatibus appendi non solent, nisi ab iis, qui publica auctoritate ad hoc sunt instructi; ita doctrinam Evangelii Dei publice annunciatam nemo Sacramentis confirmare legitime potest, nisi qui vocatione singulari ad haec vocatus et instructus est. Unde et Praecones Dei, et Legati ac Ministri Christi, item dispensatores mysteriorum Dei peculiariter vocantur, 1 Cor. 4, 1. 2 Cor. 5, 20.

XIII. Nullam ergo necessitatem agnoscimus tantam, qua privati, vel viri vel feminae, hoc sibi possint in hoc Sacramento Baptismi sumere, quod in Sacramento Coenae ipsi Pontificii et Lutherani in nullo necessitatis casu permittunt: quum nulla necessitas contra Christi institutionem dispensari debeat. Sed ipse Deus solus defectum ordinariorum instrumentorum supplere solet ac potest: vel alia extraordinaria instrumenta substituendo, sicuti in exemplo Philippi, Act. 8. et Ananiae, Act. 22. nonnulli factum judicant: vel sibi totam actionem in-

ternam sine instrumentis vendicando, sicuti in iis qui ante octavum diem incircumcisi obierunt, item in latrone cum Christo crucifixo videre est; et adversarii in omnibus adultis fidelibus fieri agnoscunt, qui necessitate aliqua inculpata impediti, externum Baptismum non nisi voto consequi possunt.

XIV. Etsi autem omnibus Ecclesiae Orthodoxae membris omni modo laborandum est, ut Baptismum sibi aut liberis suis non petant, nisi ab Ecclesiae Orthodoxae Pastoribus, ne communionem habere videantur cum haeresi et operibus injustis tenebrarum; tamen si qui jam ab haereticis baptizati sunt, qui formam Baptismi integram usurpant, atque ipsa fundamentalia Baptismi dogmata directe non evertunt, eorum Baptismum a Pastoribus Orthodoxis iterandum negamus. De aliis vero qui ea directe negant, aut Baptismi formam mutant, alia est ratio, quemadmodum in Synodo Nicena de Paulianistis est judicatum; hoc enim casu Baptismus verus non iteratur, sed falso, et nulli, ab ea quae Ecclesia non est, collato, verus et genuinus in Ecclesia Christi substituitur.

XV. Essentia Baptismi in ejus legitima materia et forma consistit. Materia autem cum vel externa sit et visibilis, quae signum appellari solet, vel interna et invisibilis quae res signata dicitur, de utraque paululum agendum.

XVI. Materia externa seu Signum hic, ut in omnibus Sacramentis, est duplex, nempe Substantiale, et Rituale. Substantiale omnium consensu est aqua, ut ex Matt. 3, 6. Act. 10. 47. atque aliis locis est videre, ac proinde plane superstitiosa sunt, et inter ἐθελοθρησκείας referenda, quae a Pontificiis huic materiae adjunguntur, qualia sunt sal et oleum, quae ex κακοζηλίᾳ Sacrificiorum Judaicorum huc translata sunt; item sputum, cerei, et similia, quae vel a Christi miraculis, vel a primitivae Ecclesiae ritu in cryptis aut noctu convenire solitae, mutuo sumpta sunt. Quum Dei mandatis nec addendum quicquam, nec adimendum sit, Deut. 12, 32. et frustra colatur mandatis hominum, Matt. 15, 9.

XVII. Ineptae autem sunt quaestiones plurimae, quae a Scholasticis hic moveri solent; an alia quam communi aqua ad Baptismum uti liceat, ac lixivio, urina, aquis coctis aut distillatitiis, item vino, aceto, imo sabulo, aut arena. Ut enim temere hic multa ab iis definiuntur ex absolutae Baptismi necessitatis

hypothesi, ita nullam aquam nisi communem a Christo et Apostolis huic Sacramento consecratam aut adhibitam legimus, ac proinde cum mandato ac promissione careant, ex fide usurpari non possunt. Ideo videmus et Johannem in Aenon praedicasse, quia ibi multa erat aqua, Joh. 3, 23. et Philippum non antea Aethiopem jam credentem baptizasse, quam ad locum ventum esset, ubi erat aqua, Act. 8, 36. et sane cum aqua nihil sit vulgarius, ut in proverbium id etiam abierit, valde raro ejusmodi casus oboriri possunt.

XVIII. Signum rituale seu ceremoniale in hoc Sacramento est baptizatio seu lotio in nomine Patris, Filii, et Spiritus Sancti, sicut Christus expresse mandavit, Matt. 28. et Marc. 16. unde et lavacrum aquae in verbo, Eph. 5, 26. et lavacrum regenerationis, Tit. 3, 5. et depositio sordium corporis ab Apostolo Petro per metonymiam effecti dicitur, 1 Pet. 2, 29.

XIX. An vero una, an trina mersione sit baptizandum, indifferens semper judicatum fuit in Ecclesia Christiana. Quemadmodum etiam an immersione, an vero aspersione utendum, cum illius expressum mandatum nullum exstet, et exempla aspersionis non minus quam immersionis in Scripturis possint deprehendi; sicuti enim Matt. 3. Christus in aquam ingressus et ex ea egressus est, et Aethiops Act. 8. sic multa millia uno die in ipsa urbe Jerusalem dicuntur fuisse baptizata, Act. 2. item multi in domibus privatis, Act. 16. et 18. 1 Cor. 1, 16. ubi ingressus ejusmodi in aquas vix esse potuit. Cui ritui quoque favet Baptismus in nube et mari, de quo Paulus 1 Cor. 10. agit, et vox ῥαντισμοῦ, id est, aspersionis, quae de sanguine Christi ad peccatorum nostrorum abolitionem usurpatur, Heb. 9, 14.

XX. Superstitiosa et hic ergo sunt Pontificiorum additamenta, crucium nempe figuratio, et exorcismorum usurpatio; quum nulla eorum in Sacra Scriptura exstent vestigia, et utrumque a ritibus Christianorum veterum inter Gentiles versantium prava imitatione sit traductum. Ut enim Gentiles conversi, Satanae atque Idolorum cultui hoc modo renunciabant, ita et crucium figuras adhibebant, ut se in cruce Christi sola deinceps gloriari ostenderent. Quod etsi ab eis ob usus Ecclesiasticos initio fortassis excusari potuit, ita hoc tempore sine ullo usu aut fructo in Ecclesiis quibusdam reformatis retineri non debuit.

XXI. Interna materia seu res significata in hoc Sacramento, itidem duplex est; vel respondens signo externo substantiali, vel respondens signo externo rituali.

XXII. Utrique signo externo conjunctim respondet purgatio nostri a peccatis per sanguinem et Spiritum Jesu Christi. Nam quemadmodum sanguis Christi nos lavat a peccatis nostris, Apoc. 1, 5. quia vi et merito mortis Christi a peccatis nostris liberamur: ita et Spiritus Christi nos purgat a peccatis nostris, quia meritum mortis Christi nobis applicat, et efficacia sua e peccati regno nos eximit; quemadmodum haec duo Christi beneficia conjunguntur ab Apostolo Paulo, 1 Cor. 6, 11. Sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Domini Jesu, et in Spiritu Dei nostri; unde et Eph. 5, 27. dicit Apostolus, Christum seipsum tradidisse pro Ecclesia, ut purgaret eam lavacro aquae in verbo, et Tit. 3, 5. dicimur salvati per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos copiose per Jesum Christum Servatorem nostrum.

XXIII. Forma Baptismi ὅλως considerati consistit in unione illa Sacramentali, quae est inter signum et rem signatam. Etsi enim et signi et rei signatae sua quoque sit peculiaris forma, ut ex antecedentibus liquet; tamen haec singularis partium forma materiae signatae, ut loquuntur, rationem induit, quum ad totum refertur: quod in partibus integrantibus fieri solet.

XXIV. Haec unio sacramentalis signi cum re signata, non est conjunctio realis et subjectiva, ut quidam somniant, sed σχετικὴ tantum seu relativa, consistens in mutuo illo respectu, quo signum rem signatam credenti ob oculos ponit et obsignat, et res signata a causa principali sub conditione fidei et resipiscentiae praebetur et offertur.

XXV. Nam nec sanguis Christi realiter aut corporaliter inest aquae Baptismi, nec Spiritus Christi, etsi per naturam suam ubique sit praesens, eidem subjective inhaeret; nec purgatio a peccatis effective perficitur ab externa aquae lotione, quum virtus illa sit mere divina, cujus nulla creatura per se est capax, sed ipse Christus per efficaciam sui Spiritus nos secum magis unit, et beneficia sua per vim mortis suae nobis acquisita communicat, sicuti per verbum simplex id facere solet: tanto autem

efficacius id in Sacramenti hujus legitimo usu facit, quanto singularius, et quidem per duos sensus, auditum scilicet et visum res signatae hic proponuntur; ac proinde et fides nostra validius excitatur, et actuosa redditur. Atque hinc etiam fit, ut externus Baptismus ab interno et causa administra a principali in hac operatione a Scriptura perspicue distinguatur, ut videre est Matt. 3, 11. Col. 2, 11. et 1 Pet. 3, 21. etc.

XXVI. Rejicimus ergo primum sententiam Pontificiorum, qui externa haec signa gratiam conferre volunt ex opere, ut loquuntur, operato, id est, ex ipsa vi actionis externae, modo non ponatur obex peccati mortalis; quae restrictio vel ex ipsorum hypothesi inepte ponitur, quia et infantes antequam sunt regeniti, peccato mortali omnes sunt obnoxii, et adulti nondum renati necessario adhuc sub peccati regno sunt, nisi dicant, aut peccatum originale, aut peccati regnum, in homine, mortale non esse, contra principia sua, et Scripturam, quae testatur, hominem nondum regenitum, Dei regnum videre non posse, Joh. 3. Deinde et sententiae hujus absurditas hinc liquet, quod Scriptura nullam gratiae salvificae, aut communionis cum Christo viam nobis aperuit, nisi per fidem. Evangelium enim est potentia Dei ad salutem cuivis credenti, Rom. 1, 16. et Christus habitat per fidem in cordibus nostris, Eph. 3, 17. Imo sine fide impossibile est placere Deo, Hebr. 11, 5.

XXVII. Rejicimus etiam sententiam quotundam Ubiquitariorum, qui vim regeneratricem Spiritus Sancti ita aquae externae in Baptismo alligant, ut vel ea ipsi aquae insit, vel saltem non nisi in ipso Baptismi actu regenerationem inchoet: pugnat hoc enim cum omnibus Scripturae locis, in quibus fides et resipiscentia, ac proinde et regenerationis initium ac semen in Baptizandis praeexigitur: causa autem efficiens effectu suo posterior esse non potest.

XXVIII. Nec valet quicquam quorundam inter eos exceptio, qua Baptismum adultorum ita distinguunt a Baptismo infantium, ut Baptismum adultorum signum et signaculum regenerationis acceptae esse concedant, sed infantium Baptismum instrumentum regenerationis inchoandae esse velint. Nam praeterquam quod illius differentiae in tota Scriptura nullum exstet fundamentum, quae baptismum non nisi unius generis

agnoscit, etiam illi ipsi loci, Rom. 6. Gal. 3. Eph. 5. Tit. 3. etc. quos pro hac sua sententia proferunt, de iis proprie et immediate agunt, qui jam adulti erant, et in adulta demum aetate fuerant baptizati, quemadmodum id ex ipsis locis manifestum est.

XXIX. Efficaciam ergo Baptismi non alligamus ad momentum illud, quo aqua externa corpus tingitur, sed in omnibus baptizandis fidem et resipiscentiam cum Scriptura praerequirimus, saltem secundum caritatis judicium: idque tam in infantibus foederatis, in quibus ex vi divinae benedictionis et foederis Evangelici, semen et Spiritum fidei ac resipiscentiae statuendum esse, contendimus; quam in adultis, in quibus actualis fidei et resipiscentiae professio est necessaria. Deinde quemadmodum semen in terram conjectum, non semper eodem momento incrementa sumit, sed quando pluvia aut calor coelitus supervenit; ita nec verbum, nec Sacramenti signum semper primo sui momento est efficax, sed eo demum tempore, cum Spiritus Sancti benedictio accedit.

XXX. Demonstrant illud multi in infantia baptizati, et tamen ad tempus improbe viventes, multi quoque hypocritae adulti, qui nonnunquam longe postea demum serio resipiscunt. Imo Augustinus de Haereticorum Baptismo universim pronunciat:

Quamvis apud Haereticos et Scismaticos idem sit Baptisma Christi, non tamen ibi operatur remissionem peccatorum, propter discordiae foeditatem, et dissensionis iniquitatem. Tunc autem incipit valere idem Baptisma ad dimittenda peccata, quum ad Ecclesiae pacem venerint, non ut ille Baptismus quasi alienus aut alius improbetur, aut alter tradatur, sed ut idem ipse, qui foris propter discordiam operabatur mortem, propter pacem intus operetur salutem. Quod vero in nonnullis, ut in Simone Mago, et aliis reprobis hunc effectum nunquam habeat, ad judicia Dei occulte justa et juste occulta referendum censemus. Quia non filii carnis, sed filii promissionis censentur in semine, Rom. 9. etsi enim illi indigni non sint, qui praetereantur, reliqui tamen in se digni non sunt, ut regenerationis opus in iis inchoetur ac perficiatur.

XXXI. Quando ergo propriam Baptismi externi vim in ob-

signando dicimus consistere, duo significamus: Primo certiorationem gratiae promissae, et a causa principali collatae aut conferendae; Secundo ejusdem confirmationem et augmentum. Quum autem promissio illa non sit absoluta, sed conjuncta cum conditione fidei et resipiscentiae, sequitur, gratiam illam non obsignari nisi credentibus et resipiscentibus, ac proinde et signa non indigne usurpantibus, ut Apostolus loquitur 1 Cor. 11, 29.

XXXII. Hoc vero respectu concedimus, Sacramentum, sicuti et reliqua, etiam esse rei promissae exhibitivum, quia in legitimo et digno hujus Sacramenti usu, haec quae promittuntur, per Spiritum Sanctum fidelibus non tantum offeruntur, sed etiam reipsa exhibentur et conferuntur: quum Deus sit verax in obsignatione suarum promissionum, et Sacramenta nostra non sint appendices occidentis literae, sed vivificantis Spiritus.

XXXIII. Usus autem atque effectus hujus Sacramenti sunt multi et maximi. Quotquot enim baptizati sumus, Christum induimus, Gal. 3, 27. baptizamur in remissionem et ablutionem peccatorum, Act. 2, 38. et 22, 16. Est lavacrum regenerationis, stipulatio bonae conscientiae per resurrectionem Christi, Tit. 3. et 1 Pet. 4. Per illud vetus homo crucifigitur ac sepelitur, et novus magis vivificatur, Rom. 6, 3. ipsa denique adoptio et salus ei ascribitur, Marc. 16, 16. et alibi.

XXXIV. Praeter hos primarios usus, sunt et alii secundarii, nempe externa in Ecclesiam visibilem et particularem insertio, Act. 2, 41. membrorum Christi inter se atque in unum corpus conjunctio, 1 Cor. 12, 12. atque ex illis consequens nostrae professionis significatio, et ab omnibus aliis infidelium coetibus distinctio, ac dissociatio.

XXXV. Nec vero Baptismi illi usus atque effectus restringendi sunt ad remissionem atque abolitionem peccatorum, quae ante Baptismum commissa sunt; aut ad receptionem in gratiam, quae primum credentibus promittitur, ut Pontificii volunt; qui ad deletionem peccatorum, ut ipsi loquuntur, mortalium, post Baptismum commissorum, ad restitutionem in gratiam, aliud Sacramentum excogitarunt, nempe poenitentiae et absolutionis sacerdotalis, quam ideo secundam tabulam appellant, per quam, prima gratia amissa, denuo ex naufragio sit evadendum.

XXXVI. Etsi enim libenter fateamur, peccata etiam post

Baptismum commissa, non nisi poenitentibus et credentibus remitti, sicuti ea quae ante Baptismum commissa fuerant, non aliter remissa sunt; tamen idcirco novo aliquo Sacramento ad hujus beneficii reparationem negamus esse opus, quum in toto Novo Testamento Scriptura Sacra nullum aliud poenitentiae aut remissionis peccatorum Sacramentum noverit, quam solius Baptismi.

XXXVII. Sed sicut ipsi fatentur, ad peccata quotidiana seu venialia, ut vocant, sufficere poenitentiam ordinariam, et precationem Dominicam, cum Baptismi memoria; ita nos etiam asserimus, in peccatis gravioribus et extraordinariis sufficere extraordinariam poenitentiae ac fidei excitationem, cum recursu ad foedus illud quod per Baptismum initio nobis fuit obsignatum: quemadmodum, si uxor fidem conjugii violavit, ut vir cum uxore reconcilietur, non opus est novo conjugio, aut novis conjugii arrhis, sed sufficit facti seria poenitentia cum veteris conjugii confirmatione.

XXXVIII. Hanc Baptismi perpetuam efficaciam testatur nobis non tantum novi foederis per Baptismum sanciti natura, ac perpetuitas, quae nobis describitur Esai. 54, 10. Hebr. 8, 12. et passim alibi, sed etiam circumcisionis exemplum, qua idem foedus, si substantiam spectes, fuit confirmatum, et tamen tum temporis poenitentia remissionis peccatorum postea subsecutorum, vel Pontificiis fatentibus, sacramentum non fuit, sed tantum unicum circumcisionis sigillum ad perpetuam fidei justitiam et cordis circumcisionem poenitentibus obsignandam suffecit.

XXXIX. Testatur hoc idem frequens Sacrae Scripturae consuetudo, quum a Baptismi usu et memoria argumenta ducit, quibus jam antea baptizati ad veteris hominis et cupiditatum ejus subinde resurgentium ac sese prodentium abolitionem, ac novi hominis perpetuam vivificationem assidue monentur, sicut videre est, Rom. 6, 2. 1 Cor. 12, 12. Gal. 3, 27. Eph. 5, 25. Col. 2, 12. etc. atque ideo non tantum salutis initium ad Baptismum refertur, sed etiam ipsa salus et vita aeterna, Marc. 16, 16. 1 Pet. 3, 21. et alibi.

XL. Imo vero absurdum est et impium, homini jam fideli et baptizato, aliam satisfactionem, aut aliud meritum ad remissionem ullius peccati proponere, quam Christi, aut aliam propitiationem, aut reconciliationem cum Deo, quam per eum san-

guinem, qui nos purgat ab omnibus peccatis nostris, 1 Joh. 1, 7. cujus sanguinis sacramentum est non fictitia illa Pontificiorum poenitentia, sed Baptismus, ut antea demonstratum est.

XLI. Absolutis jam iis, quae de hujus Sacramenti causis et effectis breviter dicenda erant, restat, ut ad ejus subjectum et adjuncta aliquot exponenda accedamus.

XLII. Subjectum recipiens Baptismi esse hominem, patet ex praescripto Christi, Matt. 28, 19. Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos, etc. unde et Pontificii doctiores campanarum baptismum potius excusare quam defendere solent, quem nos tamen Baptismi Christiani meram profanationem esse asserimus.

XLIII. Homines autem cum dicimus, intelligimus vivos, non mortuos, contra Cerinthianos, qui etiam defunctos baptizabant, abusi loco Apostoli, 1 Cor. 15, 29. Quid ergo faciunt qui baptizantur ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, pro mortuis? sed aliud longe est, pro mortuis baptizari, quam mortuos baptizare: possunt enim dici pro mortuis baptizari, qui in carnis mortificationem baptizantur, aut etiam in eam sortem, ut opprobriis et persecutionibus hujus mundi subjecti, νέκρωσιν, id est, mortificationem Domini Jesu in corpore circumferant, sicut Apostolus loquitur 2 Cor. 4, 10.

XLIV. Nec tamen omnes homines in mundo viventes baptismi capaces sunt, sed illi tantum, qui pro foederatis, et Novi Testamenti haeredibus haberi a nobis possunt, cujus hoc Sacramentum sigillum et pignus est.

XLV. Tales sunt primo omnes et soli adulti, qui fidem in Christum et resipiscentiam veram profitentur, ex quocunque populo, conditione, aut sexu; quia in Christo nec est Judaeus, nec Graecus, nec mas, nec femina, nec servus, nec liber, sicuti ex mandato Christi Matt. 28, 19. liquet, Quicunque crediderit, et baptizatus fuerit, servabitur. Item Act. 2, 28. Resipiscite, et unusquisque vestrorum baptizetur in nomine Jesu Christi, etc.

XLVI. Si quis vero, licet fidem professus, impie vivat, Baptismo initiandus non est; quia Baptismus non est tantum sacramentum fidei, sed etiam resipiscentiae; ut nec ille, qui cum fidei in Christum et poenitentiae professione errores aut haereses contra fidei verae fundamentum fovere aut tueri velit; quia

resipiscentia non tantum est a vitae turpitudine ad vitae sanctitatem, sed etiam ab erroribus ad cognitionem veritatis, quemadmodum Apostolus loquitur, 2 Tim. 2, 23. Imo vero tantum abest, ut haeretici aut errorum talium fautores ad Baptismum sint admittendi, ut ex praecepto Apostoli Rom. 16, 17. et alibi, a fidelibus sint vitandi, et ab Ecclesiae communione arcendi.

XLVII. Tales secundo censemus infantes, qui ex fidelibus et foederatis parentibus progeniti sunt, juxta promissionem Dei, Genes. 17. Ero Deus tuus et seminis tui: idque non tantum exemplo circumcisionis, quae ejusdem foederis sigillum fuit, et in cujus locum baptismus successit, Col. 2, 11. sed etiam, quia ad quos res signata pertinet, illis signum ipsum denegari non potest, ut Apostolus Petrus diserte testatur, Act. 10, 47. et 11, 17. Jam vero ad infantes fidelium sanguinis et Spiritus Christi beneficia pertinere nemo negare potest, nisi qui eos a salute exclusos velit; nam sicuti nemo regnum Dei ingredi potest, nisi qui regenitus est ex aqua et Spiritu, Joh. 3, 5. ita nemo Christi est, qui Spiritum Christi non habet, Rom. 8, 9.

XLVIII. Locus ad Ephes. 5, 26. ad hoc confirmandum valde illustris est, ubi Apostolus ait, Christum dilexisse Ecclesiam suam, et se tradidisse pro ea, mundans eam lavacro aquae in verbo. Unde sequitur, aut infantes fidelium illius ecclesiae partem non esse pro qua Christus se tradidit, aut eos quoque mundari lavacro aquae in verbo. Ut jam praetereamus exempla integrarum familiarum ab Apostolis baptizatarum, Act. 16, 15. et 33. et 18, 8. et 1 Cor. 1, 16. item exempla infantium Israëliticorum, qui non minus quam Israëlitae adulti sub nube et in mari rubro fuerunt baptizati, teste Apostolo 1 Cor. 10. Et sane, si in unum corpus mysticum infantes illi cum Ecclesia Christi coalescunt, aliquo communionis hujus signo discernendi sunt ab iis, qui a corpore hoc sunt alieni.

XLIX. Excludimus autem a Baptismo infantes eorum, qui a foedere plane sunt alieni, quales sunt liberi Gentilium, Mahumetanorum, Judaeorum, et similium, quos ipse Spiritus Sanctus immundos pronunciat, I Cor. 7, 14. ac proinde tamquam extranei, Dei Judicio sunt relinquendi, ut idem Apostolus praecipit, 1 Cor. 5, 12. 13. Nisi forte per adoptionem legitimam aut servitutem justam, et proprie dictam, fidelium familiis tamquam

proprii sint ascripti, atque insiti. Hoc enim casu multae Reformatae Ecclesiae eos baptizant, quia a Deo in foederis sui communionem hoc pacto eos ascisci judicant, idque Genes. 17, 12. et 13. quod in veteri Ecclesia ita extra controversiam fuit, ut Augustinus ex hoc facto argumentum efficax electionis gratuitae adversus Pelagianos nonnunquam duxerit.

L. Nec tamen ideo excludimus ab hujus Sacramenti communione infantes eos, qui ex Christiana stirpe et baptizatis parentibus nati sunt, etsi ipsorum parentes per vitam improbam, aut fidem impuram, foederis in Baptismo obsignati efficaciam adversus se irritam reddant; si ab iisdem parentibus aut eorum propinquis, sub quorum potestate sunt, juxta ordinem in Ecclesiis nostris consuetum Baptismo offeruntur; quia sub novo foedere filius non fert iniquitatem patris, et Deus nihilominus manet ejusmodi liberorum Deus, quemadmodum ipse testatur, Ezech. 16. et 23. ubi impiorum Israëlitarum liberos filios suos vocat, quos Deo genuerant, etsi eos Molocho offerrent; et Deus ex iis per ordinariam verbi praedicationem Ecclesiam suam ordinarie quoque colligit. Unde et ejusmodi Israëlitarum, quorum multi in impietate sua fuerant mortui, non minus quam piorum liberos circumcidi jussit, Jos. 5, 4. et 6. quod etiam Ecclesia Israëlitica et Christiana primitiva faciendum esse extra controversiam semper habuit.

LI. Baptismi Adjuncta sunt; Primo unitas ejus, sicuti enim semel tantum nascimur, ita et semel renascimur, ac proinde et regenerationis signum semel accipimus. Unde sicuti circumcisio semel collata repetita non fuit, ita et Baptismum semel legitime collatum repetendum esse, Sacra Scriptura nec mandato, nec exemplo docet. Quin contra, ubicunque Baptismi mentio in Novo Testamento fit, unius tantum Baptismi, et semel collati fit mentio. Unde quoque et expresse unus vocatur, Eph. 4, 5.

LII. Tempus Baptismo, sicuti Circumcisioni fuit, nullum certum praescriptum est: interim tamen, quam primum is per Ecclesiae ordinem et baptizandi valetudinem haberi potest, eum petendum judicamus, quia ordinaria divinae gratiae signacula et instrumenta negligi a nobis sine peccato non possunt, contemni vero non nisi magno cum peccato ac periculo possunt.

LIII. Locus omnis conventibus sacris destinatus Baptismo

quoque sacer est. Unde videmus in omnibus exemplis, quae Apostolorum praxis nobis suppeditat, Baptismum praedicationi verbi fuisse conjunctum, sive is locus publicus fuerit, sive privatorum domus, modo Ecclesiae in iis aliquis conventus; extra persecutionis tamen tempus publica potius, quam privata loca huic actioni esse destinanda, ex eo demonstratur, quod Baptismus publici ministerii, non privatae exhortationis est appendix.

LIV. Etsi vero testium singularium in Baptismo non est absoluta necessitas, imprimis in Ecclesiis quae publica fruuntur quiete; tamen illorum praesentiam, modo pii et fidi sint, esse utilem, non tantum res ipsa demonstrat, sed etiam totius Ecclesiae primitivae consuetudo, quae valde probabili argumento, una cum nominum impositione, ab ipso circumcisionis ritu deducta est, sicuti ejus exemplum exstat Esai. 8, 2. Luc. 1. 59.

LV. Si quis vero vel ex Ecclesiae, vel parentum, vel testium, vel aliorum testimonio de baptismo suo in infantia accepto certus esse non possit, vel non alio quam obstetricum aut privatorum baptismo forte tinctus fuerit, nos ejusmodi hominem sine scrupulo baptizandum censemus; quia posteriorum baptismus nullus est, et priorum pro nullo habendus est, sicuti concilio Carthaginensi 5. c. 3. recte statutum fuit, Placuit de infantibus, quoties non inveniuntur certissimi testes, qui eos baptizatos esse sine dubitatione testentur, neque ipsi sunt per aetatem idonei de traditis sibi Sacramentis respondere, absque ullo scrupulo esse baptizandos, ne ista trepidatio eos faciat Sacramentorum purgatione privari: nam ut Leo recte addit, iteratum dici non potest, quod nescitur esse factum.

LVI. Neque ideo baptismus conditionalis probandus est, qui a Pontificiis in ejusmodi casu observari solet, in hanc formam, Si baptizatus non es, ego te baptizo: tum quia ejusmodi baptismus exemplo Scripturae caret, et formam baptismi a Christo praescripti mutat, tum quia baptizato incertum relinquit, uter baptismus sit verus, quod contra finem baptismi est, qui promissiones divinas non ambiguas reddit, sed confirmat et obsignat.

DISPUTATIO XLV.

DE

Coena Domini.

Praeside D. ANTONIO THYSIO.

Respondente VOLCKERO OOSTERWIJCK.

THESIS I.

HUCUSQUE de Baptismo, Regenerationis, Poenitentiae, Fidei, adeoque induitionis Christi, et initiationis Sacramento: sequitur Coena Domini, nutritionis, et, ut Patres vocant, perfectionis Mysterium.

II. Ea variis appellationibus venit, tum Scripturae tum Patribus. Scripturae quidem dicitur, 1. Coena Domini, 1 Cor. 11, 20. nomenclatura a temporis circumstantia, utpote convivium vespertinum; et ab auctore, fineque, ut a Domino instituta, ad ejus memoriam porro celebranda: quam Jesuitae quidem inepte ad Agapas restringunt. 2. Mensa Domini, 1 Cor. 10, 21. et absolute mensa, Act. 16, 2. metonymice pro convivio hoc sacro e pane vinoque constante. Quamvis illic a Paulo ad panem referri videatur, poculo Domini ei opposito. 3. Panis qui frangitur et poculum Εὐλογίας, benedictionis, 1 Cor. 10, 16. 4. Panis iste, et poculum istud, seu Domini, et absolute Panis et poculum, 1 Cor. 11, 26, 27. toto scilicet per partes explicato. 5. Panis, 1 Cor. 10, 17. itemque potus, 1 Cor. 13. secundum verbi conjugationem, synecdochice. 6. Esca et potus spiritualis, 1 Cor. 10, 3. 4. 7. Fractio panis, Act. 2, 42. et 20, 7. (quo alias quodvis domesticum convivium Judaeis significatur) idque κατ' ἐξοχὴν. 8. Corpus Domini. 1 Cor. 11, 29. metonymice. 9. Denique Agape seu Dilectio, 2 Pet. 2, 13. Jud. vers. 12. id est, sacrum convivium, dilectionis testandae et conservandae gratia institutum, sub qua Sacramentum hoc, ut ejus potissima pars, comprehendebatur.

III. Patribus vero praeterea, imprimis Graecis, vocatur primo σύναξις, Latinis collecta, collectio, conventus, quod publica haec actio in conventibus Ecclesiae conjunctim celebrari solita sit, ex loco Act. 20, 7. et 1 Cor. 11, 18. 33. 2. Εὐχαριστία

seu Εὐλογία, id est, gratiarum actio et benedictio, scilicet a praevia actione Christi et fine, quod solenni gratiarum actione pro morte et beneficiis Christi a Christo facta sit, et fieri jubeatur, 1 Cor. 10, 16. Matt. 26, 26. 27. 3. κοινωνία, communio seu communicatio, ex Paulo, qui pani huic vinoque communionis et participationis corporis et sanguinis Christi appellationem attribuit 1 Cor. 10, 16. 17. 21. 4. προσφορὰ, oblatio, seu oblata, nempe ab oblatione panis et vini a populo fideli, ad celebrationem Agapes et Eucharistias, Antistiti fieri solita, et vicissim populo communicanti reddita (illa δῶρον, haec ἀντίδωρον dicebatur) laudis item, gratiarumque actione, a tota Ecclesia Deo oblata; non autem Christi passive, Deo Patri a Sacerdotibus facta, nisi tropice. 5. θυσία, id est, Sacrificium seu hostia, admodum improprie, tum propter preces, et gratiarum actionem, tum commemorationem illius sacrificii unici expiatorii in cruce semel pro nobis peracti: non autem proprie, ut Romanenses volunt, idque non tantum pro Eucharistico, sed et expiatorio peccatorum, quod tamen ἀναίμακτον, exsangue, dicunt. Aliis praeterea nominibus Veteres illud Sacrum indigitant, ut σύμβολον et μυστήριον, id est, Nota et Sacramentum corporis et sanguinis Domini, etc, sed ea fere sunt descriptiones, commendationes, et epitheta tanti mysterii.

IV. Λειτουργία porro a λῆιτὸς, publicus, publicam universim, et in Ecclesia sacram functionem seu officium denotat, qua totum ministerium sacrum verbi divini, (qualiter λειτουργοῦντες non sacrificantes, ut Eras. Act. 14. reddidit, sed sacra facientes, notat, sicut et ipse interpretatur,) et sigillatim administratio Coenae Dominicae significatur. Specialius a quibusdam ἱερουργία, sacrorum operatio, dicitur, quae metaphorice quoque ad Evangelii praedicationem refertur, Rom. 15.

V. Illa Latinis quadringentis circiter annis a Christo, Missa dici coepit, non, ut quidam post Reuchlinum et Genebrardum inepte ab Heb. מס (mas) tributum, unde מסה (missa) Deut. 16, 11. id est, oblatio, ut V. I. vel sufficientia, ut Septuaginta Interpretes vertunt (quae potius a מסה (massa) tentatione nempe Dei nomen invenerit) neque ab adjectivo feminino Missa, scilicet oblatione Deo, ut vulgo Pontificii; sed substantivo Missa, pro missione posita, ut collecta, oblata, remissa, et similia Tertulliani aevo pro collectione, oblatione,

remissione usitata fuerunt. Dicitur autem ita vel a missione oblatorum a Fidelibus, vel a principio celebrationis Mysteriorum, quod fiebat, Catechumenis et Poenitentibus missa seu missione facta: vel a fine, cum sacris peractis missa seu missio fit fidelibus abeundi, solenni hac formula, Ite missa est, id est, missio est. Vocatur quoque deteriori aevo Sacramentum altaris, quod et Lutherus, nescio qua causa, servandum sibi putavit.

VI. Est autem Coena Domini alterum novi foederis seu testamenti Sacramentum, nempe spiritualis nutritionis, a Christo Domino nostro fidelibus institutum, quo pane fracto, et vino effuso, Christus ut passus mortuusque seu corpus ejus fractum et sanguis effusus in remissionem peccatorum significatur, eorumque participatione ac communione in cibum potumque spiritualem sumentibus offertur, et fidelibus confertur: Usurpandum ad Christi recordationem, cum mortis ejus annunciatione; atque ad unionem, communionemque cum Christo capite in verum corpus mysticum; cedens fidelibus in vitae aeternae certiorationem, et gloriam gratiae Dei.

VII. Causa efficiens institutionis quidem, est Dominus Jesus, novi foederis gratiae auctor, Novique Testamenti mediator et testator, adeoque symbolorum ejus unicus institutor. Id enim summae potestatis est actio, ejusque est signa gratiae addere, cujus est gratiam tribuere, et id quod signa praeferunt ac promittunt, praestare et efficere. Ministri autem Christi hic est, quod accepit a Domino, fideliter sine diminutione, adjectione, mutationeque ulla, Ecclesiae tradere, et illibatum conservare, Matt. 28, 20. 1 Cor. 11, 23.

VIII. Exhibitionis vero, idem proprie Christus, qui quidem exterius symbola, primum ipse per se, et deinceps per Ministros Verbi sui, quibus ipse hoc suo nomine commisit et adest, auctoritate sua exhibet; interius vero rem ipsam per Spiritum Sanctum fidelibus confert.

IX. Instituit porro et exhibuit Dominus Jesus, convivator hujus sacri convivii, ea nocte qua tradebatur, nempe vesperi sextae diei Sabbathi, seu hebdomadis prima Azymorum Paschatis, secundum Judaeorum morem, diem a vespera inchoantium; idque, ut hac temporis circumstantia coenam hanc

suis magis commendaret, adeoque hac extrema coena Foederis et Testamenti, morte paulo post sanciendi, monumentum stabiliret: locoque, puta in civitate Jerusalem, diversorio ac triclinio magno, strato ac parato, in quo et Pascha paratum fuit.

X. Et quidem postquam coenasset, Luc. 22, 20. scilicet agni Paschalis coenam legalem cum Discipulis suis, idque non secundum Judaicam traditionem, sed legis de ea praescriptum, Marc. 14, 12. Luc. 22, 7. quae typus fuit Christi, 1 Cor. 5, 7. et hujus Dominicae coenae antitypum, ut quae et Christum agnum illum Dei, et sub liberationis Aegyptiacae memoria, spiritualem designabat, 1 Cor. 5, 7. Nempe ut ita complementum veteris Sacramenti novi successione indicaretur. Quo respectu inquit Christus, Desiderio desideravi hoc Pascha vesci vobiscum antequam patiar.

XI. Imo praevia, ut complures volunt, pedum lotione. Coena enim facta, Joh. 13, 2. surgens a Coena, vers. 4. lavit suorum pedes, ex consueto Orientalium more, Luc. 7, 44. scilicet, ut facto exemploque suo ipsis praeiret ad modestiam atque caritatem, benevolentiamque erga suos testaretur; se nempe esse qui suos lavet a sordibus suis, Joh. 13, 8. 9. 10. 14. qualesque ad Sacra haec accedere oporteat, similitudine, non Sacramento, edoceret. Quamvis occidua Ecclesia illam alibi, et aliquando non sine abusu, pro Sacramento usurparit.

XII. Quin Christo iterum accumbente seu discumbente, Joh. 13, 20. ad morem in populo Dei tum susceptum, ut qui non sedentes, sed accumbentes in lectulis (capitibus quidem introrsum, pedibus vero extrorsum repositis, ita ut in priorum sinum proximi fere recumberent, Joh. 13, 23, 25.) cibum sumebant: nempe ut convivium significaretur, non sacrificium (ut Pontificii volunt, qui altaria induxerunt Judaica et Gentili κακοζηλίᾳ) quod alias stans ad altare peregisset.

XIII. Et quidem cum Discipulis seu Apostolis duodecim communem vulgaremque Coenam tum edentibus seu coenantibus, ut habet V. Interpres: ut publicum convivium, non privatus pastus indicetur. Quae tamen fractionis panis, vinique benedictionis ritum, in memoriam Redemptionis Aegyptiacae, adjunctum habuit, Luc. 22, 17. ut ex Ritualibus Judaeorum libris patet, cui equidem Agape et Coena haec

Domini, ut usitatis lotionibus Baptismo, successisse videtur.

XIV. Adornavit itaque tum Christus istam Coenam, convivis Apostolis suis, et in eorum persona omnibus fidelibus, ut fidem facit Apostolus. Quod enim hic circa Apostolos gestum, post Apostolus non ad Pastores modo, sed et reliquam Ecclesiam retulit, 1 Cor. 11. et ipsi hic non administrantium, sed accipientium rationem habent, iisque in pietatis statu consistentibus (quantum quidem humanitus sciri potest, occultis Deo relictis) non autem, non Baptizatis Catechumenis, aut Lapsis, aut inter poenitentes constitutis. Unde ait Apostolus, Probet unusquisque seipsum, etc. Qua tamen singulorum sui probatione, Ecclesiae, Pastorumque de aliis non evertitur. Atque huic quidem an Judas proditor ille interfuerit, quaeri solet et potest ex Matthaeo et Marco cum Luca et Johanne comparatis.

XV. Neque tamen haec circumstantia temporis vespertini seu nocturni, vel diei sextae hebdomadis, aut anniversarii, tertiae scilicet diei ante resurrectionem, ut neque loci, nempe privati, neque quod coenatis, pedibus ablutis, accumbentibus, et quidem duodecim numero, coena praebita fuit (quorum quaedam aliquandiu in prisca Ecclesia obtinuerunt) praescriptionis observationisque necessitatem ullam habent.

XVI. Atque haec Coenae Dominicae praeambula fuerunt. Constat autem ea tota, Factis dictisque Christi mysticis, et iis respondente discipulorum ac fidelium Obedientia, ac consequente Gratiarum actione. In quibus causarum mysterii hujus comprehensio est.

XVII. In Factis quidem Christi Sacramentalibus, quae pendent ab instituto Christi, totaque ejus actione, atque ita gesta sunt ut sensibus objicerentur, et sensualibus rebus fierent, ac menti aliquid renunciarent spirituale, Primum (quod oculis Apostolorum proponebatur) est λαβὼν, id est, accepto pane, seu quum accepisset panem, et inde poculum, scilicet in manus suas, quod erat Patrisfamilias. In quo initium est instituti actionisque, ac peculiariter ea ipsa separandi in singularem usum. Atque adeo in earum sumptione in manus, voluntariae mortis indicium est. Qualiter accipere, ponere, habere, ferre, gestare se aut animam in manibus suis, Hebraismo usitato, est extremum vitae periculum adire seu subire. Jud. 12, 3. 1 Sam. 19, 5. et 28, 21. Job 13, 14. Ps. 119, 109.

XVIII. In duabus porro hisce acceptis speciebus, Materia externa hujus mysterii est, quae quidem duae diversaeque species sunt, sed non duo revera et proprie Sacramenta (qualiter tamen quidam ex Veteribus loquuntur) ut quae ad unum finem, scilicet totale sacrum convivium et refectionem concurrant. Disjunctas enim accepit, tum ut declararet corpus suum exsangue, et sanguinem quasi tunc extra venas effusum, tum ut se totum integram nobis esse alimoniam ac refectionem testaretur, Joh. 6, 53. etc.

XIX. Unde sane Sacramenti integritatem gravissime violant Papistae, eoque sacrilegi sunt, qui calicem sub quocunque prudentiae humanae praetextu, ac nescio cujus concomitantiae, aut gloriosi corporis respectu (quae mera insania contra Dominum) fidelibus Laicis, alteram videlicet Sacramenti partem, subducunt; contra Christi factum et mandatum, Luc. 22, 19. 1 Cor. 11, 25. Apostolorum praxim, 1 Cor. 11, 26. 27. 29. totam denique Antiquitatem, et universam quaquaversum, praeter nuperam Romanam, Ecclesiam Dei.

XX. Usus autem est pane, vero et cibario, forma plano et non spisso, ac proinde ad frangendum idoneo, ut mos illius populi ferebat, integroque et uno: quinimo azymo, seu infermentato, nempe ex accidenti, propter circumstantiam primi diei azymorum legalem, usurus alias vulgari. Unde Christus Joh. 6. similitudinem sumit a vulgari pane; et Apostolus de Coena loquens mentionem facit simpliciter panis qualis Corinthiis usitatus, azymo cum agno Paschali reliquisque ceremoniis abolito. Alias sane indifferens id fuerit, si absit necessitatis opinio. Inanis itaque Graecorum et Latinorum super hac re concertatio.

XXI. Potu similiter ex genimine seu fructu vitis, Matt. 26, 29. id est, vino. Sed an rubello, quale fere illius regionis est, Prov. 21, 31. unde et sanguis uvae dicitur, Gen. 49, 11. an diluto, quod mixtio dicitur, ex consuetudine in locis illis calidioribus temperandi vinum, Prov. 9, 2. 5. et 23, 30. incertum est. Justinus poculum aqua et vino temperatum adhibitum declarat. Attamen id ad religionem mysteriumque non facit, ut neque materia formaque poculi, puta calicis, idque lignei, argentei, aut inaurati.

XXII. Quod vero panem et vinum, res vulgares et de medio sumptas ad mysteria assumpserit, est propter similitudinem et

analogiam summam proprietatum et effectuum utriusque, nempe primariae, et imprimis necessariae alimoniae, ad res significatas, corpus et sanguinem Domini.

XXIII. Unde sane non leviter Pontificii aliique eorum aemuli peccant, qui pane non pane utuntur, id est minutulis, nummulariis, tenuissima forma et umbratili levitate a veri panis specie alienis, et eo vocabulo indignis, pascendique vim non habentibus, nempe obliis seu oblatis, ut vocant: itemque infermentato, tamquam ex Sacramenti, exemplo Christi, necessitate. Nec non quod mysterii causa dilutum vinum adhibent: in quod veteres quidam nimis subtiliter et dilute sunt philosophati, ut Cyprianus, aliique.

XXIV. Attamen si usquam est, ubi panis et vini usus non sit, aut ejus copia haberi nequeat, usurpari id potest quod panis vinique loco est, seu populis illis est analogum.

XXV. Secundum Christi factum, (quod Apostolorum auribus percipiebatur) est sermo ad Deum, expressus voce Εὐλογήσας, subintellecto καὶ, quod exprimit Marcus et Lucas, id est, et cum benedixisset, ut Matthaeus et Marcus in priori membro habent: in posteriore vero de calice Εὐχαριστήσας, id est, cum gratias egisset, quod in utroque est apud Lucam et Paulum, ita ut promiscue usurpentur: ut hoc loco necesse est, nisi velimus non poculum hoc, sed panem tantum fuisse consecratum, sicut et alibi in vulgari convivio, Matt. 14, 19. et 15, 36. Marc. 6, 41. et 8, 6. Luc. 9, 16. et Joh. 6, 11. et 23. Act. 27, 35. pro eodem sumuntur, sicut quoque Hebraicae voces ברך, berech, id est, benedixit, bene-precatus est, et יודה, jodha, confessus est, laudavit, celebravit, gratias egit, inter se permutantur. Subintellige suspiciens in coelum, qui precantis gestus Christo et alibi usitatus fuit, Matt. 14, 19. idque coram omnibus, Act. 27, 35. gratias egit seu benedixit, scilicet Deo Patri, ut est ibidem, et Rom. 14, 6. et quidem restricte de pane et vino, ut divinae beneficentiae donis, et maxime de Redemptionis beneficio.

XXVI. Quin gratiarum actionis et benedictionis, id est, invocationis et precum nomine, Synecdochice tota haec sacra actio, ipsaque adeo consecratio intelligitur, cujus illa duntaxat pars est. Imo benedicendi vox cum quarto casu rei ἀπὸ κοινοῦ ad panem et calicem relata (qualis phrasis est Luc. 9, 16.) id pres-

sius indicat, quo illa quae vulgaria erant et communia corporis alendi adminicula, Verbo Dei et prece fidelibus ad sanctum usum sanctificata, (quod fit cum a liberali Dei manu accipiuntur, sancte et sobrie usurpantur, et ad Dei gloriam referuntur, 1 Tim. 4, 3. 4. 5. 1 Cor. 10, 31.) ad sacrum insuper finem officiumque spirituale, nempe animae alimentum, Filius Dei praeparavit, destinavit, dedicavit, seu sanctificavit et consecravit, ut symbola forent mystica corporis et sanguinus sui: mutatione non naturae, sed qualitatis, ex divino agendi instituto atque ordinatione, solennique prece et recto usu facta. Qualiter vox benedictionis ad res relata fere accipitur, Gen. 2, 3. etc. Quo sensu Apostolo dicitur poculum benedictionis, cui benedicimus, 1 Cor. 10, 16.

XXVII. Qua autem formula Benedictionis et Eucharistias Christus hic sit usus, non explicatur, attamen solennem illam veteris Synagogae in Paschali esu, Christus hic accommodavit; et veterem Ecclesiam suas preces in consecratione habuisse, Liturgiae antiquae demonstrant. Unde superstitiose Romanenses eam in crucibus in aere effigiatis, ac in certis conceptisque verbis consequentibus, puta, istis quatuor, aut quinque, ut Vetus Interpres addito Enim habet, Hoc est enim corpus meum, tacite submurmuratis, constituunt: quibus quoque operatoriam et occultam, imo magicam quandam vim, quinimo quae substantiam miraculose commutet, attribuunt; cum sint verba Christi prolata in prima persona, quibus tum facta; non autem administri in tertia persona, quibus postea facienda, consecratio indicetur: neque ea sint mutationis qualiscunque proprie, sed declarationis ejus quod factum est. Quod antecedens ea praebitio et acceptio evincunt, quae sunt ejus quod factum est, non quod fieri debuit. Usus enim rei re posterior est.

XXVIII. Tertium (quod similiter oculis fit) est quod acceptum panem, et inde benedictum fregit, quemadmodum hunc verborum Christi ordinem Aoristi deposcunt. Fregit autem panem Orientalium, non scidit Occiduorum more, ut cum tali esset forma, non solidus, sed planus et latior instar libi, ut facile frangi posset. Similiter et vinum effusum in calicem, utrumque consueto et necessario ritu. Patrisfamilias enim id erat, praegustantis et distribuentis. Neque fregit tantum in partes ad distributionem, neque effusum et infusum est duntaxat

ad bibitionem, sed ad mysterium et sacramentalem ceremoniam; ut quo significetur corpus, non quidem in partes sectum, Joh. 19, 33. 36. sed metaphorice animi corporisque cruciatibus confractum: imo vero flagellatione, spineae coronae compunctione, manuum pedumque confossione, lateris apertione laceratum: ac denique sanguinis effusione, et animae a corpore separatione, in duas partes divisum mortuumque. Unde in utroque Metonymica vocum permutatione, corpori fractio, et sanguini effusio tribuitur.

XXIX. Quare sane Romanenses atque eos secuti in distributione Eucharistias, orbicularibus suis crustulis totum quiddam tribuentes, frangendi ritum, inde a Jesu Christo et Apostolis 1 Cor. 10, 17. in prisca Ecclesia continuatum, tum in Orientalibus conservatum, non sine violatione Sacramenti sustulerunt: eo tantummodo retento Sacerdotibus in Missatico suo sacrificio. Inepte etiam qui Lutherani audire gestiunt, frangere hic tantum distribuere, interpretantur, cum sequatur, et dedit eis.

XXX. Quartum (quod circa tactum versatur) est, et dedit discipulis suis. Acceperat enim et fregerat, ut daret, id est, praebuit, exhibuit et panem et calicem Discipulorum manibus, non ori. Non enim cibus nisi impotentibus ori immediate ingeritur. Cui dationi respondet acceptio; in qua Apostolus 1 Cor. 11. dationem omissam includit. Atque hic Apostoli non Pastorum, sed totius Ecclesiae vicem tenent, ut quibus singulis Christus dicitur dedisse: alias si de Apostolis solis dicatur, quo jure Coena Domini facta est omnibus communis? praebitione autem hac declaratur, ut Sacramenta omnia, ita et hoc, non tantum in significatione, sed et in applicatione et usu consistere, ac hisce sacris signis Christum praesentari et donari a Deo, fide accipiendum conferendumque. Dum autem dicitur eis dedisse, non sacrificavit, quod est Deo dare.

XXXI. Unde sane patet, magnum esse Pontificiorum sacrilegium in Missa, fideles pascere sola intuitione panis et vini, quae Missifici sibi solis praebent, atque ita privatum faciunt quod toti Ecclesiae est institutum. Imo vero et idololatricum est haec attollere et elevare ad adorationem.

XXXII. Factis vero suis adjunxit Christus et Dicta ad Apostolos, quae sunt tum προστακτικὰ, id est, praeceptiva, tum ὁριστικὰ, id est, indicativa, tum νομοθετικὰ, legislato-

ria, legem toti Christianitati in omne aevum figentia, ac usum finemque hujus Sacramenti declarantia.

XXXIII. Ac primo quidem universim dicitur, et dixit (quod auribus fit) scilicet Discipulis suis; sequentia nempe, quo agendi institutum innotescere posset: Sacramenta enim et sacramentales actiones cum sint κατὰ συνθήκην, ex instituto, nuda et inania rerum forent spectacula nisi verba accederent. Dixit autem intelligenter et aperte ac clare, non peregrina sed patria et usitata lingua usus, ut ab omnibus ea intelligerentur ac perciperentur. Alias in vanum haec esset submurmuratio. Speciatim vero vox dicendi relata ad mandatum subsequens, idem valet ex idiomate Hebraeo, quod, jussit, edixit.

XXXIV. Quare Papistae, qui instar Magorum et incantatorum, ad panem et calicem, creaturas insensiles et alloquii non capaces, haec verba, Hoc est enim corpus meum, admurmurant, et aliena lingua ac tacite haec eloquuntur, contra Apost. 1 Cor. 14, 6. etc. quidvis potius agunt, quam sacrum hoc mysterium peragunt.

XXXV. Inde jubet (quod insuper tactum spectat) Accipite, scilicet omnes, et quidem hunc panem et hunc calicem, quem manu teneo et vobis praebeo in manus vestras, non item ore. Quod exigit vocis τοῦ λαβεῖ proprietas necessario ad prehensionem quae manu fit referenda, sicuti, edite, bibite, ad sumptionem quae fit ore. Item ratio sumendi cibi per ingestionem in os, adultis non conveniens; forma discubitus, quo ad omnium in ambitum jacentium ora commode pertingere non potuit; veteris Ecclesiae praxis, et hodiernae extra Romanam. Non vero sacrificium est, ut quum offerantur haec ab Apostolis accipienda, non autem Deo. Atque in hoc mandato de acceptione fidelibus facto, est Christi quasi in manus potestatemque delatio, et per fidem, quae animae manus est, perceptio, Joh. 1, 11. 12.

XXXVI. Itaque superstitiose Papani faciunt, qui privatas missas inducunt, dum sacrificulus arae assistens solus edit et bibit: contra Christum et antiquitatem. Ut et illi qui cum eis papissant, fidelium manibus negantes, quod ori praebent: quasi manus ore impuriores sint, quae aeque fidelibus sanctificatae, Matt. 15, 18. 20. Jac. 3, 10. et administrantium manus puriores sint quam reliquorum Ecclesiae membrorum. Quo adeo fidei

actionem plurimum obscurant. Quin dum sacrificium statuunt, quid aliud quam inter dare et accipere non distinguunt?

XXXVII. Deinde dicit (quod olfactui et gustui fit) edite et bibite ex eo omnes, scilicet jussit accipere, ut ederent, nempe panem, et biberent vinum. Sensus est, panem in os immittite, manducate, masticate ac dentibus comminuite; et calicem ori admovete, vinum haurite, eaque in stomachum ad concoctionem pastionemque demittite. Quo intimus eorum usus designatur, ac significatur, Christum fidelibus animis seu fide quasi manu accipientibus, et quasi ore comedentibus et bibentibus (qua metaphora Spiritus Sanctus passim utitur, Joh. 4, 14. et 6, 51. 53.) cedere in pastum et potum spiritualem ac coelestem, tam vere quam id quo pascimur, corpori in alimentum, fomentum, robur et accrementum cedit.

XXXVIII. Pluralia praeterea haec omnia, Accipite, edite, bibite, et diserte de calice, bibite ex eo omnes, quod ἀναλόγως quoque de pane accipiendum (nisi quod id, quod de pane partiatim, de calice, qui divisionem non patitur nisi secundum cujusque haustum, ut uno enuncietur) communi praeceptione aequalem communionem, et non privatam, sed publicam sumptionis utriusque, et nominatim calicis, necessitatem denotant.

XXXIX. Non igitur panis hic, contra usum divinitus praescriptum, veteremque Ecclesiam, ad adorationem ceu numen quoddam elevandus, ciborio superstitiose includendus, in armario seu aedicula idololatrica asservandus, in Monstrantiis, ut vocant, ex auro argentoque confectis ostentandus, et in pompis, Persicum ad morem, publice circumgestandus, aut circum arva vehendus, ut Papani faciunt. Quin privatae missae, uno seorsim vorante, calicisque Laicis subductio, fructusque ejus etiam ad mortuos relatio, quorum tamen non est edere aut bibere, totidem Dominicae Coenae abusus et profanationes sunt.

XL. Huic mandato respondet et successit Discipulorum obsequium, tum in acceptione panis et vini, tum in sumptione seu comestione et bibitione; quod in mandato includitur et Marcus in populo explicat, dum ait, Biberunt ex eo omnes, quod similiter de pane intelligendum est, ut ibi sumptio, mandatum bibitionis infert. Atque haec verba Marcus refert ut dicta ante illa, Hoc est sanguis Novi Testamenti, etc.

verum id insolens non est, mysticas actiones ante geri, quam quid velint, intelligatur aut explicetur, ut in lotione pedum factum videmus, Joh. 13, 4. 12. Quicquid sit, sive ordo verborum hic rectus, sive in illis hysterologia sit, parum aut nihil ad rem interest.

XLI. Illis subjiciuntur verba Christi ὁριστικὰ, Indicantia seu declarantia ac definientia rem significatam, promissionemque externis symbolis additam, in quibus Coenae Dominicae Materia interna est, dum ait, Hoc est corpus meum, cui addit Lucas, quod pro vobis datur, et Paulus, quod pro vobis frangitur: et ad hoc seu hic (pro quo Lucas et Paulus habet, Hoc poculum) addit Matthaeus enim, quod et in antecedente membro intelligitur, sanguis meus Novi Testamenti, seu ut Lucas et Paulus, Novum Testamentum in meo sanguine, Matthaeus et Marcus adjiciunt, quod pro multis, Lucas pro vobis effunditur, Matthaeus praeterea, in remissionem peccatorum.

XLII. Quibus declaratur quid actionibus et jussionibus istis suis Christus velit, nempe dum panem et calicem istum, et quidem illum fractum, hunc vero effusum accipiebat, eaque discipulis porrigebat accipienda et sumenda, intendisse per externa elementa actionesque, mysterium, id est, aliud mente et fide considerandum, accipiendum, ac sumendum, videlicet corpus suum fractum, et sanguinem effusum, in cibum et potum spiritualem. Ut sit sensus, vel enunciative, Panis hic quem fregi, est corpus meum fractum; et Poculum, seu id quod est in poculo, est sanguis meus effusus, adeoque quod dedi vobis et jussi estis accipere, edere et bibere, est corpus et sanguinem meum dare et accipere, edere et bibere.

XLIII. Illa porro verba quod variis interpretationibus obscurentur, aliis συνουσίαν, Consubstantiationem, aliis μετουσίαν, Transubstantiationem hinc exstruentibus, pressius ad simplicis veritatis assertionem consideranda sunt. Ac primum enunciati hujus Subjectum, nempe Hoc. Inde Praedicatum, videlicet corpus et sanguis, atque utriusque declaratio. Tertio Copula seu vinculum, est. Quarto tota Enunciatio. Postremo, ratiocinativa particula, enim, nexusque horum verborum cum praecedentibus.

XLIV. Subjectum itaque est τοῦτο, Hoc, adjectivum de-

monstrativum, (quod quasi intento digito rem revera existentem et praesentem notat) neutrius generis, quod substantivum ad quod refertur, deposcit, et saepe adjunctum habet, ut Pascha hoc, genimen vitis hoc, Matt. 26. At hic cum priore membro non dicatur οὗτος, scilicet panis, sed τοῦτο, reddi potest in utroque membro, hoc est caro seu corpus, et hoc est sanguis. Graeci enim et Latini ut neutra absolute ponunt, sicuti Hebraei feminina, ita et demonstrativum, ut sit haec res. Quod maxime usum habet cum demonstrativum est insuper Relativum ad antecedens nomen vel factum ut Exod. 8, 18. Digitus Dei est hoc. 1 Pet. 2, 19. Hoc est gratia Dei. Luc. 22, 17. Hoc accipite, et 19. hoc facite. Vel referunt suppositum ad oppositum, ut loquuntur Grammatici, in eodem genere, ut et Hebraei. Virgil. Sed revocare gradum, etc. hoc opus, hic labor est. Joh. 17. Cognoscere verum Deum, haec vita aeterna est. Itaque quoque dici potest, hoc est corpus meum, hic est sanguis meus. Ceterum Hebraei loco demonstrativi pronominis hic utuntur saepe demonstrativo adverbio הן et הנה hen et hinne, id est, en et ecce. Sic Paulus Hebr. 9, 20. illud Mosis Exod. 24, 8. Ecce sanguis foederis, interpretatur, Hoc, vel hic est sanguis Testamenti. Joh. 19. Ecce mater tua, ecce filius tuus, id est, haec, scilicet Maria, est mater tua; hic, vid. Johannes, est filius tuus.

XLV. Significat igitur Hoc, idem quod haec res, cujus ante facta est mentio, scilicet hic panis et hoc vinum, quasi intento digito illis demonstratis et ad ea relatis, ita ut subjectum propositionis indicetur. Primo enim Lucas et Apostolus diserte ajunt, hoc poculum, ita tamen ut continens pro contento, vulgata et trita loquendi ratione in omnibus linguis, usurpetur: dicitur enim, Bibite ex hoc omnes, et, Non bibam ex genimine vitis.

XLVI. Deinde id intelligitur quod Jesus accepit in manus, benedixit, cum accusativo Hebraice, fregit, dedit Discipulis, quodque accipi bibique jussit: at id fuit panis et vinum, ut Grammatica constructio exigit. Verba namque illa omnia cum sint transitivae significationis, quartum casum deposcunt et eum referunt, qui eo loco alius non est. Accedit immota ratio Logica. Propositio est, debetis edere et bibere hoc, quarto casu,

id est, panem et vinum, quia hoc, est corpus et sanguis meus. Alias ratiocinatio quae indicatur particula Enim, consistere non posset, si alio referretur, neque nexus terminorum foret. Denique Paulus 1 Cor. 10. omnem controversiam tollit, dum inquit, Panem quem frangimus, et poculum benedictionis cui benedicimus, nonne est communio corporis et sanguinis Christi, quia unus panis unum corpus multi sumus: nam omnes de uno pane participamus. Et 1 Cor. 11. Quotiescunque ederitis panem hunc, et poculum hoc biberitis. Quibus evincitur, per hoc et hic demonstrari panem et vinum, et quidem utrumque verum.

XLVII. Insulsum ergo est, eo quod non sit οὗτος, sed τοῦτο, id referre, ut Carolstadius commentus est, ad σῶμα, corpus in mensa residens, et quod Apostoli oculis suis cernebant, quum post dicatur, Hoc poculum est Novum Testamentum, etc. Quod sane nihil aliud est quam subjecti et Sacramenti rationem evertere. Perversio similiter terminorum est, propter articulum τὸ additum ad σῶμα, quod subjectum notat (utpote Joh. 1, 1. θεὸς ἦν ὁ λόγος, Deus est verbum, et 4, 24. πνεῦμα ὁ θεὸς, Spiritus est Deus) cum Swencfeldio ita verba construere, corpus meum est hoc, puta quod panis fractus et comestus, seu cibus spiritualis et coelestis, ita ut non demonstret externum panem, neque indicet quid sit panis, sed quid sit corpus Christi, quod et adducit illud Joh. 6. Panis quem ego dabo, caro mea est, et caro mea vere est cibus, etc. Nam τοῦτο, articulum includit, et in sequenti membro est, τοῦτο τὸ ποτήριον, cum articulo. Apud Johannem vero panis vox metaphorice accipitur. Quamvis non diffiteamur, etiam hic in voce panis Metaphoram, licet non immediate, comprehendi: et sane reciprocae hae propositiones sunt.

XLVIII. Neque cum Pontificiis transubstantiatoribus per Hoc, intelligitur individuum vagum, ut Thomas vult. Nam Hoc, aliquid certum et praesens demonstrat. Aut aliquod singulare seu individuum generalioris substantiae, quod cum praedicato idem referat, seu pro eodem, ut loquitur Scotus, supponat, sic ut non differant inter se quae significantur per subjectum et attributum, nisi varia concipiendi ratione, ut sit sensus, Hoc contentum sub speciebus panis et vini, est cor-

pus et sanguis meus. Nam ita identica fuerit re ipsa enunciatio et signi eversio. Aut etiam id quod panis et vinum ante fuit. Nam prolatis demum verbis, ex vulgari Pontificiorum sententia, panis et vinum fit, et sic est corpus et sanguis Domini. Nec denique species seu accidentia panis et vini, nempe color, odor, sapor, figuraque, sine subjecto proprio et in aere pendula, nam id revera est, veritatem signorum tollere et phantastica ac delusoria supponere.

XLIX. Neque cum Consubstantiatoribus seu Impanatoribus (in quam sententiam Scholastici complures, ut Scotus et Aliaco, etc. inclinant, eam amplexuri nisi eos Lateranensis Synodi, habitae anno 1215. auctoritas retinuisset; unde et eam mutuatus est Lutherus) per hoc significabitur, in, cum, aut sub hoc, seu hic, id est, panis et corpus, vinum et sanguis: quum panis non sit suscipiendo corpori idoneus, neque corpus illud subire possit, utroque compacto et inaequali, et vinum non sit aliquid sub quo aliud liquidum latere possit, utroque suo termino defluente, et sese inter se commiscente. Quin quod hic non attendatur rei sub alia comprehensio, sed significatio et exhibitio, id est, non ubi aut sub quo sit corpus et sanguis Domini, quod est, ex subjecto praedicatum et vice versa facere, sed quid sit panis et vinum illud.

L. Attributum est corpus et sanguis Christi, id est, ejus caro et cruor, quae sunt mortui, ut est Joh. 6. Syrus utrobique reddit פגרא, pagra, id est, cadaver. Atque hic quidem dicitur, Testamenti seu Foederis. Testamento pro foedere ex LXX interpretatione posito, ut conjugata vox διατίθεσθαι pro pacisci usurpatur. Luc. 22, 29, 30. quamvis hic intelligatur foedus testamentale, cui utrique mors ad confirmationem utriusque intercedit, illic victimae (unde, icere, ferire foedus dicitur) hic Testatoris, quo alludit Apostolus Hebr. 9, 16. Ac novi, veteri ei opposito: illo consistente quidem in reconciliatione Dei irati et hominum miserorum, promissioneque salutifera, per Christi exhibiti proprium sanguinem, non alienum, ut erat Veteris Testamenti. Sanguis ergo Novi Test. est quo illud pactum sancitumque fuit. Vel Novum Testamentum in sanguine Christi, ut Lucas et Paulus habent, eadem, id est, Hebraeorum usitata locutione, quibus particula in instrumentum modumque notat, scilicet sanguine stabilitum: quae

promiscue ab Evangelistis usurpantur, quod sanguis et Nov. Test. conjunctissima sint.

LI. Sanguini autem potius hoc additur quam corpori (non enim dicitur corpus Novi Test. aut Novi Test. in corpore) non quod utrumque non concurrat ad Novi Test. rationem. Nam foedus et immolatione corporis sancitum fuit: sed quod extrema Christi passio et mors in sanguinis effusione evidentior sit. Et sane allusio facta est ad verba Mosis, Exod. 24. repetita a Paulo Hebr. 9, 20. Ecce sanguis foederis quod pepigit vobiscum Deus.

LII. Exegesis seu explicatio utrique attributo adjicitur; de corpore suo quidem, quod pro vobis datur, id est, tradetur, ut Joh. 6, 51. praesenti pro paulo-post-futuro, ad instans tempus et certitudinem rei et fidei indicandam, consueto loquendi genere, Joh. 10, 17. Luc. 22, 22. in mortem scilicet, et ut Paulus, frangitur, methaphorice, id est, affigetur, immolabitur, et perimetur, separatione animae a corpore: in quo allusio est ad fractionem panis. De sanguine vero, qui pro vobis effunditur, eadem temporis enallage, scilicet in cruce non in poculo, quamvis Lucae verba, si constructionem spectes, referantur ad poculum, sed si rem, ad sanguinem, ita ut soloecophanes sit, qui tamen Hebraismus in Scriptura non est insolens, ut Luc. 5, 9. etc. idque pro vobis et multis, credituris videlicet: in remissionem peccatorum, sine effusione sanguinis enim non fit remissio, Heb. 9, 22. Atque id ab hoc membro, pari ratione, etiam ad alterum referendum est.

LIII. Ergo verum, naturale corpus, quod mensae accubuit cum discipulis, mox prehendendum, crucifigendum, morti tradendum, et sanguis qui tum quidem erat in venis, at mox effundendus, intelligitur. Non itaque corpus metaphoricum, incircumscriptum, phantasticum, spirituale, invisibile, impalpabile, illocale, imo ut consubstantiatores volunt, ubiquitarium et impanatum, et ut transubstantiatores, ex pane transubstantiatum, id est, corpus non corpus.

LIV. Ceterum quamvis in Scriptura Sacra corpus et sanguis (sanguine pro anima quae in sanguine est, Gen. 9, 4. accepto) interdum pro toto homine sumantur, Hebr. 2, 14. imo pro Filio Dei incarnato synecdochice, seu persona Filii Dei, Joh. 6, 53. (quo significabitur, totum Christum se totum nobis exhibere,

et nos totos cum eo communionem habere), tamen his non unicus et proprius ejus locutionis finis est. Equidem tum corpus et sanguis ut partes totius conjunctim, non disjunctim, ut hoc loco fit, considerantur.

LV. Consideratur ergo Christus hic non simpliciter et absolute ut homo, et is θεάνθρωπος, sed sub certa notione et qualitate, videlicet ut homo humilis, et quidem in extremo humilitatis actu, id est, ut crucifixus et mortuus: non autem ut vivus et gloriosus, id est, nullis amplius afflictionibus, mundanisque affectionibus et morti obnoxius, adeoque non devocandus ad humilia haec mundi elementa, Rom. 10, 6.

LVI. Id autem evidentibus hisce rationibus comprobatur. 1. Quod disjunctae natura, situ et loco accipiantur a Christo species, panis scilicet et vinum, neque ille intinctus, sed siccus, ad designandam corporis et sanguinis disjunctionem. 2. Quod et corpus et sanguis sic disjuncta proponantur, quae in statu vitali et glorioso conjuncta sint. 3. Quod dicatur de ipso corpore, quod pro vobis datur aut frangitur, item de sanguine, qui effunditur, ita ut corpus exsangue, et sanguis extra venas, quae caro et cruor Latinis dicuntur, indicetur. 4. Quod sanguis Testamenti seu foederis appelletur, seu Testamentum seu foedus in sanguine, adeoque effusione sanguinis et morte confirmatum. 5. Quod consideretur ut sacrificium, quod est animantis mactati et mortui. 6. Quod caro et sanguis hic praebeantur ad integrum convivium, id est, esum et potum spiritualem. Dicitur enim de pane quem dixit suum corpus, Edite, et de vino quem suum sanguinem, Bibite. At vero nemo edit integrum aut vivum animal, sed mortuum, neque quisquam bibit sanguinem qui in venis, sed saltem effusum. Denique quod Christus id fieri jubet ad suam recordationem, quod Apostolus interpretatur de morte ejus, 1 Cor. 11, 26. Mortem, inquit, Domini annunciabitis donec veniat.

LVII. Quare Pontificii aliique praeter et contra mentem Christi, hic Christum considerant promiscue, tum humilem, tum gloriosum; cum glorioso statui non conveniat Christum ad terram et elementa infirma mundi rursus traducere. Quin sibi ipsis facto suo contradicunt, quum obliis seu oblatis suis imaginem Christi crucifixi imprimant.

LVIII. Denique ita intelligitur Christus ipse, et quidem humilis et mortuus, ut una cum ipso mortis ejus merita, beneficiaque et dona, virtus, efficacia, remissio scilicet peccatorum, justitia et vita aeterna, comprehendantur, Joh. 6, 51. 52. 53. 54. Unde subjicitur, quod datur et frangitur, atque effunditur in remissionem peccatorum, sic et Matt. 26, 29. Luc. 22, 29. 30. Tria enim haec conjungenda sunt inseparabiliter, Christus, mors ejus et parta beneficia et horum efficacia. Unde non satis plene veritatem tradunt, qui per corpus et sanguinem meritum et efficaciam tantum interpretantur.

LIX. Copula, seu vinculum quo praedicatum subjecto nectitur, est verbum substantivum ἐστὶ, est. Hebraei cum praesenti participio, quod illis loco praesentis verbi est, in voce היה, haja, destituantur (nisi quod יש, jeesch, aliquando usurpent) illud subintelligunt, aut utuntur ejus vice pronominibus, ac pro tertia persona הוא, hu, ipse, nempe, hoc ipsum corpus meum, quod valet, est. Lucas quoque idem verbum in altero membro, de poculo omittit, quod et Latinis in usu, dum praeponitur vox demonstrativa. At Paulus explet. Atque hujus usus cum sit subjectum cum praedicato taliter conjungere in enunciato, qualiter inter se affecta sunt, hoc modo neque tropice accipietur. Indicat autem praesenti tempore, quid res sit, ejusque praesentem existentiam, non quid fiat, ullamque rei actionem aut passionem: quod per fiat, seu esto, et factum est, indicatur, Matt. 4, 3. Joh. 2, 9. ita ut sit, Panis est, id est, vere existit corpus meum, etc.

LX. Quapropter certe Pontificii ineptiunt, qui vocabulo, est, practicam seu ἐνεργητικὴν, id est, operatoriam vim attribuunt, ac re ipsa, est, interpretantur, transubstantiatur: et alii, consubstantiatur, vel conjungiter seu unitur sacramentaliter, quod esse volunt, non modo realiter, sed et substantialiter: cum sit sermo de esse, non de fieri.

LXI. Tantum de singulis vocibus, ex quibus enunciationes hae existunt: sunt autem eae, quatenus externus sermo spectatur, figuratae seu tropicae, ut ex nexu praedicati ad subjectum apparet. Non quod tropus sit in integra sententia (nam tropus vocis est) sed est intregrae sententiae. Voces enim per se tropicae non sunt, sed in sententiam conjunctae, unde resultat tropus. Aliud enim est causa tropi; aliud sedes. Tria

hic consideranda sunt: Primo, an in istis verbis Domini sit tropus. Deinde ubi is sit, seu quae sit sedes tropi. Denique quis, qualisque sit.

LXII. Tropum quidem esse, confirmatur a causa tropi, ac primum a subjecti ratione. Subjectum enim sunt panis et vinum, non corpus aut sanguis Domini sub speciebus istis, ut Papistae volunt, aut sub, cum, in, pane et vino, ut ex Cameracensi Lutherus; ut ante probatum est, de quibus proprie dici non potest, quod sint corpus et sanguis Christi, quoniam implicaretur contradictio. Sunt enim disparata, quorum unum alterum, ne per omnipotentiam quidem Dei, ut ait Scotus, esse potest, aut proprie de se mutuo praedicari.

LXIII. Deinde a praedicato, corpus enim et sanguis hic sunt corpus fractum et sanguis effusus, id est, Christus humilis et mortuus, et quidem qua talis, qualis nondum erat, et nunc amplius non est, nec esse potest. Non enim amplius moritur. At vero nihil mutari potest in id, aut substantialiter conjungi cum eo, ac proinde proprie dici, quod reipsa tale nondum erat, nec amplius est, aut esse potest. Alias implicaretur contradictio. Idem enim ipse esset talis, et non talis, puta humilis et gloriosus, mortuus et vivus. Quare impropria est locutio, et vera, illis per intuitum rei futurae, nobis per recordationem rei praeteritae.

LXIV. Quin quod poculum, id est, id quod in poculo, dicatur Testamentum seu foedus, vel foedus Testamentale in sanguine, quod de calice seu vino dici non potest, imo ne de sanguine quidem quod proprie sit testamentum seu foedus: sunt enim diversarum Categoriarum. Similiter Apostolus 1 Cor. 10. Panem et vinum vocat communionem corporis et sanguinis Christi, et quod unus panis et unum corpus multi sumus, simili ratione loquendi. Tropus itaque manifestus est.

LXV. Accedit, quod Christus jubet id fieri ad suam recordationem ac memoriam; et Apostolus, Mortem Domini annunciate, donec veniat. Quod sane non diceretur, si panis et vinum, aut sub eorum speciebus proprie et substantialiter esset corpus et sanguis Domini; cum memoria rei praesentis non sit, neque venturus dicatur qui substantialiter praesens est.

LXVI. Denique usitatissima in Sacramentis haec tropica phraseologia est. Ita dicitur, Circumcisio est pactum Dei, quae mox signum foederis, Gen. 17. et Apostolo signaculum justitiae fidei, Rom. 4. Agnus mactatus est phase seu transitio, Ex. 12. Petra ex qua bibebant Israëlitae, erat Christus, 1 Cor. 10. ubi comparatio instituitur cum Coena Domini, etc.

LXVII. Patres hic etiam consentientes habemus, qui ajunt esse panem et vinum suo more, Prosp. in Sentent. quodammodo, Augustin. in Ps. 33. juxta quendam modum, Idem epist. 23. ad Bonif. quasi et tamquam, corpus et sanguinem, Chrysost. de Eucharistia in Encaen. et Homil. 84. in Johan. et mysterium seu sacramentum, Chrysost. opere imperfecto Homil. 11. Non verum, inquit, corpus, sed mysterium corporis. August. ad Bonif. 23. Epist. typum seu figuram, Tertul. con. Marc. Lib. 4. August. ad Ps. 3. Ambros. de Sacram. Lib. 4. cap. 5. Antitypum seu Exemplar, Nazianz. in Apolog. Basil. in Anaphora Syra, Macar. Hom. 27. Symbolum; Dionysius, Clemens Alexand. Origen. Theod. Dial. 1. Signum, August. cont. Adimant. cap. 12. Imaginem et similitudinem, Gelas. cont. Eutych. Pignus, Hier. in ad 1 Cor. 11. corporis et sanguinis Domini. Quin esse corpus et sanguinem in mysterio, Prosp. in Sentent. Non rei, inquit, veritate, sed significante mysterio, In signo seu per signum. August. contra Adim. cap. 12. significatione vel per significationem. August. in Levitic. q. 57. Similitudine, Ambros. de Sacram. Lib. 4. cap. 5. Appellatione, Chrysost. ad Caesar. Monach. Praeterea signare vel significare, Ambros. ad 1 Cor. 11. repraesentare, Tertul. con. Marc. Lib. 4. corpus et sanguinem, etc. et diserte Augustinus Lib. 3. cap. 16. de doctr. Christ. et alii Patres figuratam et allegoricam, ut Clemens Alexand. August. de Doctr. Christ. locutionem esse dicunt.

LXVIII. De sede tropi, inter Orthodoxos sententiarum variatio est, quamvis in summa rei fere conveniant. Quidam in nulla parte, neque in subjecto, neque praedicato, neque in copula tropum esse volunt. Singula enim haec proprie accipi: at praedicationem esse figuratam. Ita post Zanchium Beza. Quin Crellius figuratam propositionem Logicam Rhetoricae opponit,

atque illam toto enunciato, hanc voce definit. Sed cum Logica mentis et internae rationis, non sermonis sit, ejus figurata praedicatio nulla est, sed figura Rhetoricae elocutionis tantum. Et quamvis ejus causa ab attributione sit, sedes tamen in parte aliqua et certa est.

LXIX. Alii ergo statuunt tropum in subjecto, seu in voce demonstrativa Hoc, ut Bucerus, ita ut eo significetur panis cum corpore, et vinum cum sanguine, propter unionem sacramentalem, qua tamen non necesse sit utrumque praesens substantialiter constitui, sed realiter tantum; ita ut sensui panis et vinum, menti corpus et sanguis Domini demonstretur. Atque ita fieri ajunt in omnibus locutionibus, quibus per signa res insensiles aut absentes promittuntur et exhibentur. Fuerit itaque sensus: Hoc, quod do vobis hoc signo, est corpus meum, etc. At nulla est ante facta corporis mentio, ut per Hoc demonstretur, et unionis illius declaratio per haec verba primum fit.

LXX. Alii in voce Est, pro significat, sumpta; ita post Honium Batavum cui praeiit ad hanc sententiam Zwinglius. Et sane, est, inter alias significationes pro significat non raro accipitur, ut quum vocabula de una lingua in alteram interpretantes dicimus, id est, quod valet, significat, Matt. 1, 23. Et de rebus, Septem spicae et septem boves septem anni sunt, Gen. 40, 13. 19. et 41, 26. Semen est verbum Dei, ager est mundus, Matt. 13, 37. 38. Septem stellae sunt septem Angeli. etc. Aquae multae est populus multus, Apoc. 1, 20. et 17, 15. Item pro simili esse, ut, Ego sum panis ille, vera vitis, ostium, Johannes est Elias, Herodes est vulpes. Ubi metaphora est in praedicato. Quo etiam referunt sacramentales illas locutiones, Circumcisio est foedus, Agnus est transitus, Petra erat Christus, Calix est novum Testamentum. Veruntamen haec non tantum significationem et similitudinem, sed quoque obsignationem, et exhibitionem afferunt. At, est, tum partim praedicati, partim copulae rationem habet, ut ex vocis resolutione patet.

LXXI. Alii denique in voce corporis et sanguinis cum Oecolampadio, tropum collocant, ac tum, est, tantum erit vinculum, ac sensus erit, panis et vinum est symbolum, signaculum, obsignatio, pignus, arrhabo, exhibitio corporis et sanguinis. Quae

sententia hoc firmissimo argumento comprobatur: In quamcunque partem analysis seu resolutio tropicae locutionis in propriam cadit, in ea est tropus: at vero ea incidit in vocabula corporis et sanguinis, recto casu in obliquum mutato. Ut enim Circumcisio est foedus, resolvitur in eam, est signum foederis: Ita Panis et vinum est corpus et sanguis, in eam, est communio corporis et sanguinis Domini, non qua panis, sed qua fideles communionem habent cum corpore Christi. Ergo in praedicato recte constituitur tropus.

LXXII. Non tamen inde consequitur, veritatem corporis et sanguinis Christi e Coena tolli, et tropicum ac symbolicum corpus sanguinemque induci, contra illud, Hoc est corpus meum quod pro vobis frangitur; hic est sanguis qui pro vobis effunditur: quod quidem argumentum post Scotum Pontificii, et qui a Luthero, ut palmarium urgent. Sed aliud est, tropum esse in voce corporis, et aliud, corpus esse tropicum; aliud symbolum corporis, et aliud corpus symbolicum. Illud veritatem corporis relinquit, hoc tollit. Et sane hujusmodi tropo non negatur, quod est, sed ei aliud praeterea adsignificatur, atque utrumque complectitur. Unde Cajetanus in Thomam ad Scoti argumentum recte respondet, verum corpus non tolli, etiamsi tropus statuatur, ut, cum dicitur, Petra erat Christus, id est, symbolum veri Christi, nascituri ex Maria virgine, crucifigendi, occidendi, etc. Ita et hic; aliud enim est quaerere quale sit praedicatum, et aliud quomodo illud subjecto insit.

LXXIII. Tropi autem genus, hinc quoque clarum est, esse videlicet metonymiam, quam et Augustinus agnoscit, signato pro signo insuper posito, et quidem analogico, id est, proportionatam similitudinem gerente ad rem significatam. Nam, ut inquit Augustinus, nisi sacramenta similitudinem haberent earum rerum quarum sunt Sacramenta, ne sacramenta quidem essent. Neque id solum, sed sunt signa hujusmodi, quibus praesentia, conjuncta et unita suo modo sunt (nempe sacramentaliter, id est, realiter quidem, puta σχετικῶς, respective, non autem substantialiter) res significatae, corpus et sanguis Domini; imo mutantur, ut Patres loquuntur, non ipsa substantia et natura, sed conditione, usu et officio. Quinimo sunt quasi vehicula, instrumenta, per quae exhibetur seu offertur omnibus, credentibus vero confertur, datur,

et a fidelibus sumitur ipsissimum corpus et sanguis Christi; quod proprium ac nativum Sacramento est. Quali phrasi Apostolus dicit, Evangelium esse potentiam Dei ad salutem omni credenti, et, panem quem frangimus, id est, fractionem panis comestionemque esse communionem corporis Christi.

LXXIV. Unde Christus potius dixit, Hoc est corpus meum, et Hic est sanguis meus, improprie pani et vino attribuens nomen corporis et sanguinis; idque in eo quod quid est, quasi essentialis enunciatio foret, quam proprio genere locutionis uti voluit, nempe propter claram significationem, summam similitudinem et analogiam horum signorum ad rem significatam, obsignationem, confirmationem, certitudinem, certiorationem, exhibitionem et collationem per haec signa rei significatae, (habent enim verba haec inclusam promissionem rei a Deo factam et externis signis additam, quae a parte Dei omnibus offertur, ex parte nostra fide accipitur) quam sententiae emphasin et ἐνέργειαν ulla qualiscunque propria enunciatio vix assequitur. Atque in hac Sacramentali σχέσει et habitudine Coenae Dominicae Forma essentialis consistit.

LXXV. Quare Pontificii Transubstantiatores aliique Consubstantiatores qui propria haec esse enunciata asserunt, graviter falluntur. Neque ipsi revera hoc dicunt quod Scriptura dicit, ut ipsorum interpretatio indicat. Non enim quaeritur quid fiat ex pane, aut ubi sit seu delitescat corpus et sanguis Christi sive sub nudis speciebus, sive sub pane et vino, quod reipsa est ex praedicatis subjecta facere. Deinde cum per hoc, aut species aeternas panis aut vini, ut illi, aut panem et vinum, ut hi, intelligant, et sub iis, ut contenta, corpus et sanguinem Domini comprehendant, in subjecto necessario tropum synecdoches inducunt. Denique cum illis ipsis praeterea signorum rationem, sine qua nihil sacramentum est, attribuant, quod sine certis verbis institutionis (sunt enim signa ex instituto) significandi actum declarantibus fieri nequit, quae non sunt alia etiam ex ipsorum mente quam, Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus, ut adaequata sit praedicati ad subjectum ratio, velint nolint, in praedicato metonymiam agnoscere necesse habent, nisi omnem rationem sacramenti ac signi evertant.

LXXVI. Postremum in hisce verbis Christi, est αἰτιολογία,

nexus harum enunciationum ad praecedentem jussionem, qui per enim ratiocinativam particulam explicatur: quae quidem in priore de pane enunciato omittitur, in altero vero de calice exprimitur, unde et illic supplenda est, ut fecit interpres. Dixerat Christus, Edite hunc panem, et bibite hunc calicem, seu Hoc, accusativo casu, quia hoc, nominandi casu, est corpus et sanguis meus, ubi, Hoc, utrobique idem notat, ut terminorum in syllogismo sit nexus: ideoque edite et bibite hoc, quia hoc edere et bibere est corpus meum edere et bibere. Atque ita mysterii hujus sublimitas et necessitas declaratur.

LXXVII. Quod autem inde inferunt, ergo ore editur corpus, et sanguis Domini bibitur; quia oralis manducatio et bibitio praecipitur ejus, quod corpus et sanguis Domini est (quod palmarium argumentum est pro orali manducatione et bibitione) neutiquam consequitur, sed id tantum; panem comedi et vinum bibi (ut illud syntaxis exigit; nullus enim alius casus accusativus est, cum quo, edite, construatur) quae sunt suo modo, corpus et sanguis Domini. Quin ad omnes istas actiones et Christi, et discipulis praescriptas, aliud sensui, aliud menti, metaphorice et synecdochice intenditur et praecipitur. Ut enim panis et vinum dicitur corpus et sanguis Christi, ita accipere, edere panem hunc, et vinum hoc bibere, ita corporaliter accipienda sunt, ut et spiritualiter intelligantur.

LXXVIII. Restat νομοθεσία, legislatio, universae in postremum Ecclesiae facta, et in perpetuam legem sancita, hisce verbis, Hoc facite in mei recordationem, quod ad prius enunciatum habet Lucas, ad utrumque Paulus, qui posteriori praeterea addit, quotiescunque biberitis; unde ad prius similiter explendum, quotiescunque ederitis.

LXXIX. Alloquitur porro Christus Apostolos in sacra illa actione, tum ut pastores, et mysteriorum suorum dispensatores, ejusque personam sustinentes, tum ut universum coetum fidelium repraesentantes, quod jubet Hoc facere. Ubi Hoc, non refertur ad corpus et sanguinem, et ad illud quod se passurum dixerat: sed ad id omne quod fecerat Dominus circa panem et poculum; ad totum, inquam, antecedens, videlicet quod me convivatorem vidistis facere, id quoque vobis convivis faciendum praecipio.

LXXX. Facite ergo Vos, ut ministri mei, Hoc, id est,

perpetuo ritu accipite panem, benedicite panem seu pani, eumque frangite, date et dicite meo nomine, Hoc est corpus meum seu Christi; itemque calicem, etc. facite similiter vos communicantes, Hoc, id est, accipitote, editote, bibitote; quod patet ex eo quod Paulus ea non ad solos Pastores, sed imprimis ad universam Corinthiorum Ecclesiam accommodat, dum facere interpretatur, edite et bibite, cum Christi verba ita recenset, Hoc facite, quotiescunque biberitis, etc. et ἀναλόγως, quotiescunque ederitis, quod ex aetiologia subjecta magis patet, Quotiescunque enim ederitis et biberitis, etc. Et ex conclusione, Itaque quicunque ederit et biberit, etc. In quo necessitas obsequii omnibus fidelibus imperatur, et Ecclesiae libertas in Coenae Dominicae frequentatione ostenditur.

LXXXI. Unde sane apparet, quam Papani ineptiant, qui in hisce verbis sacrificii Missatici fundamentum ponunt, facere pro sacrificare accipientes, quod et Graecis ποιεῖν θυσίαν, et Latinis facere seu operari ita sumatur, ut, Cum faciam vitula, etc. Virg. At tum jungitur cum ablativo rei: Hebraeis vero, cum accusativo casu, rei quae in sacrificium offertur, Numer. 28, 4. additoque fine, in sacrificium. Verum phraseologia haec, Hoc facite, nunquam illo sensu accipitur, sed semper demonstrat antecedentem actum, scilicet, quod me facere vidistis. Et sane non tum se obtulit Christus sub speciebus panis et vini, sed se offerendum dixit. Alias bis se obtulisset, semel in pane et vino, et iterum in ara crucis: quod absurdum est.

LXXXII. Huic porro mandato, additur universalis Coenae Dominicae, ut administrandae et usurpandae, Finis, in mei ἀνάμνησιν, Commemorationem seu recordationem, quod Paulus interpretatur, in meae mortis memoriam. Quotiescunque, enim inquit, ederitis panem hunc, et poculum hoc biberitis, mortem Domini annunciabitis, i. celebrabitis cum fidei professione, et gratiarum actione, donec veniat, id est, rursus appareat judicaturus vivos et mortuos. Quo ultimo adventu circumscribit durationem seculi atque perpetuum Coenae Dominicae usum fore declarat. Cum quo fine et alter illustrissimus conjungendus est, Unio scilicet et communio cum Christo, ac participatio omnium beneficiorum ejus, quem Paulus explicat, 1 Cor. 10, 16. 17. quia, inquit, unus panis, unum corpus multi sumus; et cap. 12, 13. Et om-

nes una potatione potati sumus in unum spiritum.

LXXXIII. Ceterum, ut haec mortis Christi recordatio et annunciatio ejus Finis est, ita ab Apostolo Paulo, dignus ejus usus praeeunte probatione sui cujusque definitur, scilicet an sit in fide, 2 Cor. 13, 5. et seria resipiscentia afficiatur, secundum illud Pauli, Probet vero seipsum homo, et ita de pane isto edat et de calice isto bibat. Qua privata exploratione sui, ab aliis et publica non tollitur, sed confirmatur. Contra abusus est, atque indigne edit et bibit, qui non discernit corpus (adeoque et sanguinem) Domini, vers. 29. id est, symbola utraque, panem hunc et calicem hunc, quae σχέσει sacramentali corpus Domini et sanguis ejus sunt, a vulgari pane et vino, eorumque sumptionem inter se non discriminat, sacrum scilicet a profano, secundum illud vers. 34. Quod si quis esurit, domi edat, ne ad condemnationem conveniatis: ipsumque adeo corpus quod offertur, revera contemnit et ignominia afficit; ac proinde ob atrocem Christo ita illatam injuriam, reus fit corporis et sanguinis Domini, vers. 27. et, sibi ipsi judicium edit et bibit, id est, judicii poenam, in Dei flagellis et morte ipsa sibi accersit, vers. 29. 30.

LXXXIV. Subjicitur inde a Matthaeo et Marco, Christi de abitu suo, et nova coelesti vita, in qua illos habiturus consortes, monitio, dum ait, Dico autem vobis, non bibam ab hoc tempore ex fructu vitis, usque ad diem illum quum ipsum bibam vobiscum novum in regno Patris mei. Quae verba apud Lucam ad Paschale convivium referuntur. An vero suo ordine et loco ab illis recenseantur, aut bis a Christo repetita sint, incertum est. Saltem κοινῶς et ἀναλόγως ad utrumque, et Paschale et Sacramentale convivium referenda sunt.

LXXXV. Quod hic in Matthaeo et Marco est, autem, in Luca est, enim, ut ratio reddatur, quare illud poculum illis exhibeat ἀπολυτικόν. Per, genimen vitis, paraphrastice intelligitur vinum, qualiter hic dicitur etiam post consecrationem et sumptionem. Quin et idem ἀναλόγως de pane intelligitur, ut ex Luca evidens est. Praeterea non amplius ex hoc (εἰδικῶς) editurum et bibiturum se dicit ἀπὸ κοινοῦ, ex subsequente verbo, vobiscum, repetito. Biberat ergo ipse cum iis, et

praegustaverat, antequam ea exhiberet suis. Voluit enim ipse ita Sacramentum hoc, ut ante Baptismum, in se initiare et consecrare. Quod et singularem, puta mortis, in eo habuit significationem, Matt. 20, 22. et 26, 39. Joh. 18, 11. Terminum deinde ponit abstinentiae illius, dum ait, ab hoc tempore, seu amplius. Bibit quidem post resurrectionem cum Apostolis, Act. 1, 4. et 10, 41. at οἰκονομικῶς, non consueto vitae praesentis more, sed ad fidem resurrectioni faciendam. Repetitionem vero indicat, dum inquit, usque dum bibam illud novum, id est, aliud. Sic linguae novae Marc. 16, 17. Lucae aliae dicuntur, seu diversae a consuetis. Intelligitur autem illi simile, et a proprio ad Metaphoricum transit, ita ut sit idem et non idem, qualiter saepe facit Christus Joh. 3, 13. et Joh. 6, 27. 32. etc. Additur vobiscum, illis ascitis in eandem conditionem et fruitionem beatitudinis, bibitione significatae: idque in regno Patris mei, a regno gratiae illos subducens ad regnum gloriae, et Finem Sacramenti hujus extremum declarans, Luc. 22, 29. 30.

LXXXVI. Denique subtexitur gratiarum actio, et cum hymnum cecinisset, abiverunt in montem Oliveti: Intellige Christo praecinente et Apostolis concinentibus. Quis ille hymnus fuerit, non refertur. Burgensis notat fuisse Psalmum 113. cum 5. seqq. qui vocantur ab Hebraeis etiam hodie, magnum Halleluja, id est, hymnus magnus, quem in solennibus festis, imprimis Paschae, in memoriam Aegyptiacae liberationis cantare solebant. Quid si ad praeclaram illam precationem Joh. 17. referamus? Certe Christus et incipiens et finiens hanc sacram actionem, gratiarum actione, exemplum Ecclesiae in Sacramenti hujus praxi seu usu reliquit.

LXXXVII. Atque haec nostra de Coena Domini ex verbo Dei plana et plena sententia est: qua integritatem et veritatem signorum et rei significatae, eorum conjunctionem et unionem σχετικήν, usum item et efficaciam, explicuimus et asseruimus. Quae modestis ingeniis sufficere, consolationi fidelium servire, controversiaeque inter fratres modum ponere poterunt, si absit praejudicium et contendendi studium, quae Ecclesia Dei non habet, 1 Cor. 11, 16. et pios non decent, Phil. 2, 3.

Clemens Alexand. in Paedag. Lib. 2. cap. 2.

Ipse quoque vino usus est, nam ipse quoque homo: et vinum benedixit, cum dixit, Accipite, bibite, hoc est sanguis meus. Sanguis vitis, Verbum, quod pro multis effunditur in remissionem peccatorum, sanctum laetitiae fluentem allegorice significat. Et mox: Quod autem vinum esset, quod benedictum est, ostendit rursum, dicens discipulis, Non bibam ex fructu vitis hujus, donec bibero ipsum vobiscum in regno Patris mei.

Cyprianus in Sermone de Unct. Christi.

Dedit Dominus in mensa, in qua ultimum cum Apostolis participavit convivium, propriis manibus panem et vinum, in cruce vero manibus militum corpus tradidit vulnerandum, ut in Apostolis secretius impressa sincera veritas, et vera sinceritas exponeret gentibus, quomodo vinum et panis caro esset et sanguis, et quibus rationibus causae effectibus convenirent, et diversa nomina vel species ad unam reducerentur essentiam, et significantia et significata ejusdem vocabulis censerentur.

Chrysost. ad Caesar. Monach.

Antequam sanctificetur panis, panem nominamus: divina autem illum sanctificante gratia, mediante sacerdote, liberatus quidem est ab appellatione panis, dignus autem est habitus corporis Domini appellatione, etiamsi natura panis in ipso permansit.

Rabanus Maurus de Institut. Cleric. Lib. 1. cap. 31.

Maluit Dominus corporis et sanguinis sui sacramenta fidelium ore percipi et in pastum eorum redigi, ut per visibile opus invisibilis ostenderetur effec-

tus. Sicut enim cibus materialis forinsecus nutrit corpus et vegetat, ita etiam verbum Dei intus animam nutrit et roborat. Et mox, Sacramentum ore percipitur, virtute Sacramenti interior homo satiatur: Sacramentum in alimentum corporis redigitur, virtute autem Sacramenti aeternae vitae dignitas adipiscitur, etc. Sicut ergo in nos id convertitur cum id manducamus et bibimus, sic et nos in Christi corpus convertimur dum obedienter et pie vivimus, etc. Ergo quia panis corporis cor confirmat, ideo ille corpus Christi nuncupatur: Vinum autem quia sanguinem operatur in carne, ideo ad sanguinem Christi refertur.

Christianus Druthmarus in Matth.

Dedit Dominus Discipulis suis Sacramentum corporis sui in remissionem peccatorum, et in conservationem caritatis, ut memores illius facti semper hoc in figuram facerent quod pro eis daturus erat, et hujus caritatis non obliviscerentur. Hoc est corpus meum, id est, in Sacramento, etc.

DISPUTATIO XLVI.

DE

Missae Sacrificio, ejusque abusibus.

Praeside D. JOHANNE POLYANDRO.

Respondente JOSUA a SONNEVELT.

Thesis I.

Pontificii loco Coenae ab ipso Christo institutae, nobis Missam obtrudunt. Quocirca sicut illam Augustinus in Johan. Tract. 26. Sacramentum pietatis, signum unitatis ac vinculum caritatis recte nuncupat, sic haec a contrario Sacramentum impietatis, signum Apostasiae, ac vinculum dissen-

sionis appellari potest: cum in ea Christi corpus fictitium ab hujusmodi idololatris adoretur, qui a prima Christi institutione Sacramentali, ut supra ostensum fuit, longissime recedentes, hujus suae idololatriae apostaticae reformatores odio Vatiniano oderunt.

II. Antequam de Missae idololatricae foedis abusibus disseramus, ipsius notationem ac definitionem examinabimus.

III. Pontificiorum alii vocem Missae Hebraeam, alii Latinam faciunt.

IV. Priores conantur probare vocem Missae haberi Deuter. 16, 10. atque oblationem voluntariam significare. Quorum sententiam duobus argumentis inepte refutat Bellarminus. Primum est, Si vox ista Hebraica in usu Apostolis fuisset, certe retinuissent eam etiam Graeci et Syri et aliae nationes, ut retinuerunt alias similes voces ut Amen, Alleluja, Sabaoth, Osanna, Satan, Sabbatum, Pascha: Vocabula enim Hebraica per Graecos ad nos devenerunt, cum ipsi etiam Apostoli, et primi Ecclesiae Doctores Graece scripserint. Porro apud Graecos nulla est mentio hujus vocis, Missa. Secundum est, Si vox esset Hebraica, non Missa sed Missah dicendum esset, quomodo tamen nemo scribit, aut loquitur, Bellarm. de Missa Lib. cap. 1.

V. His addendum est, nomen illud Hebraicum interdum masculino, interdum feminino genere usurpatum, aut pro tributo politico accipi, ut Exod. 1, 11. aut pro Ecclesiastico, nimirum primitiarum, quod ad Dei cultum in prisca Ecclesia conservandum, non a Sacerdotibus Leviticis, ut hodie Missa a sacrificulis Romanensibus, sed a ceteris tribubus populi Judaici olim offerebatur ut Deut. 16, 10.

VI. Nec omittendum, vocabulum מיסה seorsim consideratum, non, ut illiterati censent Pontificii, oblationem voluntariam significare, sed tantum oblationem, Deut. 16, 10. eamque non expiatoriam, qualem Missam suam asseverant, sed Eucharisticam. Quo etiam sensu Patres Coenam Domini εὐχαριστίαν vocarunt, quatenus scilicet, ea est sacrificii Christi semel in cruce peracti commemoratio, seu memoria cum gratiarum actione conjuncta, prout eam describit Augustinus Lib. 20. contra Faustum, Lib. de fide, ad Petr. Diac. Lib. contra advers. legis, et Lib. 10. de Civitate Dei, cap. 5.

VII. Fatemur Deum a populo Israëlitico exigere, Deut. 16, 10. oblationem voluntariam, vel, ut quidam verterunt, spontaneam, verum haec oblatio non una voce, sed duabus exprimitur, nempe מיסה ברכת, quas Arias Montanus et Pagninus transtulerunt, sufficientiam spontis, seu spontaneam, ex significatione Chaldaica, propterea quod in Targum pro Hebraeo רו vel די saepe מיסה Missah scribatur.

VIII. Posteriores, qui vocem Missae Latinam faciunt, non eodem modo eam exponunt. Alii enim, teste ibidem Bellarmino, Missam dici volunt, quod oblatio et preces ad Deum mittantur. Ita Hugo de S. Victore Lib. 2. de Sacramentis, part. 8. c. ult. Quod Bellarminus ab iis probabiliter, nos ficte et fallaciter dici censemus.

IX. Alii idcirco Missam vocari autumant, quod Angelus a Deo mittatur, qui sacrificio assistat, et illud ad Deum deferat, ut Magister in 4. distinct. 13. et Thomas 3. quaest. 83. art. 4. Quam etymologiam Bellarminus minus probabilem, nos omnino fabulosam esse judicamus.

X. Alii Missam dictam volunt apud Veteres a mittendis et conferendis in medium muneribus, quasi symbolis quibusdam, unde fieret sacra Coena, et epulum daretur pauperibus. Quae expositio nonnullis quoque ex nostris Theologis probabilis videtur, propterea quod olim populus Christianus, ut recenset Euagrius, munera sua in oblationem mitteret, panem scilicet et vinum, ex quibus, vasi magno e regione ostii templi impositis, sumebantur quae ad sacrae Eucharistiae administrationem erant accommoda, cetera vero in usum pauperum administrabantur.

XI. Bellarminus probabilissimam eorum esse sententiam arbitratur, qui Missam dici volunt a missione, seu dimissione populi, ut idem sit Missa quod missio, sicut idem sunt apud Veteres collecta et collectio, et Graece *συλλογὴ, σύλλεξις*, peccati remissa et remissio. Remissam enim pro remissione passim usurpat Cyprianus Lib. 3. Epist. 8. Lib. de bono patientiae, in Epistola ad Jubaianum, et alibi: idque ex hac veteri formula a Diacono ante concionem pronunciari solita: Catechumeni et quisquis non communicat, foras eat. Et altera, Ite, missa est.

XII. Huic Missae acceptioni Bellarminus quatuor alias subjicit, ex Patribus Orthodoxis desumptas, quarum 1. est, pro

divino lectionum ac precum officio, ex Can. 1. Concilii Valentini. 2. pro illa parte liturgiae, quae est ab offertorio usque ad finem, ex Alcuino. 3. pro celebratione divini officii in quo Eucharistia consecrabatur, ex Leone, Gregorio, Felice, 4. Concilio Agathensi, et Aurelianensi. 4. pro ipsis collectis seu precibus quae dicuntur in Liturgia, ex Can. 12. Concil Milevitani. Atque hic observandum est, nullam istarum acceptionum probari ex Sacra Scriptura; nec Bellarminum ex Patrum Scriptis, e quibus eas recenset, demonstrare, quod demonstrandum ipsi erat, Missam, scilicet, a Patribus Orthodoxis pro tali agnitam fuisse sacrificio, quale ab ipso aliisque Doctoribus Romanensibus definitur.

XIII. Missa etenim ab illis definitur, sacrificium externum ac propitiatorium vere et proprie dictum, quo Christi corpus ac sanguis sub speciebus panis ac vini a Sacerdote pro vivorum ac mortuorum peccatis immolatur atque offertur. Concil. Trident. sess. 22. cap. 1. Faber de Missa Evangelica Lib. 2. cap. 1. Eckius in tribus libris de sacrificio Missae. Cajetanus tract. 10. tom. 3. de eodem argument. Bellarm. de Missa, Lib. 1. cap. 5. etc.

XIV. Nihil veri in assertionibus huic definitioni aspersis continetur. Nam prima assertio, Missa est sacrificium externum, ipso Bellarmino judice, non est vero consentanea. In omni enim sacrificio externo, et proprie dicto (ut loquitur Bellarminus Lib. 1. de Missa, cap. 2.) requiritur, ut sit res aliqua sensilis quae offeratur. At res quae in Missa a sacrificulis offerri dicitur, nimirum caro Christi, nullo pacto sensilis est, cum nec ipsis praesto sit, nec visibilis, nec tactilis; utpote in coelo nunc existens, ibique mansura usque ad tempora restitutionis omnium, teste Apostolo Petro, Actor. 3, 21.

XV. Secunda assertio, Missa est sacrificium propitiatorium vere et proprie dictum, repugnat affirmationi Apostoli, triplici antithesi inter sacerdotium Christi et sacerdotum Leviticorum, ostendentis Christi sacrificium in cruce peractum, esse unicum sacrificium expiatorium. Quarum prima antithesis est, quod sub Veteri Testamento plures fuerint Sacerdotes, sub Novo, unicus. Illi quidem (inquit Apostolus Hebr. 7, 23. 24.) plures facti sunt Sacerdotes, quod mors prohiberet eos permanere: At iste, propterea,

quod in aeternum manet, perpetuum habet sacerdotium. Secunda est, quod Veteris Testamenti Sacerdotibus quotidie victimas offerre necesse fuerit, prius pro suis, deinde pro populi peccatis: Christum vero semel tantum pro peccatis populi offerre oportuerit, idque tantum fecerit, Hebr. 7, 27. Tertia est, quod Sacerdotes Veteris Testamenti diversas victimas, hircos, vitulos, agnos, et similes sibi ab aliis traditas: sed Christus semetipsum tantum Deo inculpatum per Spiritum aeternum obtulerit, Hebr. 9, 14. Quod et Petrus his verbis innuit, Qui peccata nostra ipsemet super lignum illud in corpore suo sursum tulit, 1 Pet. 2, 24. Cum ergo haec sint ἀντιφατικὰ: Oblatio Christi pro peccatis populi, semel tantum fieri debet et semel tantum facta est, Et, oblatio Christi saepenumero fieri debet et fit quotiescunque Missa a sacrificulis celebratur; prius enunciatum, quod est Apostoli θεοπνεύστου, pro vero, posterius quod est Pontificiorum Apostolo contradicentium, pro falso habendum est.

XVI. Ad primam Pontificiorum exceptionem, in Concil. Trident. sess. 6. oblationem quae fit in Missa, eandem esse cum oblatione quae in cruce facta est, sed tantum differre modo et ratione: respondemus, 1. Gulielmum Alanum qui modum illum intellexit, nihilominus ipsis contradicere, lib. 2. de Eucharist. Sacrif. cap. 2. cum ait, Christum peregisse duo Sacrificia, unum in Coena, aliud in Cruce, et utrumque sacrificium diversum esse a sacrificio Missae. 2. Modum illum quo missam differre concedunt a Christi oblatione quae facta est in cruce, esse proprium πάθος atque adjunctum, cujus respectu una alteri sic reipsa opponitur, ut simul stare non possint. Hoc igitur posito, Christi oblationem semel tantum per ipsum Christum fieri potuisse, alterum evertitur, eandem oblationem adhuc quotidie per Sacerdotem Christi Vicarium fieri posse. Veritas primi axiomatis ex altera oblationis Christi conditione necessaria cognosci potest, quae est mors Christi seipsum Patri offerentis, cum effusione sanguinis conjuncta. Semper enim in sacris Bibliis Christus ratione mortis suae sanguinolentae se Patri obtulisse dicitur. Quare si impossibile est, ipsum rursum mori pro nostris peccatis, impossibile quoque est, ipsum pro iis rursum in Missa offerri.

XVII. Si dixerint, quod solent, sacrificium Christi semel in cruce peractum, quotidie in Missa continuari, ex eo necessario sequitur, prius Christi sacrificium esse imperfectum. Nam quod continuatur, nondum consummatum est, et quod aliquoties iteratur, pro imperfecto habendum est, aut non valet ratio Apostoli probantis, Hebr. 9. et 10. Sacrificia Veteris Testamenti propterea fuisse imperfecta, quod saepius iterarentur.

XVIII. Ex quibus concludimus, ἀσύστατον quoque esse Pontificiorum distinctionem, inter sacrificium crucis cruentum et Missae incruentum. Si enim omnis oblatio expiatoria necessario fit cum effusione sanguinis, ut liquet ex hoc axiomate Apostoli, Hebr. 9, 22. Absque sanguinis effusione non fit remissio, Missa nullo titulo sacrificium expiatorium dici potest. Haec praeterea distinctio ex ista Bellarmini confessione refelli potest, In Ecclesia est unum tantum verum ac proprium sacrificium, Lib. 1. de Missa, cap. 2. Atque illud, confitente ibidem Bellarmino, est sacrificium Christi in cruce peractum, quod verbis utens Augustini, verissimum et perfectissimum nuncupat. Quamobrem Missa illud esse nequit, cum duo re diversa, non simul sint coaequaliter verissima et perfectissima; sin duo talia statuantur sacrificia inaequaliter et subordinate, Christi sacrificium in cruce peractum, non unum, sed prius nominandum est, et falsa erit Apostoli assertio, quod Christus semel duntaxat se obtulerit.

XIX. Nec Bellarminus ex censura tam suae, quam antecessorum suorum inscitiae hoc effugio elabi potest, Sacrificium Missae esse sacrificium commemorativum et repraesentativum, Guill. Alanus de Eucharist. Sacrif. Lib. 2. cap. 11. Bellarm. Lib. 1. de Missa, cap. 2. Nam quod est alicujus rei commemorativum et repraesentativum, non magis est res ipsa, quam tempus praeteritum est praesens, aut signum res signata. Sacrificium utique est rei praesentis perficiendae, commemoratio rei factae et praeteritae.

XX. Tertia Pontificiorum assertio, In Missa corpus et sanguis Christi immolantur, non minus falsa est, quam duae praecedentes. In omni enim sacrificio quod vere ac proprie immolatur, non solum requiritur ut illud adsit, sed ut etiam sit mortale. At Christus corpus suum e terris in tertium coelum transtulit, atque ab omni mortalitate in aeternum asseruit. Quo-

circa vix quicquam stultius dici potest, quam Christi corpus etiamnum in his terris ab hominibus immolari. Idem de sanguinis Christi immolatione judicandum est, quae in Missa absque ejus effusione vere ac proprie fieri nequit, nobisque in Sacramento Eucharistiae non gloriosum, prout hodie est Christi corpus, sed olim cruci affixum repraesentat.

XXI. Hic frustra regerunt Pontificii, legalia sacrificia fuisse commemorativa ac repraesentativa sacrificii futuri in cruce, et tamen proprie dicta sacrificia. Illis quippe sacrificiis non immolatum fuit ipsum corpus Jesu Christi, sicuti Pontificii in Missa fieri asserunt, sed corpora hircorum, vitulorum ac aliorum animalium olim futurum Christi sacrificium typice adumbrantia, hocque exhibito, veluti umbrae a Sole sunt sublata, ne amplius ad pristinos suos usus revocentur. In illis praeterea sacrificiis legalibus corpora animalium quae offerebantur, ad realem et externam mutationem atque destructionem ordinabantur; atque hujusmodi rerum oblatarum mutatio et destructio, ut ipsemet statuit Bellarminus Lib. 1. de Missa, cap. 2. in omnibus sacrificiis vere ac proprie dictis requiritur. Nemo interim Pontificiorum Missam verum ac proprium sacrificium nuncupantium, hactenus adeo usque deliravit, ut Missam ad veram et realem corporis ac sanguinis Christi, nunc ad Patris sui dextram sedentis, mutationem ac destructionem esse ordinatam diserte affirmaverit.

XXII. Scimus Bellarminum Lib. 1. de Missa, cap. 11. asserere, rectissime posse dici in sacrificio Missae sanguinem Christi effundi. Sed ex hac ipsius assertione patet, ipsum sui immemorem sibimetipsi contradicere. Nam si, ut alibi docet Bellarminus, Missa est sacrificium incruentum, rectissime dici nequit in sacrificio Missae sanguinem Christi effundi: nec in eodem capite 11. recte statuit in Missae consecratione consistere repraesentationem sacrificii crucis. Non enim significativa sacrificii repraesentatione, sed reali ejus oblatione sanguis effunditur.

XXIII. Falsa quoque est haec quarta assertio, Corpus et sanguis Christi sub speciebus panis et vini in Missa immolatur. Nullum enim sacrificium externum vere et proprie dictum unquam immolatum fuit sub specie rei alterius: sed quodlibet sub propria sua specie ac forma externa Deo oblatum fuit, tam a Sacerdotibus Leviticis sub Veteri, quam a Christo

sub Novo Testamento, nec dispar exemplum ex sacris literis produci potest. Quod considerans Bellarminus, panem et vinum concedit aliquo modo in Missa offerri, et pertinere ad rem quae offertur. Ex quo haec absurda consequuntur, 1. In Missa offerri duo sacrificia, unum panis et vini, alterum corporis et sanguinis Jesu Christi. Non enim species et accidentia panis et vini idem sunt cum corpore et sanguine Jesu Christi, sed haec esse disparata nemo ratione praeditus negaverit. 2 Sacrificium Missae ex pane potius et vino consistere, quam ex corpore ac sanguine Jesu Christi, tum quia species panis et vini sunt sensiles, non autem corpus ac sanguis Christi, ut Thesi 14. demonstravimus, tum quia nulla in Missa accidit, aut mutatio, aut consumtio corpori aut sanguini Christi sedentis ad dextram Patris, sed pani et vino, atque hujusmodi mutatio et consumtio est pars essentialis hujus Sacramenti a sacrificante facta, ut ait Bellarminus Lib. 1. de Missa, cap. 2.

XXIV. Quintae assertionis, In Missa corpus et sanguis Christi a Sacerdote offertur, falsitas ex ipso Bellarmino ostendi potest. In sacrificio utique, ut ait Bellarminus, Lib. 1. de Missa, cap. 2. sacrificium et sacerdotium sunt relativa, ita ut sacrificio proprie dicto sacerdotium proprie dictum, et sacrificio improprie dicto, sacerdotium improprie dictum respondeat. At missa non est sacrificium proprie dictum, ut Thesibus praecedentibus abunde probavimus. Nec igitur Missificorum administratio est sacerdotium proprie dictum.

XXV. Ad haec, ut ibidem monet Bellarminus, In sacrificio proprie dicto requiritur, ut sacrificii oblatio fiat a legitimo Ministro. Non enim cujusque est offerre sacrificium, sed certi hominis divina auctoritate instructi, qui communi nomine id peragat. Nam Apostolus Hebr. 5. de sacerdotio loquens, Nemo (inquit) assumit sibi honorem, nisi qui vocatur a Deo, tamquam Aaron: et hoc usque adeo verum est, ut ipsum etiam Christum dicat ibidem Paulus non sibimet sacerdotium assumsisse, sed a Patre illud accepisse. Atqui in iis ipsis locis in quibus Sacra Scriptura ex professo agit de Ministrorum Evangelii gradibus, vocatione ac potestate, nulla fit mentio sacerdotii quod a Deo acceperint. E contrario, ubi de Novi Testamenti sacerdotio loquitur, ibi illud soli Christo

tributum esse asseverat, ut Ps. 110, 1. Hebr. 7. et sequentibus.

XXVI. Hinc patet, commentitiam esse distinctionem inter Christum ut primarium, et Missificos ut secundarios Novi Testamenti Sacerdotes. Nusquam enim Christus, ut primarius Sacerdos aliis excellenter, ut secundariis, sed passim, vel relate, ut adumbratus Sacerdos adumbrantibus sub Veteri, vel ut unicus pluribus sub Novo exclusive opponitur.

XXVII. Et sane nulla conditionum quae in Sacerdote Novi Testamenti requiruntur, in sacrificulis Romanensibus invenitur. Harum prima est, ut abrogato sacerdotio Levitico, Sacerdos Novi Testamenti sit secundum ordinem Melchisedeci, atque adeo sine patre, sine matre, sine genere, nec initium dierum habens, nec vitae finem, atque in aeternum manens, ex vi indissolubilis vitae. Quod soli Christo Apostolus attribuit, Hebr. 7, 15. et seqq.

XXVIII. Secunda conditio est, ut secundum definitionem Sacerdotis Novi Testamenti, qui Sacerdos est, simul sit sacrificium, Sacerdos scilicet per quem, et sacrificium, quo homines Deo reconciliantur; Quod soli Christo proprium est quarto modo. Nam is proprie ratione principii formalis est Sacerdos secundum naturam divinam, ratione autem principii materialis sacrificium, secundum naturam humanam.

XXIX. Tertia est, ut quemadmodum sub Veteri, sic sub Novo Testamento, Sacerdos major ac dignior sit suo sacrificio externo. At sacrificuli homines peccatis contaminati nulla ratione sunt majores aut digniores corpore ac sanguine Jesu Christi agni immaculati. Nulla ergo ratio patitur, ut corpus ac sanguis Jesu Christi ab ipsis Deo in Missa offeratur.

XXX. Quarta est, ut Sacerdos Novi Testamenti sit sanctus, innocens, impollutus, et segregatus ab omni peccato. Qua perfecta sanctitate cum solus Christus sit exornatus, non sine manifesto sacrilegio homines quibuslibet vitiis obnoxii, quales sunt sacrificuli, in sacerdotium irrumpunt.

XXXI. Quinta est, ut Sacerdos, prout definitur in Novo Testamento, ejus quoque sit Mediator. Nam finis Sacerdotii est hominis peccatoris reconciliatio cum Deo, quod est proprium Mediatoris effectum, ut docet Apostolus, Hebr. 9, 15. Itaque ob id Novi Testamenti Mediator est, ut morte intercedente ad redemptionem earum praevaricationum

quae fuerant sub priore Testamento, vocati promissionem accipiant haereditatis aeternae. Quare, sicuti unicus tantum est Mediator inter Deum et hominem, Jesus Christus, sic idem est unicus hominum Sacerdos apud Deum.

XXXII. Sexta est, ut Sacerdos Novi Testamenti sit etiam testator, sua morte illud ratum reddens. Nam ubi Testamentum est, mors Testatoris intercedat necesse est, Hebr. 9, 16. At hoc epitheton absque blasphemia ulli praeter Christum attribui non potest. Ergo nec illud.

XXXIII. Septima est, ut Sacerdos Novi Testamenti hostiam suam Deo offerat per Spiritum, vi indissolubilis vitae per se praeditum. Nam hostia quae offertur per nudum hominem, non potest esse satisfactoria pro aliorum hominum peccatis. Excipientibus Pontificiis, Sacerdotem in Missa tantummodo offerre instrumentaliter, non ex sua, sed ex Christi persona, respondemus, totam oblationem fieri a solo Sacerdote nomine totius Ecclesiae, in eaque oblatione Christum, non ut offerendum, sed ut oblatum a Sacerdote, imo creatum considerari: ac proinde plus esse sacrificulum, quam causam instrumentalem.

XXXIV. Excipientibus iisdem Pontificiis, offerri Christum a Sacerdotibus non ad satisfactionem, sed ad applicationem satisfactionis pro hominum peccatis in cruce praestitae, respondendum est: 1. applicationem sacrificii fieri non posse ab homine mortali, sed a Deo solo immortali. 2. fructum sacrificii crucis nobis propriissima ratione a Deo per fidem applicari. Unde Deus Christum propitiationem nobis per fidem in sanguine ipsius proposuisse dicitur, Rom. 3, 24. non autem per sacrificii ipsius iterationem. Alioqui fructus quoque incarnationis, resurrectionis atque ascensionis Christi nobis per earum iterationem applicandus, et in Baptismo primo ejusdem Christi sacrificii Sacramento Christus pari jure atque in Missa iterum sacrificandus esset. At haec non requiri, ingenue fatentur Pontificii. Quocirca nec illud, nimirum, ut sacrificium Christi in Missa repetatur. Sed eo concesso, non sequitur, medium applicationis sacrificii Christi esse ipsum Christi sacrificium; cum sacrificium Christi et ejus applicatio inter se relate opponantur, ac non minus verbum Dei fide receptum, quam Sacramentum Eucharistiae sit instrumentum nobis sacrificium Christi appli-

cans. Nemo siquidem adeo insanit ut verbum fide receptum propterea ipsum Christi sacrificium nuncupet. 3. Quamvis sacra Coena dici possit medium applicativum sacrificii crucis, non idem tamen de Missa statui posset, cum in ea, non Deus fidelibus Christum in cruce oblatum offerens, sed Sacerdos Christum Deo immolans repraesentetur.

XXXV. Postremae quoque hujus assertionis, Corpus ac sanguis Christi in Missa offertur pro vivorum ac mortuorum peccatis, falsitatem haec Christi verba arguunt, Consummatum est, Joh. 19, 30. Et Apostoli, Christus unica oblatione consummavit in perpetuum eos qui sanctificantur, Hebr. 10, 14. Item, Christus semel oblatus ut tolleret multorum peccata, secundo absque peccato conspicietur iis qui exspectant ipsum ad salutem, Hebr. 9, 28. Quo axiomate Apostolus indicat, inter Christi sacrificium semel in cruce factum pro hominum peccatis, et ultimum ejus adventum, nullum tempus esse intermedium quo se rursum pro eorundem hominum peccatis in hisce terris offerat. Ideo Bellarminus nobis largiri cogitur, nullam fieri remissionem nisi in virtute sacrificii crucis, Lib. 1. de Missa, cap. 11. Unde recte colligitur eam ex Missae virtute non fieri. Nam si ex hujus etiam virtute fieret, imperfectum esset crucis Christi sacrificium. Neque ea in Missa fieri potest, ex aliquo ordine ad sacrificium crucis, quoniam ordo Sacramenti ad Christi sacrificium non communicat Sacramento vim remittendi peccata, sed vim peccatorum remissionem morte Christi acquisitam significandi, eamque in fidelibus obsignandi.

XXXVI. Praeterquam quod sex superiores assertiones Missae definitioni aspersae testimoniis S. Scripturae, ac conditionibus in sacrificio expiatorio proprie dicto requisitis prorsus adversantur, earundem falsitas ex ipsa S. Coenae institutione, atque ex Patrum Orthodoxorum scriptis probari potest. Nam, ut a Coenae institutione incipiamus, Christus in ea panem et calicem benedictione sua consecratum, non Deo Patri, sed discipulis suis obtulit; nec Patri dixit: accipe hoc sacrificium corporis et sanguinis mei, sed suis discipulis: Accipite, comedite et bibite, hoc est corpus meum, et Novum Testamentum in sanguine meo, Matt. 26, 26. Luc. 22, 19. et sequentibus; Sacrificulus e contrario corpus et sanguinem Christi sub speciebus panis et

vini, non omnibus et singulis Ecclesiae membris in Coenae institutione per Christi discipulos repraesentatis, sed Deo offert, dicens: Suscipe, sancte Pater, omnipotens, aeterne Deus, hanc immaculatam hostiam, quam ego indignus famulus offero tibi Deo meo, etc.

XXXVII. Haec inter se sunt pugnantia. Illud ipsum quod Christus olim immediate dedit suis discipulis, panem fuisse et vinum, vel poculum in quod vinum erat infusum: Illud vero quod jam in Missa mediate offert per sacrificulum, non amplius esse panem aut vinum, sed corpus et sanguinem ipsius, sub speciebus vel accidentibus panis et vini contentum. Item, poculum quod Christus olim suis porrexit discipulis fuisse Novum Testamentum in ipsius sanguine: Nunc antem poculum quod soli sibi sumit sacrificulus, plebi autem non porrigit, esse partem hostiae incruentae. Testamento enim propensa Testatoris erga suos haeredes voluntas, hostia vero res ad Deum placandum oblata designatur: cujusmodi rem non posse statui Missae hostiam incruentam, Apostoli testimonio probavimus, pro confesso sumentis Hebr. 9, 32. unicam tantum esse hostiam nimirum cruentam, qua Deus placari possit.

XXXVIII. Christus praeterea discipulis suis, postquam panem accepissent ab ipso, futuram corporis sui absentiam his verbis praenunciavit: Hoc facite in meam recordationem, Luc. 22, 19. quae Apostolus exponit 1 Cor. 11. cum ait: Quotiescunque ederitis panem hunc et poculum hoc biberitis, mortem Domini annunciabitis donec veniat. At sacrificulus corporis Christi praesentiam hac precatione innuit: Suscipe, sancte Pater, hanc immaculatam hostiam, quam ego offero tibi: per hostiam illam corpus Christi denotans quod sub accidentibus panis et vini suis manibus tractat, et postea dentibus suis atterit. Quo nihil absurdius et a fine Coenae alienius fingi potest. Nam si ejus finis est, Christi absentis recordatio, donec e coelis ad nos veniat, ut ex praecedentibus Christi et Apostoli Pauli verbis recte colligitur, oblatio et contrectatio realis corporis ac sanguinis Christi hic in qualibet Missa a sacrificulo fieri nequit.

XXXIX. Etsi Pontificii Patrum Orthodoxorum auctoritate, Coenam Domini aliquando sacrificium nuncupantium, utantur, nunquam tamen illam propria significatione, prout faciunt

Pontificii, sed impropria sacrificium appellarunt. Nam sacramentum Eucharistiae metaleptice sacrificium vocarunt, quoniam sacramentum est memoriale sacrificii a Deo in cruce oblati, cum gratiarum actione conjunctum: ideoque εὐχαριστικὸν ab iis dictum fuit. Quid ergo nos (inquit Chrysostomus) nonne per singulos dies offerimus? offerimus quidem, sed recordationem facientes mortis ejus: Et una est hostia, non multae. Quomodo una est, et non multae? quia semel oblata est in sancta Sanctorum. Hoc autem sacrificium exemplar est illius. Hoc autem quod facimus, in commemorationem quidem fit ejus quod factum est. Chrysostom. homil. 17. in Epist. ad Hebr. Et Augustinus, Christiani peracti ejusdem sacrificii memoriam celebrant, sacrosancta participatione corporis et sanguinis Christi. Augustin. Lib. 20. contra Faustum, cap. 18.

XL. Deinde idem sacramentum metaphorice vocarunt sacrificium, respectu cujuslibet fidelis se in ejus participatione Deo hostiam vivam et sanctam peculiari ratione sistentis. Quo spectat haec Chrysostomi admonitio: In coelis habemus sacrarium, in coelis sacerdotem, in coelis hostiam. Talia etiam nos offeramus sacrificia, quae in illo sanctuario possunt offerri. Non jam pecudes, vel boves, non jam sanguinem et nidorem. Omnia haec soluta sunt, et pro iis introductum est rationabile obsequium, Homil. 11. in Epist. ad Hebr. Et Homil. de Spiritu Sancto, tom. 3. Quod tuum est altare? mens tua spiritualis. Quid spirituale tuum sacrificium? omnis bona operatio.

XLI. Tertio, idem sacramentum Patres olim sacrificium nuncuparunt, metonymice, respectu precum, et oblationis panis ac vini, quae partim ad Coenae celebrationem, partim ad pauperum alimoniam, ex eo quod Coena peracta supererat, cum communicatione illius conjungebantur. Quo respiciens Alexander Hales fatetur in Sacramento Eucharistiae ex more antiquorum tria esse offerenda. Primo personas ipsas, secundo ea quae sunt necessaria ipsi Sacramento, panem scilicet, ac vinum. Tertio, manuales oblationes, id est, eleemosynas. Alexand. Hales, part. 4. quaest. 10. in tractatu de officio Missae, p. 1. f. 10.

Nec Pontificii diffitentur Missam vocari posse sacrificium Eucharisticum. Si Eucharisticum est, ut nobis largiuntur, non est igitur propitiatorium. Haec enim ex diametro invicem opponuntur.

XLII. Adhaec plerique ex Patribus, Lombardo consentiente, intellexerunt, Melchisedecum Abrahamo panem et vinum obtulisse, ac proinde ordinem sacerdotii secundum quem Christus cum Melchisedeco ab Apostolo Hebr. 7. comparatur, non consistere in oblatione panis ac vini, sed in his utriusque personae adjunctis, quod uterque considerandus sit ut Rex et Sacerdos, absque patre et matre, absque genere, nec initium dierum, neque vitae finem habens; Melchisedec scilicet secundum typicam similitudinem, ex historia Mosis, Genes 14. genealogiam ipsius silentio praetereuntis, eruendam, Christus vero secundum rei in Melchisedeco adumbratae veritatem. Chrysost. Hom. 36. in Gen. et in Psal. 109. Tertull. adversus Judaeos. Aug. quaest. Vet. et Novi Test. quaest. 109. Damascenus Lib. 4. de fide cap. 14. Lombard. 4. sentent. distinct. 8.

XLIII. Id videndo non videt Bellarminus, ex typo Melchisedeci olim panem et vinum ex penu sua Abrahamo proferentis sacrificium Missae exsangue exstruens. Quamvis enim ignorare non potuerit, verbum הוציא quo utitur Moses, Gen. 14, 18. vertendum esse, produxit, aut eduxit, contra sensum tamen verbi fingit, Melchisedecum alicujus sacrificii causa panem ac vinum obtulisse, nec non contra ordinem totius sacri contextus. Duae enim diversae actiones Melchisedeco, respectu duplicis ipsius officii, a Mose ordine attribuuntur, 1 regalis, quod ad reficiendum Abrahamum et exercitum ejus, panem et vinum ipsi praebuerit. 2. sacerdotalis, quod Abrahamo benedixerit.

XLIV. Etsi idem Bellarminus non ignoraverit, Apostolum Paulum actum a Spiritu Sancto atque introductum in omnem veritatem, nihil eorum subticuisse quae Hebraeis ad cognoscendum sacerdotium Christi Melchisedecianum conducerent, hoc tamen ipsi impingit, quod dedita opera omiserit oblationem panis et vini, ne cogeretur explicare mysterium Eucharistiae, quia hoc altius erat, quam ab illis tum capi posset, et sermo ininterpretabilis, de quo agit cap. 5, 11. Quo nihil falsum magis Apostolo affingi potest. Nihil enim altius erat, quam mys-

terium de Christo Pontifice secundum ordinem Melchisedeci divinitus ordinato; quod antequam Apostolus pluribus persequatur, ea non ait esse ininterpretabilia, ut male vertit Bellarminus, sed difficilia explicatu, non quidem per se, sed Hebraeorum negligentiae respectu, ut hac praemunitione eos ad majorem diligentiam atque attentionem excitet. Tantum ergo abest, ut idcirco altiora illa Apostolus reticere voluerit, ut ea prolixius et accuratius pertexuerit: in quorum sensu dogma de sacra Coena collocare noluit, propterea quod non sit rudioribus explicatu difficilius, quam dogma de baptismo, quod fidei articulis fundamentalibus annumerat, Hebr. 6, 2. Nam sicut baptismus, sic Coena Domini sacrificium ipsius cruentum repraesentat, atque utriusque Sacramenti doctrina, non minus a Pontificiis in Cathechesi ad rudimenta fidei Christianae, quam a nostris Theologis refertur.

XLV. Neque haec Bellarmini exceptio, ipsius, aut aliorum Pontificiorum errori patrocinatur; Licet Scriptura non aperte explicet, in quo consistat ordo ille Melchisedeci et figura sacerdotii Christi, eam tamen ita insinuat et indicat, ut Patres omnes summo consensu in eandem expositionem inciderint. Nam Thesi 40. Lombardi testimonio demonstravimus, Patres nonnullos in aliam expositionem incidisse qua Missae sacrificium everti potest. Non enim pane et vino Melchisedeciano Christi hostiam in Missa exhibitam, ut contendunt Pontificii, nec accidentia sine subjecto, vel potius spectra, nimirum, species panis et vini, sed realem substantiam panis et vini ex mensa Christi mystica productam adumbrari asserunt, ut videre est apud Eusebium Lib. 5. de demonstrat. Evangel. cap. 3. Damascen. Lib. 4. de fide, cap. 14. et reliquos Patres quos supra Thesi 48. nominavimus.

XLVI. Perperam quoque Bellarminus ex mactatione agni Paschalis immolationem Christi in Sacramento Eucharistiae ex 1 Cor. 5, 7. astruit, nec non ex vaticinio Malachiae 1, 11. de מנחה, Mincha, seu pura oblatione, ubique terrarum Deo sub novo foedere offerenda. Qua Missae oblationem expiatoriam Judaicis correspondentem Malachias innuere non potuit, cum ex Bellarmini ceterorumque Romanensium hypothesi Missa sit oblatio incruenta: omnes vero oblationes expiatoriae sub Veteri

Testamento fuerint cruentae; ut taceam, quod Judaicae oblationes typice tantum, ac significative fuerint expiatoriae, Missa vero secundum blasphemam Pontificiorum sententiam sit vere et proprie expiatoria. Relinquitur ergo, si secundum doctrinam Sacrae Scripturae unicum tantum sit Sacrificium crucis proprie dictum, Judaicis sacrificiis expiatoriis praefiguratum, necesse esse, ut illud quod praedixit Malachias, de Cultu Dei spirituali atque Eucharistico per Evangelii praedicationem inter omnes gentes instaurando, metaphorice accipiatur.

XLVII. Nec realis Christi in Missa immolatio, ex illis verbis ipsius, Luc. 22, 19. 20. Quod pro vobis datur, effunditur, magis evincitur, quam ipsius mors ex istis, Joh. 10, 15. Animam meam depono pro ovibus. Utrumque enim ante sacrificium crucis per enallagen temporis praesentis pro futuro a Christo dictum esse, non ignorant qui vel a limine sacras literas salutarunt.

XLVIII. Ceterum, etsi nihil boni sit in commentitio Missae sacrificio, quoniam tamen aliquam boni speciem habet apud homines mente corruptos, sacrificuli Romanenses fallaci ejus larva mirum miserumque in modum, non sine erroris efficacia, in Papatu abutuntur. Ac primus quidem Missae abusus est, quod sacrificulus eam administraturus hoc utatur prooemio: Et introibo ad altare Dei. Fideles enim non amplius habent altare sub Novo, quale olim habuerunt sub Veteri Testamento, sed altare ipsorum nunc est in coelis, nimirum, Jesus Christus; ut Thomas Aquinas non male observavit in vers. 10. c. 13. ad Hebraeos, ubi Apostolus nos hujusmodi altare habere asserit, ex quo non habent facultatem edendi qui hodie tabernaculo inserviunt, atque hostias Judaeorum umbratiles Christi adventu abrogatas in ipsius Ecclesiam reducunt.

XLIX. Secundus abusus est in publica peccatorum suorum confessione, quam non solum ad Deum, sed etiam ad omnes sanctos hac vita defunctos, et ad fratres suos dirigit, Ego reus (inquiens) et indignus sacerdos confiteor Deo omnipotenti, et beatae Mariae Virgini et omnibus sanctis ejus, et vobis, fratres, quia ego miser peccator peccavi nimis contra legem Dei, cogitatione, locutione, opere et omissione, mea culpa, mea culpa, mea gravissima culpa. Confessio enim quae soli

Deo, a sacrificulo religiose fieri deberet, fit mortuis superstitiose atque inutiliter, cum eam audire nequeant: vivis vero contra ipsius conscientiam, quandoquidem se nullius scandali ipsis dati reprehensibilem esse persuasum habet.

L. Tertius abusus percipitur in idololatrica intercessionis Sanctorum demortuorum postulatione, his verbis concepta: Ideo deprecor beatissimam Dei genitricem et omnes sanctos, et vos fratres orate pro me peccatore apud Dominum Deum nostrum omnipotentem, ut ipse misereatur mei. Ubi praeterito Servatore nostro Jesu Christo, eos invocat, qui ipsum servare nequeunt, et quos sacra Scriptura ab ipso intercessionis munere prorsus excludit, dum illud soli Christo attribuit, Joh. 14, 6. Rom. 8, 33. 1 Tim. 2, 5. 6. 1 Joh. 2, 1. 2.

LI. Quartus abusus est in hac absolutoria ad alios peccata sua confitentes oratione, Amen, fratres et sorores, per misericordiam Domini nostri Jesu Christi, per auxilium et signum sanctae crucis, per intercessionem beatae et gloriosae semperque Virginis Mariae, et per merita beatorum Apostolorum et omnium sanctorum et sanctarum misereatur vestri, omnipotens Deus, etc. Qua blasphema oratione sacrificulus ligno crucis ejusque signo vim redimendi a peccatis Christo crucifixo propriam, aliisque rebus incommunicabilem, beatae Virgini Dei ancillae auxilium a solo Deo exspectandum, sanctisque Apostolis, qui olim scriptis suis traditionem Pharisaicam de operibus meritoriis confutarunt, merita affingit.

LII. Quintus abusus committitur commemoratione meritorum quae sanctis a sacrificulo ascribuntur, qui absque Christi merito in coelum ingredi nequaquam potuissent, et reliquiarum maxima ex parte fictitiarum, quasi Deus ipsarum intuitu ad peccata ipsi remittenda flecteretur, cum ait: Oramus te, Domine, per merita sanctorum quorum reliquia hic sunt, et omnium sanctorum, ut indulgere digneris omnia peccata mea.

LIII. Sextus abusus est, quod sacrificulus panem, qui in Coena est hostiae Christi Sacramentum, ipsam Christi hostiam nuncupet, ac terrenum illud elementum suae atque aliorum, tam mortuorum, quam viventium saluti prodesse, hac preca-

tione significet: Suscipe, sancte Pater, omnipotens aeterne Deus, hanc immaculatam hostiam, quam ego indignus famulus offero tibi Deo meo vivo et vero pro innumerabilibus peccatis et offensionibus et negligentiis meis, et pro omnibus circumstantibus: sed et pro omnibus fidelibus Christianis vivis et defunctis; ut mihi et illis proficiat ad salutem aeternam, Amen. Hic pani corruptibili attribuit vim conferendi salutem in vitam aeternam, quam Christus soli carni suae per fidem manducatae ascribit, Joh. 6. et quidem iis, pro quibus Christus Coenam suam non instituit, nimirum mortuis, neque in coelo, neque in terra existentibus, sed in tertio loco, cujus Sacra Scriptura non meminit, nempe in purgatorio.

LIV. Septimus abusus est in mixtione aquae cum vino, quae nec Christi mandato, nec ipsius exemplo nititur. Vinum enim seu fructum vitis absque aqua discipulis suis administravit, aliisque ad ipsius imitationem distribui jussit, ideoque decreto Concilii Aurelianensis 4. Can. 4. mixtio illa fuit condemnata, quam sacrificulus ut mysticam veneratur, inquiens: Deus qui humanae substantiae dignitatem mirabiliter condidisti, et mirabilius reformasti, da nobis per hujus vini et aquae mysterium, ejus divinitatis esse consortes, qui humanitatis nostrae consors fieri dignatus est, Jesus Christus Filius tuus Dominus noster.

LV. Octavus abusus est in oblatione superstitiosa calicis vino repleti. Nam antequam vinum, ut verbis loquar Romanensium, sit transubstantiatum vel conversum in sanguinem Christi, sacrificulus potui isti terrestri ac corruptibili, vim conferendae salutis, et odorem suavitatis Deo acceptae tribuit, quorum prius bonum Simeon in suo Cantico, Luc. 2, 29. et Petrus Act. 4, 12. soli Christo, posterius Paulus soli Christi sacrificio in cruce peracto attribuit, Ephes. 1, 2. Sic enim sacrificulus Deum affatur: Offerimus tibi, Domine, calicem salutis, tuam deprecantes clementiam, ut in conspectu divinae Majestatis tuae, pro nostra et totius mundi salute cum odore suavitatis ascendat. Amen.

LVI. Nonus abusus est, in κακοζηλίᾳ, seu prava imitatione, tum Judaeorum Deum olim thure placantium usque ad tempus correctionis, quo Deus figurae isti atque umbrae, non secus ac

reliquis corpus quod in Christo habemus, repraesentantibus finem imponi voluit, teste Apostolo, Hebr. 9. tum Magorum, oratione sua ad res inanimatas, quibus ad fascinum abutuntur, plerumque dirigentium, ut liquet ex his verbis sacrificuli ita thus suum alloquentis: Ab illo benedicaris, in cujus honorem cremaberis, in nomine Patris, Filii et Spiritus Sancti. Quibus verbis haec ad Deum subjicit: Tua, quaesumus, omnipotens sempiterne Deus, immensa Majestatis dextera hanc creaturam incensi benedicere et sanctificare digneris: ut in virtute sancti nominis tui, omnes immundorum spirituum incursus effugare, omnesque morbos, reddita sanitate, depellere, ubicunque fumus ejus afflaverit, mirabiliter possit, atque tibi omnipotenti Deo odore fragrantissimo perpetua suavitate redolere. Item, incensum illud a te benedictum ascendat ad te, Domine, et descendat super me misericordia tua. Qua precatione sacrificulus Deum quasi constringit, ut talem virtutem fugandi Diabolos ac sanandi aegros fumo incensi sui indat, qualem nec Prophetae, nec Apostoli extraordinario edendi miracula dono praediti a Deo unquam petierunt, probe intelligentes, nec a se, nec ab aliqua creatura humana, nedum a creatura incensi inanimati, sed a solo creatore, precibus fidei invocato, Daemonia ac morbos ex hominibus posse expelli, Matt. 17, 21. Jac. 1, 15.

LVII. Decimus abusus est, quod sacrificulus confundat species disparatas. Nam primo, panem et vinum ante conversionem in corpus ac sanguinem Christi, ac proinde signa tantummodo externa corporis et sanguinis Christi, sumit pro ipso corpore et sanguine Christi, dum signa illa externa oblationem Christi appellat. Secundo, oblationem Missalem vocat oblationis Christi memoriam. Tertio, memoriam passionis Christi miscet cum memoria incarnationis, nativitatis, circumcisionis, resurrectionis et ascensionis Jesu Christi, contra ipsius Christi mandatum, qui, ut monet Apostolus 1 Cor. 11, 26. hoc tantum fine coenam suam instituit, ut in illa mortem ipsius annunciemus, eumque ut crucifixum ob mentis nostrae oculos ponamus. Quarto, memoriae Christi assuit memoriam Virginis Mariae et aliorum qui nullum sacrificium crucis expiatorium Deo pro nobis obtulerunt. Ad cujus rei fidem ipsamet

sacrificuli verba recitabimus. Suscipe (inquit) sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offerimus ob memoriam incarnationis, nativitatis, circumcisionis, passionis, resurrectionis et ascensionis Domini nostri Jesu Christi, et in honorem beatae Mariae semper Virginis, et omnium sanctorum qui tibi placuerunt ab origine mundi, ut illis proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem animae et corporis.

LVIII. Undecimus abusus est in descriptione rei oblatae, quam sacrificulus pluraliter nuncupat sacrificia illibata, dicens, Te igitur clementissime Pater, per Jesum Christum Filium tuum Dominum nostrum, supplices rogamus ac petimus, ut accepta habeas et benedicas haec dona, haec munera, haec sancta Sacrificia illibata. Si his splendidis epithetis insignit panem et vinum nondum a se transubstantiatum, ut ex Missae Canone apparet, ut panis et vinum duae sunt res diversae, sic et duo ipsi sunt sacrificia; et quidem illibata atque integra: quae tamen, confitentibus ipsis Pontificiis, per Sacerdotis negligentiam interdum post consecrationem putrescunt. Sin illis epithetis ipsum Christi corpus et sanguinem insignit, neque illa secundum Pontificiorum hypothesin, sacrificia illibata dici possunt, quia corpus et sanguis Christi, unicam tantum, ut ipsi agnoscunt, hostiam constituunt, quae etiam, ut verbis quorundam Scholasticorum utar, interdum a muribus vel araneis consumpta ad nihilum devenit, multumque a vermibus corrosa invenitur.

LIX. Duodecimus abusus est in levissimae hostiae, rotundae, quam elevat sacrificulus, idololatrica adoratione: in qua multi ritus concurrunt, nec a Christo instituti, nec ab Apostolis observati. Nam Paulus, qui se Corinthiis tradidisse asseverat, 1 Cor. 11, 23. quod de Coenae institutione a Domino acceperat, non recenset Christum panem formae rotundae absque ejus fractione supra caput suum elevasse, priusquam suis discipulis illum tradiderit, aut in Coenae suae administratione usum fuisse opera alicujus Diaconi vel Clerici, qui a tergo togam ipsius manu sinistra attolleret, et dextera ipsi lumen face accensa praeberet: aut ipsum flexis genibus accidentia panis et vini in corpus et sanguinem suum conversi adorasse, vel saltem discipulis suis injunxisse, ut illa adorarent. E contrario Apostolus

narrat, Christum ea nocte qua proditus est, panem accepisse, eumque gratiis actis fregisse. Et quamvis dixerit Christus suis discipulis, Accipite, edite, hoc est corpus meum, Apostolus tamen panem a Christo consecratum, non corpus sed panem vocat, ut doceat, Christum isto enunciato, Hoc est corpus meum, non imperasse, ut panis corpus ipsius foret, aut magica quinque verborum pronunciatione in illud transmutaretur, sed quid esset panis, discipulis eum porrecta in Christum fide accipientibus, indicasse, corpus, scilicet ipsius, significatione sacramentali. Quamvis idem Apostolus mandatum Christi, Hoc facite ad mei commemorationem, aliis verbis interpretetur, non tamen vocem commemorationis accipit pro corporis a Christo in Coena immolati adoratione, uti faciunt Pontificii, sed pro mortis Christi, fractione panis designatae Eucharistica annunciatione, ut supra fusius demonstratum fuit.

LX. Decimus tertius est in Missae privatae celebratione, absque astantium communione. Non enim solus Christus in prima sacrae Coenae institutione, nec postea soli unquam discipuli panem sacramentalem comederunt, aut vinum biberunt, sed una cum aliis ad sacrae Coenae participationem convocatis; nihilque absurdius a sacrificulo fieri potest, quam quod verba Christi panem et vinum omnibus discipulis cum ipso coenantibus aequaliter distribuentis, recitans, nulli ex sibi astantibus Coenae sacramentum distribuat: quodque hanc partem institutionis Christi omittat, alteram vero, quae consistit in panis et calicis acceptione ac consecratione, diligenter observet, quasi haec pars magis sit de sacrae Coenae essentia, quam illa, ut falso a Bellarmino asseritur. Nam idcirco sacra Coena vocatur communio corporis et sanguinis Christi, quod nos omnes qui in uno ipsius corpore mystico multi sumus, ex uno illo pane participemus, ut dicit Apostolus, 1 Cor. 10, 17. Unde sacra Coena a Patribus Graecis interdum *σύναξις καὶ κοινωνία*, interdum *μυστήριον τῆς συνάξιως καὶ κοινωνίας* appellatur, Dionys. Eccles. Hierarch. capite tertio. Clemens constitution. libro octavo, capite decimo.

LXI. Reliqui abusus conspiciuntur, in panis a fidelibus comedendi inutili asservatione in pyxide, in ridicula collocatione super pectora mortuorum, qui nec edere possunt, nec bibere, nec mortem Christi annunciare, in vana ciborii circumgestione

per plateas, in processionibus atque in aliis ceremoniis omnino a Christi institutione dissentaneis, in cujus nomine Deus orandus est, ut foedos illos abusus in Missa latentes, quam plurimis tristissima caligine sub Papatu laborantibus detegat, ad suam gloriam atque Ecclesiae suae incrementum. Amen.

DISPUTATIO XLVII.

DE

Quinque Falsis Pontificiorum Sacramentis.

Praeside D. ANDREA RIVETO.

Respondente PETRO LAGNELLO.

THESIS I.

CUM rectum sit regula sui et obliqui; ex orthodoxa doctrina de Sacramentis in genere et eorundem natura, et duorum, quibus omnes conditiones ad vera Sacramenta requisitae competunt, descriptione; levi negotio adjectitia omnia discerni et rejici possunt, a quovis qui rem attentius consideraverit. Quia tamen contraria juxta se posita, magis elucescunt, non abs re visum est, disputationibus praecedentibus de genuinis Sacramentis, attexere eam in qua de quinque pseudonymis, quae in papatu, pari, quaedam etiam majori, privilegio donantur, et non minori reverentia suscipiuntur.

II. Sunt autem illa, inter Baptismum et Eucharistiam interpositum Sacramentum, 1. Confirmatio Baptisatorum; post Eucharistiam addita, 2. Poenitentia confitentium. 3. Extrema unctio aegrotantium. 4. Ordines ministrantium. 5. Et Matrimonium contrahentium. De quibus ita ordine agendum, ut quid in unoquoque probetur, tamquam a Deo institutum, aut utiliter in Ecclesia observatum; quid contra improbetur tamquam ab hominibus, contra divinam institutionem usurpatum, perspicue distinguamus.

CONFIRMATIO.

III. Primum in illo ordine Confirmationem appellant, quod definiunt, Sacramentum, quod Baptizatis ab Episcopo confertur in fronte, per sacrum Chrisma ab Episcopo necessario consecratum, additis solennibus verbis, Signo te signo crucis, et confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris, Filii et Spiritus Sancti, et inflicta alapa, quo fides corroboratur et homini Christiano ad nomen Domini quandocunque opus est, intrepide profitendum animus additur, Catech. Concil. Trident. in part. 2. cap. 3. August. Hun. de Sacram. Axiom. 13. Hoc Sacramentum suum, dicunt, non solum cum Baptismo conferri, sed etiam in duobus praeferri, tum in dignitate Ministri, qui est solus Episcopus, tum in perfectione effectus. Costerus Enchirid. cap. 11.

IV. Hic si requiramus quae in omni Sacramento necessaria esse ipsi fatentur, nempe, 1. Institutionem immediatam a Christo. 2. Signum visibile sive sensibile, idque datum, non naturale, et analogiam habens cum re significata, nec ex instituto significans ut verba. 3. Verbum accedens ad elementum, continens gratiae salutaris promissionem, quam ipsi justificantem vocant; certe ipsis aqua necessario haerebit. Cum enim velint, materiam hujus Sacramenti remotam, esse oleum balsamo admixtum, ab Episcopo consecratum, proximam vero, unctionem ex ipso oleo in fronte adhibitam ad formam seu figuram crucis; formam ejus, verba quae supra in definitione expressimus, etc. in his certe omnibus, non possunt mandatum et institutionem divinam ostendere, imo ex iis nonnulli, ut Alexander de Ales et Bonaventura, ingenue professi sunt, hoc Sacramentum neque a Christo, neque ab Apostolis institutum, sed ab Ecclesia in Concilio Meldensi, quod sub Lothario fuit habitum, teste Gabr. Biel in 4. Sentent. distinct. 7. nec diffitetur Scotus, Christum et Apostolos, materiam illam et formam non adhibuisse, sine qua existimat Christum Apostolos suos confirmasse; cum illis autem qui iisdem non usi sunt, dispensare potuisse, propter miraculosam Spiritus Sancti et doni linguarum collationem quae earum vicem supplebant. Supponi tamen, utramque

esse institutam a Deo, licet tempus et modus in Scriptura non legatur. In eundem 4. Sentent. dist. 7.

V. Meris ergo suppositionibus totum hoc innititur, ut quod addit Holcot. in 4. Sent. q. 2. Tam formam quam materiam aliquot Sacramentorum quae non sunt de necessitate salutis, occultandas fuisse in Ecclesia primitiva propter irrisiones Gentilium. Praeterea nec ipsi etiam Jesuitae hoc tempore consentiunt. Nam cum Bellarm. asserat, Chrisma esse materiam confirmationis, idque ex duobus script. locis probare conetur, nempe, 2 Cor. 1, 21. et 22. ubi dicitur, Deum nos confirmasse, unxisse, et signasse, etc. et 1 Joh. 2, 27. ubi agitur de unctione quam accipimus ab eo, De Sacram. confirm. Lib. 2. cap. 8. et cum existimet Gregor. de Valent. cap. 3. Lib. de num. Sacram. probabilissimam esse sententiam Valdensis et aliorum, nunquam ab Apostolis Spiritum Sanctum fuisse datum, nisi adhibita materia substantiali olei, et forma verborum: quam etiam auctoritate Fabiani Pontificis probare conatur Catech. Concil. Tridentin. cap 3. sect. 5. Idem tamen sententiam Thomae, 3. part. artic. 2. ad 1. Paludani in 4. distinct. 7. quaest. 1. et Scoti ubi supra, improbare non ausus fuit, Apostolos nempe, ex aliqua dispensatione divina sine forma et materia illa, dedisse proprium effectum hujus Sacramenti, quod certe non fecissent, si (ut voluit Pseudofabianus) in ultima Coena, a Christo edocti fuissent Chrisma conficere.

VI. Nec est quod quis moveatur duobus illis locis a Bellarmino adductis, in quibus Apostoli obsignationis et unctionis meminerunt, imo et confirmationis; cum nihil prorsus ad rem faciant, nisi ostendat, eos intellexisse confirmationem illam ceremonialem, et oleum illud visibile, cum forma praescripta applicatum; non autem confirmationem Spiritus, Electis solis propriam, et unctionem spiritualem, et immaterialem, qua Christiani Christo capiti suo conformes fiunt. Certe apud Johannem, Lorinus Jesuita per unctionem doctrinam intelligit, vel etiam ipsum Christum, ut abstractum sit positum pro concreto. Quomodo autem probarent haec esse intelligenda de suo Chrismate, cum nondum inter illos constet, an sit necessarium ut balsamum oleo addatur, necessitate Sa-

cramenti: nam quamvis sit inter eos opinio affirmativa communis, Cajetanus tamen oppositum tenet in tertia parte, quem Soto cum aliis sequitur; neutram rejicit sententiam Em. Sa. in Aphorismis. Notant autem, ad essentiam sufficere balsamum Indicum, non Palaestinum necessario, sicut non refert ad consecrationem, sit ne vinum Rhenanum an Graecum. Aegid. de Coninck, q. 72. artic. 3. dub. 1.

VII. Unctionem fieri debere in modum crucis, nulla ratione vel auctoritate probant, sed convenientias nonnullas assignant, ut, quod datur hoc Sacramentum ne erubescamus, ideo signum fronti debere imprimi. At unde finem talem Sacramenti habent, qui sit illi proprius? Unctionem autem illam cum impositione manuum ab Apostolis usurpata, tempore quo miraculosa Spiritus Sancti donorum infusio in Ecclesia vigebat confundere, prorsus a Scriptura et ratione alienum est. Quod cum Bellarminus asserit Lib. 2. c. 8. post Valdensem et Hug. a Sancto Victore, unctionem, nempe, Chrismatis, et manus impositionem idem esse, et utrumque significare, etsi alterum exprimi videatur, refellitur a Gregorio de Valent. dicente, ritum impositionis manuum fuisse aliquando in Ecclesia velut quandam ceremoniam ejusdem Sacramenti, quamvis cum de Substantia non fuerit, minime sit necesse eam retinere. De num. Sacram. cap. 3. quae fratrum Cadmaeorum repugnantia, nulla arte potest conciliari.

VIII. Ridiculum esset, nisi quod in re seria ludere nefas, quod de alapa, qua manu leviter in maxilla ab Episcopo caeditur confirmatus, nugatur Catechis. Trident. cap. 3. Sect. 20. ut meminerit, se tamquam fortem athletam, paratum esse oportere ad omnia adversa invicto animo pro Christi nomine ferenda; quasi vero ludicra illa actio, si quicquam significaret, non aptior esset ad contrarium repraesentandum, nisi velint Episcopum suum tum personam induere Caiphae et aliorum Christi persecutorum, qui propter Christi nomen injurias Christianis inferunt, quod a veritate non esset prorsus alienum.

IX. Cum non entis, nullae sint affectiones aut operationes, non est quod huic instituto Sacramentales aliquos effectus as-

signemus. Quos ipsi tribuunt Pontificii, sunt prorsus imaginarii, de Charactere, jam explosum est quod docent, ubi actum est de Sacramentis in genere. Secundus effectus, isque praecipuus quem ipsi assignant, est gratia gratum faciens, major quam quae in Baptismo confertur, in ordine ad roborandam animam contra Diaboli impetus, sed minor in ordine ad remiss. peccati, ut loquitur Bellarm. cap. 11. Lib. 2. de Sacram. confirm. Id confirmat alius, ex comparatione utriusque Sacram. cum generatione et accretione corporali. Quia per hanc multo plus substantiae acquirit homo quam per illam. Cum itaque Baptismo regeneremur et per confirmationem ad perfectum gratiae statum crescamus, videmur per hanc plus gratiae acquirere, quam per illam, Aegid. de Coninck, quaest. 72. art. 7 dub. unic.

X. Et praeterquam, quod gratia quae Baptismo obsignatur, toto vitae tempore in fidelibus augescit et confirmatur, sine subsidiaria Sacramenti ad id peculiariter instituti ope; similitudo a Jesuita allata, injuriam facit Sacramento Coenae, cui illud maxime convenit tamquam spirituali alimoniae, ut plus substantiae acquiramus, aut saltem acquisitam conservemus; quod etiam fit per ministerium verbi, quo utimur donec evadamus in virum perfectum, ad mensuram staturae adulti Christi, Eph. 4, 13. per quem regeniti, per unum Baptisma, et mensae ejus tamquam filii et haeredes Patris adhibiti, spiritualem quidem consanguinitatem et affinitatem contrahimus, sed quae inter fideles sanctum matrimonium contrahendum non impedit, nec contractum dirimit; nedum ut id credamus de affinitate contracta inter Patrinum et confirmatum, quam velut tertium effectum, ex suo Sacramento oriri, somniant Pontificiorum aliptae. Tolet: Instruct. Sacerd. lib. 2. c. 24.

XI. Ex dictis satis patet, Histrioniam illam, nihil commune habere cum impositione manuum de qua Act. 8. et 9. quam recipiebant ab Apostolis ii qui in Samaria et Ephesi baptizati fuerunt; qua dona illa Spiritus Sancti communicabantur, quae gratis data a Scholasticis dicuntur, de quibus iidem docent, nihil repugnare quin etiam exsistant in peccatoribus. Lorin. in Act. Apost. c. 19. vers. 6. Cornelio etiam ante Baptismum, eadem dona concessa fuisse; quod argumento est,

non solum ratione ceremoniae, sed etiam ratione effectus, toto genere differre Apostolicam manuum impositionem, a Pontificia confirmatione; qui effectus, cum temporalis fuerit, nec ad gratiam justificantem pertineat, frustra fieret nunc, quod ab Apostolis tunc fuit, cum fructu, usurpatum. Quid, quod ipsos habemus confitentes reos? Nam Suarez tom. 3. disp. 33. sect. 4. ultro concedit, impositionem manuum qua usi sunt Apostoli Act. 8. et 9. revera non fuisse Sacramentum confirmationis, quia in ritu sensibili valde differebat; imo nec simpliciter Sacramentum fuisse, quia non erat ceremonia firma et stabili lege constituta. Qua confessione expungit totum cap. 2. Lib. 2. Bellarm. de Sacram. confirm.

XII. Quum autem apud Veteres unctionis Chrismatis fit mentio, id intelligunt ut plurimum de unctione illa quae erat Baptismi appendix, non Sacramentum speciale, qua illi baptizatos ungebant immediate, tamquam athletas stadium ingressuros, ut loquitur Chrysost. homil. 6. in Epist. ad Col. quam ad Sacramenti essentiam, ne ipsi quidem Pontificii pertinere dicunt; et quae, etsi antiqua, inter illas traditiones poni debet, quae neque de Dominica aut Evangelica veritate descendunt, aut de Apostolorum mandatis atque Epistolis veniunt, ut loquitur Cyprianus Epist. 74. ad Pompejum. Quod si postea ad eos, qui in minoribus urbibus per Presbyteros aut Diaconos baptizati erant, excurrerint Episcopi, ad invocationem Spiritus Sancti manum impositurí; id refert Hieronymus ad Ecclesiarum consuetudinem, non ad dispositionis Dominicae veritatem, et id fieri potius ad honorem Sacerdotii quam ad legis necessitatem contendit adversus Luciferianos. Quod certe numquam dixisset de Sacramento, univoce dicto. Si ergo aliquando a Patribus nomen Sacramenti talibus ceremoniis tribuatur, id intelligendum est, extensa illa significatione, qua Sacramenta appellantur signa cum ad res divinas pertinent. August. Epist. 5. ad Marcel. etiamsi nulla divina auctoritate fulciantur.

XIII. Probabile est autem, impositionis manuum doctrinam, quae Hebr. 6, 2. jungitur doctrinae Baptismatum, referri ad curam illam priscae Ecclesiae, qua pueri, eruditi in

doctrina Catechetica, priusquam admitterentur ad Coenae participationem, Ecclesiae sistebantur, de fide sua responsuri, et precibus Deo commendabantur, adjecto ritu manuum impositionis, qui gestus erat orantium, et benedicentium tempore Patriarcharum usitatus, et deinceps. Quo respexit Augustinus Lib. 5. cap. 23. de Baptismo, cum manuum impositionem non sicut Baptismus, repeti non posse, ait, quia nihil est aliud, nisi oratio super hominem. Ubi manifestum est, Augustinum in ea re non sensisse cum Pontificiis, qui contendunt eos, qui bis confirmant aut confirmantur, grave committere Sacrilegium, nempe propter impressionem characteris. Hac oratione et commendatione adulti fidelis ad Deum, post legitimum examen si contenti essent, nos etiam libenter acquiesceremus, si, inquam, nihil aliud peterent, quam ritum illum, quem Calvinus restitutum cupit, Institut. Lib. 4. cap. 19. sect. 4. et cujus substantia in Ecclesiis nostris religiose servatur.

POENITENTIA.

XIV. Hactenus de confirmationis pseudomysterio. Sequitur Poenitentia, de qua in hac controversia non agimus, quatenus est conversio a vana conversatione ad Deum verum; qua quis initio totum anteactae vitae actum in melius immutat; talis enim poenitentia requiritur ante Baptismum, quo tempore vim Sacramenti habere non potest, ex Pontificiorum placitis; qui volunt poenitentiam esse Sacramentum novae legis a Christo institutum post resurrectionem, iis nempe qui post Baptismum lapsi sunt; eamque non interiorem quatenus est virtus mentis, sed exteriorem tantum. Materiam ejus propinquam, esse poenitentis actum, remotam, ipsa peccata; formam, Ego te absolvo in nomine Patris, etc. Catechis. Trident. part. 2. cap. 5. Sect. 9. 10. 12. 13.

XV. Rationem itaque Sacramenti consistere volunt, in externa poenitentia, quatenus habet externas quasdam res sensibus subjectas, quibus declarari volunt ea, quae interius in anima fiunt. Ergo non controvertitur, an ad remissionem peccatorum requiratur conversio mentis ad

Deum, et interna commissorum peccatorum cum dolore detestatio. Scimus enim, talem poenitentiam a Christo peccatoribus omnibus fuisse commendatam, et perpetuam fuisse conditionem ad remissionem peccati requisitam, in utroque Testamento; qua peccator quidem non eam meretur, quasi effective, ut loquuntur, attingeret remissionem peccati; sed per eam conditio adimpletur qua aptus fit ad divinam misericordiam consequendam; tamquam per id quod dicitur removens prohibens. Est ergo calumnia in nostros, cum ipsis impingitur, quod omnem poenitentiam rejiciant, et, quod peccatoribus sine contritione, aut vitae anteactae detestatione, reconciliationem promittant, affingitur.

XVI. Solam hanc internam poenitentiam sufficere affirmamus in peccatis latentibus, quorum sibi conscius est peccator, et quae soli Deo nota sunt. Liberum tamen censemus, et saepe utilissimum, conscientiis sollicitis, ad eorum consilium confugere, qui, ex officio, peccatorum naturam et circumstantias propius norunt, et a proprio Pastore, consolationem petere, per declarationem aliquam peccatorum, quibus sollicitus animus torquetur: sed necessitatem de omnibus confitendi apud homines, velut tyrannicam rejicimus, quam etiam nec institutam fuisse a Christo, nec imperatam, crediderunt in Romana Ecclesia, auctor Glossae, in princip. distinct. 5. de Poenit. et Abbas Panormit. in cap. Omnis utriusque sexus, extra de poenit. et remiss. et Petrus Oxoniensis, et ipse Gratianus, in Decreto de Poenit. dist. 1. proposita quaestione, An confessio haec necessario facienda sit Sacerdoti, post allatas in utramque partem auctoritates Lectori liberum relinquit judicium, ut utram velit, sententiam eligat, quo nomine immerito vapulat apud Greg. de Valent. Lib. de Confess. necessit. cap. 3.

XVII. Externam poenitentiam requirimus, in peccatis gravioribus, quae cum Ecclesiae scandalo commissa, in plurium notitiam pervenerunt. Adversus tales peccatores Ecclesiam uti posse et debere clavium potestate, non negamus, ut eos liget censuris suis, et, post poenitentiae fructus productos, solvat, ministerio sibi in eam rem a Deo concesso. Quo pertinent maxime promissiones Christi, Matth. 16, 19. et 18, 18. Et commissio Apostolis data, Joh. 20, 23. ubi de clavibus et remissione

peccatorum agitur; nempe in externo judicio quo peccata ligat, externa, publica, et manifesta, pro facultate sibi data, qua seipsam purgare possit, et graves delinquentes, sicut morbidas pecudes, ab ovili amovere. Quo beneficio, si nonnulli in veteri Ecclesia uti voluerunt, gravibus commaculati criminibus, quae publice ipsi innotescere volebant, ut inter publice poenitentes reconciliarentur; non debuit propterea fieri necessarium, quod liberum erat, nec privatum, quod antea fuerat publicum.

XVIII. Jam vero, cum nullum peccatorem poenitentem, a spe remissionis peccatorum arceamus; nec ullum, qui publice et notorie peccaverit, rejiciamus a publica poenitentia, vel eidem, Ecclesiae satisfacienti, denegemus pacem et communionem; impudentissimae calumniae rei sunt Pontificii, qui nos cum Novatianis conjungunt, et eodem crimine teneri convitiantur. Cujus calumniae, utcunque suppuduit Gregorium de Valent. de num. Sacrament. cap. 4. ubi fatetur, nos admittere REM IPSAM poenitentiae post Baptismum, idque toties quoties contigerit in peccatum labi; Id autem Novatianos prorsus negasse, et per consequentiam Sacramentum illud rejecisse; cum tamen de Sacramento tunc non fuerit agitata controversia, sed de re tantum.

XIX. His positis, ad propriam hujus loci quaestionem accedentes, negamus, poenitentiam ullam externam, sive privatam, sive publicam, seu actus poenitentis, seu actus Ministri seorsim aut conjunctim consideremus, esse verum et proprium Nov. Test. Sacramentum. 1. Quia in tota illa actione, prout etiam a Pontificiis usurpatur, nullum est externum et visibile elementum; quod in omni Sacramento requiritur, ut probatum est in Thesibus de Sacramentis in genere. 2. Quia nullum in eo est signum quomodocunque usurpetur, sive visibile, sive (ut ita dicam) audibile, quod sit ex instituto divino, effectus spiritualis efficax signum; quod secundum, ab ipsis Pontificiis, in omni Sacramento requiritur. Nec valet quod dicunt adversarii, Non pertinere ad communem rationem Sacramenti novae legis, ut aliqua hujusmodi res externa applicetur per Ministrum, sed ut una cum verbis formae, sit aliquid sensibile, quod habeat rationem materiae, sive sit res aliqua substantialis, sive actus sensibilis, cujusmodi sunt in proposito, actus poenitentis.

XX. Id enim dicunt contra rationem omnium Sacramentorum tam Veteris quam Novi Testamenti, quorum nullum ostendere possunt institutum sine visibili aliquo signo. Alioqui sufficeret ad verbum accedere verbum ut fieret Sacramentum. Praeterea externi illi actus non sunt signa efficacia interioris poenitentiae, cum potius interior, causa sit exterioris. 3. Quod Augustinus in Baptismo requirit, id ad omnia Sacram. in genere extendit Lib. 19. contra Faust. c. 16. quod sint invisibilis gratiae signa visibilia. Visum autem in genere accipi pro quolibet sensu, mera sophistica est, alioqui frustra distinxisset Augustinus verba invisibilia a visibilibus, id est Sacramentis. Et ne de ejus sensu dubitetur; quod videtur (inquit) in Sacramentis, habet speciem corporalem; quod intelligitur fructum habet spiritualem. Ergo symbolum Sacramentale semper aliquam substantiam, eamque visibilem, esse constat.

XXI. Mitto quod dissensus sit inter Pontificios de materia illius Sacramenti; quam, qui sequuntur Scotum, in sola absolutione ponunt, quae omnibus aliis, et pars materiae est, et forma simul; quod absurditate non caret. Sed, quod imprimis notandum, forma illa absolutionis est inventum humanum, quae neque in Scriptura, neque in tota antiquitate uspiam reperitur. Ubi autem non est verbum Dei, non est Sacramentum, nec valet, quod verba illa Christi, Quorum remiseritis peccata, remittentur, etc. virtualiter, ut loquuntur, formam illam continere somniant; si enim in verbis illis inclusa esset Sacramenti alicujus forma, sequeretur etiam in verbis annexis, quorum retinueritis peccata, retenta sunt, inclusam esse formam contrarii alicujus Sacramenti, eadem enim est utrobique ratio; ut ergo non aliqua efficacia Sacramentali, impoenitentium peccata retinentur, sed verbi divini Ministerio: sic nulla opus est Sacramentali efficacia, ad remittenda poenitentibus peccata, sed solo verbi ministerio, poenitentibus applicato.

XXII. In Ecclesia veteri, usitata fuit poenitentia; eorum qui post primam suam conversionem in peccata relabebantur, cujus exempla multa proferri possunt, in quibus remissio vera collata est resipiscentibus, sine ulla Sacramenti specialis, in eam rem, administratione. 2 Reg. 12, 13. applicatur a Nathane Davidi absolutio, per haec verba, Dominus transtulit peccatum tuum. Nec est quod Bellarminus recurrat ad specialem revela-

tionem, quae necessaria non fuit, cum id notum fuerit omnibus fidelibus remitti peccata poenitentibus; nec ad extraordinariam Dei providentiam referat, quod erat providentiae ordinariae in Ecclesia; cum Evangelium non fuerit Patribus ignotum, nec solida potuerint frui consolatione, nisi beneficia passionis Christi venturi, per verbum ipsius fuissent communicata. Per gratiam enim Domini nostri Jesu Christi servamur καθ' ὃν τρόπον, quemadmodum et Patres nostri, Act. 15, 11.

XXIII. Johannem Baptistam praedicasse remissionem peccatorum, Christum eandem contulisse, ne adversarii quidem negant. Nec dubium est, Johannem qui Scribis et Pharisaeis iram Dei denunciavit, resipiscentibus misericordiam Dei annunciasse. De Christo certum est, absolvisse eum a peccatis plurimos, nominatim mulierem illam, quae Luc. 7. peccata sua lacrymis et externis gestibus confitebatur; id autem fecit, nullo adhibito verbo Sacramentali, sed propria ac singulari sua potestate, ut Bellarminus loquitur: et propriam quidem Christo fatemur esse, sed quam servorum suorum ministerio ita exserit, ut ipsis verbum ejus proferentibus, efficaciter annuat, et quod promisit, efficiat. Ideo dixit, Sicut misit me Pater, ita mitto vos, qua praefatione praemunit ministerium illud de peccatorum remissione; ex qua sequitur: quemadmodum Christus a Patre missus, verbo, sine Sacramento speciali peccata remisit, sic eodem verbo, nomine Christi, veros Ministros peccata remittere, sine Sacramento.

XXIV. In actibus poenitentis, et Ministri absolutione, nulla ostendi potest analogia Sacramentalis inter signum et rem significatam, ut quod fit in signo externo ei quod interius fit, respondeat. Quamvis enim verbum absolventis, peccatorum remissionem et annunciet, et factam significet, quo sensu inter signa referri posset; nulla tamen est analogia talis, qualis est inter rem elementarem et coelestem, in aliis Sacramentis. Adde quod omne Sacramentum est sigillum verbo appensum, quod de absolutione dici non potest, quae ipsa verbum est, quod sigillo deberet obsignari. Nec valet quod Bellarminus Lib. 1. de poenit. cap. 10. ex verbis Christi, Quorumcunque remiseritis peccata, etc. Sacramentum vult cudere, quia (inquit) verbum est signum corporale et sensibile, et est promissio gratiae justificantis, verbo annexa. Nam si omnes

actus externi, quibus promittitur effectus gratiae, sunt Sacramenta; congregari in nomine Christi, habet effectum promissum praesentiae Christi, Matt. 18, 20. confiteri Christum coram hominibus habet promissionem confessionis Christi, coram Patre, Ibid. 10, 32. Relinquere patrem et matrem, promissionem centupli et vitae aeternae, Ibid. 19, 29. quo sensu infinita essent Sacramenta.

XXV. Potestas autem remittendi peccatum, qua tota hujus Sacramenti ratio nititur, apud ipsos Pontificios ita controversa est, ut plerique eorum, eam limitibus circumscribant, quos alii fatentur Sacramenti naturam destruere. Nam Lombardus in 4. dist. 18. 1. dist. parte lit. C. Bonaventura ibidem, artic. 2. Gabriel Biel, Marsilius, Major, Okam, Antisiodorensis, Alexander, Thomas de Argentina, Abulensis, omnes, inquam, illi (fatente Vasquez quaest. 94. artic. 3.) conveniunt in eo, quoad remissionem culpae, et animae vivificationem, et dimissionem reatus aeternae poenae (in quibus procul dubio consistit gratia justificans) eam non esse ex virtute clavium, nec ad hunc effectum claves se extendere, sed quod tantum ostendat Sacerdos, cum inquit, Ego te absolvo, jam illum absolutum a culpa per contritionem. Ex quo sequitur, effectum hujus absolutionis non esse gratiam justificantem; proinde nec Sacramentum proprie dictum, secundum Pontificios.

XXVI. Inde recte Vasquez colligit sequi, remissionem culpae, non fieri per Sacramentum, cum non fiat virtute formae illius, verbis praecipue, quorum virtute perficitur in ratione Sacramenti, et operis, ut ajunt, operati; nempe, quia auctores illi, sibi recte persuaserunt, Sacerdoti potestatem non esse ad hoc collatam, ut ab ipsa culpa et labe peccati possit absolvere; sed tantum ut ostendat sua absolutione, homines qui peccata sua confitentur, jam a Deo esse absolutos, asserentes, non solum Dei opus esse absolvere a peccati labe, sed etiam a reatu aeternae damnationis. In eam rem Magist. sentent. ex Ambrosio citat, Sacerdotem quidem officium suum exhibere, nullius autem potestatis jura exercere: solum illum peccata dimittere, qui solus pro peccatis mortuus est. Verba Ambrosii habentur, Lib. 3. de Spiritu Sancto, cap. 19.

XXVII. Potestas ergo ligandi et solvendi, si peccata consideremus ratione culpae et aeterni reatus, secundum Magistrum, nihil est aliud quam potestas declarandi aut ostendendi peccatores esse ligatos et solutos, ut olim sub veteri lege Sacerdotes, non mundabant leprosos, sed discernebant qui mundi vel immundi essent. Inde patet, Magistri tempore, et illorum qui sententiam ejus secuti sunt, poenitentiam non fuisse habitam pro Sacramento Novi Test. proprie dicto, et quemadmodum recte ex ejusdem Lombardi doctrina deducit Scotus, nullam habuisse causalitatem, vel dispositionem causalem ad primam gratiam, quia nunquam digne suscipitur, nisi ab iis, qui jam sunt in gratia, quia nullus ostenditur solutus, qui prius non fuerit a Deo absolutus. In 4. sent. dist. 19. q. 1.

EXTREMA UNCTIO.

XXVIII. Tertium Sacramentum addititium, extremam unctionem appellant Pontificii, quam definiunt, Sacramentum unctionis extremae hominis infirmi, jam morituri, poenitentiam agentis de peccatis suis, facta in certis membris corporis, a Sacerdote, cum oleo ab Episcopo consecrato, efficaciter conferente remissionem reliquiarum peccati, ad mentis relevationem atque corporis sanitatem recuperandam. Hujus Sacramenti materiam remotam esse volunt, oleum olivarum, de Sacramenti essentia, ad quam etiam pertinere volunt plerique, ut sit non a simplici Presbytero, sed ab Episcopo consecratum (etsi nonnulli existimarint, id tantum necessarium esse necessitate praecepti) singulis annis renovatum, cui tamen oleum non consecratum paulatim addi potest, Tolet. lib. 7. cap. 1. Materiam vero proximam, unctionem ipsam, quae de essentia Sacramenti debet fieri in oculis, auribus, naribus, ore et manibus; de integritate autem ejus, etsi non de necessitate, hominibus quidem, in renibus et pedibus; feminis autem, in umbilico. Jac. Angles in flor. ad 4. sent. quaest. de Sacram. extr. unct. adhibita ad omnes unctiones stupa nova, quae postea comburatur.

XXIX. Formam hujus sui sacramenti, volunt plerique esse

optativam et deprecativam, non indicativam, ita ut si non sit deprecativa, non valeat Sacramentum. Reprobant Ecclesiarum illarum formam, quae dicunt: Ungo tuos oculos, etc. nisi addatur, ut indulgeat tibi Deus. Est autem forma recepta, per istam sanctam unctionem, et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti, per visum, auditum, gustum, odoratum et tactum, Amen. Non est tamen certum an verba, per piissimam suam misericordiam, sint essentialia; etsi ea omittere, sit gravissimum scelus, de Coninck, dub. 4.

XXX. Minister iisdem, debet esse Sacerdos ab Episcopo rite ordinatus, et multo magis ipsemet Episcopus, in quo necessaria est intentio faciendi quod Ecclesia, etc. Sacerdos autem debet esse curatus, aut cui hoc munus ille delegaverit; esset tamen Sacramentum sine curati licentia, etsi excommunicationem, ipso facto, incurreret minister incompetens. Suscipiens autem Sacramentum, debet esse morti propinquus, saltem qui credatur esse in mortis periculo, ex morbo, ex vulnere, ex partu, vel ex senectute; non tamen infans, qui peccare non potest; aut amens, nisi in dilucido intervallo; non suspendendus aut capite plectendus (quia tales decedunt judicio integro) non existens in notorio mortali peccato.

XXXI. Quatuor effectus hujus sui Sacramenti faciunt: 1. Expulsionem reliquiarum ex peccatis remanentium. 2. Sanitatem animae ad malum pronae, et pigrae ad bonum. 3. Sanitatem corporis, ubi animae saluti expediat. 4. Auxilium contra tentationes et daemonis aggressiones quas homo tum patitur, Tolet. Instruct. Sacerd. Lib. 7. cap. 4. In his autem effectibus non conveniunt omnes Pontificii, nec inter eos constat, an sit certa et infallibilis necne, corporalis sanitas, vi hujus Sacramenti, an conditionaliter tantum promittatur. Qua de re disputat Bellarm. contra Dominic. a Soto cap. 6. de extrem. unct. De specie peccatorum, quorum reliquiae remittuntur, decertant an sint venialia tantum, quod quidam volunt; an etiam mortalia, quod plerique, inter quos Bellarm. quia nulla necessaria est nova infusio gratiae ad delenda venialia, proinde nec Sacramento.

XXXII. Talia proposuisse etsi ad refutationem sufficiat, addemus tamen haec pauca, 1. conditiones in vero Sacramento

ab ipsis Pontificiis requisitas, huic ritui deesse; divinam nempe institutionem, divinam promissionem, et gratiae divinae et spiritualis effectum, praecipue intentum, et ad spiritualem illum effectum analogiam. Praeterea, non esse statam et perpetuam ceremoniam, universali Ecclesiae datam, quod in omni Sacramento proprie dicto necessarium est. Nam quod divinam institutionem nonnulli colligunt ex cap. 6. Marc. v. 16. ubi de Apostolis dicitur, unxisse illos multos aegros oleo, et sanasse, viderunt nasuti quidam inter Pontificios, ad unctionem quam Sacramentalem censent, non posse pertinere, ut Dominicus Soto in 4. dist. 24. q. 1. quem sequitur Bellar. de extrema unct. cap. 2. Sed ad donum et gratiam miraculorum spectare, circa corpora potissimum. Quod autem dicunt, unctionem illam apud Marcum, Sacramentalem suam praefigurasse, eadem facilitate rejicitur, qua proponitur: nisi velint omnia miracula ab Apostolis facta, Sacramenti alicujus sub Nov. Test. fuisse figuras, quod absurdissimum esset.

XXXIII. Quod ex Jacobo afferunt, cap. 5, 14. et 15. ostendit quidem, in primitiva Ecclesia, durante adhuc sanationum dono extraordinario, consilium hoc datum fuisse ab Apostolo: fidelibus, non in extremis agentibus, sed quovis morbo laborantibus, ut Presbyteros Ecclesiae ad se vocarent, qui in nomine Domini, oleo (de cujus consecratione ne verbum quidem habetur) aegrum inungerent, cum spe sanationis obtinendae, oratione fidei, et remissionis peccatorum impetrandae, siquidem aeger in peccatis esset a morbo deprehensus. Sed haec ad Sacramenti alicujus institutionem non pertinere, recte agnovit Cardinalis Cajetanus, scribens in eundem locum. Atque adeo, nec ex verbis, nec ex effectu, verba haec loqui de Sacramentali unctione, sed de ea quam exercuerunt discipuli Domini in aegrotis. Textus enim non dicit, infirmatur quis ad mortem, sed absolute, infirmatur quis, et effectum dicit, infirmi allevationem, et de remissione peccatorum, non nisi conditionaliter loquitur. Adde quod effectum illum non tribuat Sacramento, quod volunt Pontificii, sed orationi fidei; proinde, secundum eos, operi operanti; et fidei, tam ministri quam suscipientis, non operi operato.

XXXIV. Deinde, nec Jacobus, nec alius quisquam Apostolus, potuit Sacramentum novum instituere. Institutum autem a

Christo, ab Apostolo fuisse promulgatum, excogitatum est ab adversariis commentum; nec enim credibile est, alicujus Sacramenti institutionem, si a Domino facta fuisset, ab Evangelistis potuisse omitti; qui multo minutiora scriptis consignarunt. Ideo ingenue magis se gerunt, Hugo de Sancto Victore Lib. 2. de Sacram. parte 15. Lombardus in 4. dist. 23. dum asserunt, Apostolos institutores fuisse hujus unctionis. Unde sequitur, non esse Sacramentum. Thomas autem et sequaces, inepto circulo, non tam rem probant quam produnt ejus vanitatem, dum praesupponentes esse Sacramentum, inferunt, a Christo ergo fuisse institutum. Si jam quaeratur ab illis, unde constet a Christo fuisse institutum? quid aliud respondere poterunt, nisi, Quia est Sacramentum?

XXXV. Alias conditiones non probant ex Jacobo. Nam etsi Jacobus spem faciat, alicujus boni temporalis et spiritualis, non est tamen promissio Christi, Sacramentum instituentis. Deinde effectus spiritualis gratiae, non directe et proprie unctioni promittitur, sed gratia sanitatis corporis, quae Sacramenti effectus non est. Praeterea effectus ille, nostris temporibus nunquam contingit, et ideo Pontificii addunt conditionem, si sit expediens, ubi Jacobus nullam habet, et absolutum faciunt spiritualem, qui apud Jacobum est conditionatus. Insuper apud eos quaestio pene inexplicabilis est, ut diximus, quaenam sint peccata quae in unctione remittantur. Analogiam autem inter unctionem corporis, et remissionem peccati in anima, non magis explicabunt quam reliqua. Denique apud Jacobum nihil prorsus habetur de praecipuo et primario effectu quem Sacramento suo tribuunt, nempe ut aeger spirituali auxilio muniatur, contra tentationes in articulo mortis ingruentes.

XXXVI. Duo ergo apud Jacobum praescribuntur, quorum unum ordinarium est et perpetuum, ut advocatis Ecclesiae Presbyteris, precibus fidei aeger commendetur, et accepta ex Dei verbo consolatione, exspectet a Deo sanitatem corporis, si ita expediat; et animae levamentum per dimissionem peccati, cujus certus reddetur fide propria, apprehendente promissionem gratiae factam poenitenti. Extraordinarium fuit, quod olei unctione operabantur sanitatem; quod tamen precibus etiam a Deo petitum fuit, quibusdam post Apostolos seculis, ut patet ex ritualibus antiquis a Cassandro editis, ubi hanc formulam recitat,

Ungo te de oleo sancto in nomine Patris, etc. ut fugatis omnibus doloribus, vel incommoditatibus corporis tui recuperetur in te virtus et salus, quatenus per hujus operationem mysterii, et per hanc sacram olei unctionem, atque nostram deprecationem, virtute sanctae Trinitatis medicatus, pristinam et magis robustam recipere merearis sanitatem. Similes formulas recitat, in Schol. ad Hym. Eccles. pag. 288. edit. Paris.

XXXVII. Ex formae mutatione patet, id quod jam in Ecclesia Romana obtinet, ab antiqua unctione alienum esse: quia non solum verba, sed etiam sensum mutavit, ut Sacramentum conderet, cum videret unctionem illam prorsus irritam esse, ratione sanitatis corporis, ad quam tamen veteres omnes formulae respiciebant; et hic certe notanda est confessio Matthaei Galeni Primarii Professoris Duacensis, et Academiae Cancellarii, Catechesi 181. Quid mirum est (inquit) raram contingere sanitatem, cum vix habeatur nunc ratio partium male affectarum, quas nostri majores totis septem diebus inungebant? adhibebant validas preces, suppetebant merita, nec deerat fides in Deum, seu fiducia; quibus rebus quidvis poterat impetrari. Jam vero cum vel ea ignoremus, vel contemnamus, mirari non oportet si nil sequatur, ubi vix necessariae preces intelliguntur aut leguntur attente. At Sacramentorum vis non pendet a meritis, fiducia, ignorantia, vel contemptu administrantium. Sequitur ergo, extremam illam unctionem, non esse Christianum Sacramentum.

ORDO.

XXXVIII. Omnia in Ecclesia *κατὰ τάξιν καὶ εὐσχημόνως* institui debere, cum Apostolo, 1 Cor. 14, 40. statuimus, nec quemquam nisi legitime vocatum, Ministerium in Ecclesia exercere jure posse agnoscimus. Quosdam etiam inter Ministros a Deo constitutos, esse officii, aetatis et donorum, gradus; de quibus omnibus cum satis superque in disputatione, de Ministerio Ecclesiastico, actum fuerit, hic quaestio una nobis explicanda superest, de ratione Sacramenti, quam Pontificii suis ordinibus

affingunt, ita ut, etsi unusquisque ordo sit Sacramentum, non tamen plura Sacramenta constituant quam unum, quamvis omnes illi ordines materia et forma differant, imo et effectu proprio, quoniam, inquiunt, unum sunt genere Sacramentum, vel, quia ad unum finem omnes referuntur. Quae ratio si locum habeat, non solum Ordines, sed etiam omnia Sacramenta unum erunt Sacramentum, quia in genere conveniunt Sacramenti, et ad unum et eundem finem referuntur; nempe generalem, Dei gloriam; et specialem, quoad nos, gratiae justificantis obsignationem.

XXXIX. Non est autem una apud adversarios sententia de numero suorum ordinum, nec de omnium quos inter ordines censent, dignitate Sacramentali. Quidam enim novem ordines constituunt, ut Canonistae, referente Navarro in Manual. cap. 22. nu. 18. His decimum addit, nempe ordinem cantorum. Titelm. 1. de Sacram. cap. 3. Alii octo tantum agnoscunt proprie dictos, 4. nempe minores, Ostiarios, Lectores, Exorcistas, Acolythos; et tres majores, Subdiaconatum, Diaconatum, et Presbyteratum; addunt octavum, Episcopatum; dissidentibus aliis qui negant alium esse ordinem a Sacerdotio. Jac. Angles in 4. Sent. et alii. Rursus, multi solum Presbyteratum Sacramentum esse contendunt; quorum agmen duxit Durandus, cujus sectatores magna reprehensione dignos non judicat Soto. Victoria de Sacram. q. 226. probabilem censet sententiam. Angles in 4. non erroneam. Imo quaestionem nondum esse ab Ecclesia definitam, ne de Diaconis quidem, fatetur Estius, in 4. dist. 24. Sect. 8.

XL. Sunt qui tres majores ordines, Sacramentum, quatuor minores, sine erroris periculo, Sacramenta propria non esse, quae gratiam dent, et Characterem imprimant, dici posse, asserunt, ut Dom. Scotus, Medina, Angles, etc. Bellarminus ipse haesitanter loquitur, de Subdiaconatu non esse tantam certitudinem, de minoribus ordinibus minus esse probabile quod sint Sacramenta, quam de Subdiaconis, quia non ita communis est sententia, et certum est leviora esse munera, Lib. 1. de Sacrament. ord. cap. 5. de quibus, ut etiam de Subdiaconatu, fatetur P. Soto, de Sacramentor. ordin. lection. 1. ex sacra Scriptura non haberi, nec de ipsis, aut eorum nominibus, fieri

in omnibus antiquis mentionem. Praeterea, sunt qui negant, Episcopatum esse Sacramentum vere et proprie dictum, et imprimere characterem novum; ut Dominicus Soto, de Instit. et jure q. 1. art. 2. et alii fatente Bellarmino, ubi supra, qui contra contendit esse verum Sacramentum, et novum imprimere characterem; quae certe dissidia, nihil ipsos habere certi ex verbo Dei de Sacramenti hujus supposititii institutione, satis ostendunt.

XLI. Id etiam evincit maxime, quod de materia, et signis Sacramentalibus inter eosdem non convenit. Cum enim in majoribus ordinibus, quos vocant, duplicia signa adhibeant, nempe impositionem manuum, et traditionem instrumentorum, ut calicis et patinae in Presbyteratu, et libri Evangeliorum in Subdiaconatu; quidam volunt utrumque signum esse essentiale, ut Bellarmin. Lib. 1. de Sacramentor. ordin. cap. 9. Alii solam instrumentorum traditionem, ut Domin. Soto in 4. dist. 24. q. 1. art. 4. in aliis minoribus ordinibus solam instrumentorum porrectionem sufficere omnes quidem censent; sed unde haec habeant signa, quando et a quo fuerint instituta, si quaeratur, necessario obmutescendum erit; alioqui proferant tabulas divinae institutionis, ubi Christus tradiderit Apostolis patinam et calicem, eosque hac traditione instituerit sacerdotes ad offerendum Missae sacrificium, et sic de ceteris.

XLII. Nec meliori nititur fundamento, forma quam huic suo sacramento, aut multis suis sacramentis, ascribunt. Nam verba quibus utitur Episcopus in ordinatione, sunt plane humanae institutionis, ut, Accipe potestatem offerre sacrificium Deo, missasque consecrare, tam pro vivis quam pro defunctis, in nomine Domini, cum ordinatur Presbyter; vel in ordin. Diaconi, Accipe potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei, tam pro vivis quam pro defunctis, in nomine Domini, etc. Pontif. Roman. de ord. Diac. et Presbyt. fol. 16. et 20. In ordinatione Acolythi, Accipe ceroferarium cum cereo, et scias, te ad accendenda Ecclesiae luminaria mancipatum, Ibid. pag. 9. et sic de ceteris: in quibus omnibus notant, invocationem sanctae Trinitatis non esse de essentia formae. Quis credat, si aliquid tale a Christo fuisset institutum, adeo obscure et latenter factum, ut adhuc post mille et sexcentos annos, incertum ma-

neat, quae sit propria hujus Sacramenti materia, quae forma; nam etiam alii aliam formam in ordinatione presbyterii statuunt, Accipe potestatem remittendi peccata, etc. Sic faciunt Sacramentum a Christo institutum, de cujus tota substantia adhuc sunt incerti; quae non solum in Scriptura non habetur, sed nec etiam in tota antiquitate vestigium ejus apparet; ad quod adversarii effugium in eo quaerunt, quod caverint, ne tam sancta religionis nostrae mysteria, in profani vulgi, praesertim in infidelium notitiam et per hoc in contemptum venirent, Estius in 4. dist. 24. 2. quod ridiculum est commentum. Quomodo enim latere poterat, quod tantae ministrorum multitudini communicari debuit, inter quos non solum multos imprudentes fuisse, par est credere, sed etiam non paucos adversarios aliquando defecisse per quos talia poterant palam fieri? Accedit, quod si ritus baptismi, et S. Synaxeos, ab ipso Christo instituti, evulgati fuerunt a primis Ecclesiae temporibus, nulla est ratio, cur minorum Sacramentorum materia et forma, tanto silentio debuerit obvolvi.

XLIII. Ad effectum quod attinet, geminum quidem illum faciunt; unum quod gratiam conferat; alterum, quod characterem imprimat in anima ordinati. De Charactere jam explosum est delirium, quando actum est de Sacramentis in genere; et multi, ut videmus, negant, in minoribus quinque ordinibus, vel gratiam conferri, vel characterem imprimi. Ad majores quos vocant ordines, quod spectat; requirimus divinam promissionem, clare et perspicue in Scriptura expressam: alioqui nemo nobis persuadere poterit, Deum obligari, ut ex pacto adsit, operatione certa supernaturali, quotiescunque homines, verbis a se confictis et ceremoniis ludicris, quicquid sit, mere humanis, spiritualia χαρίσματα affingunt. Nec est quod quis moveatur objectione Bellarmini ex 1. ad Tim. cap. 4. et 2. cap. 1. in quibus mentio fit gratiae a Timotheo acceptae per manuum impositionem. Nam 1. non agitur de gratia justificante, quae sacramentis obsignatur, quam Timotheus aliunde habebat; sed de gratia quam vocant gratis datam, quam habere potest qui non est justificatus.

XLIV. Ipse Bellarminus de Sacram. in genere c. 26. fatetur, auctoritatem conferendi Sacramenta, non esse gra-

tiam gratum facientem, sed gratis datam, nec ita pugnare cum improbitate vitae, ut simul cum ea esse nequeat, quo dicto causam suam jugulat. Adde, quod inter Pontificios non adhuc constet, an impositio manuum, sit essentialis ordini, nonnullis id negantibus, ut jam ostendimus. Praeterea, cum impositione manuum usi fuerint Apostoli, non solum in ordinatione, sed etiam in collatione specialium Spiritus Sancti donorum, dictum illud 2. ad Tim. v. 16. commode de utraque χειροθεσίᾳ accipi posse, negari non potest, proinde ad alicujus sacramenti institutionem non pertinet, cum dona Spiritus extraordinaria, Pontificiis fatentibus, ad gratiam Sacramentorum non pertineant.

XLV. Ex dictis satis constat, nullum ordinem esse sacramentum proprie dictum. Non tamen pugnamus, si quis late sumpto sacramenti nomine, idem etiam verae ordinationi ministrorum communicaverit; dummodo inter omnes conveniat, inter sacramenta univoce dicta, non posse referri. Hoc sensu Calvinus Instit. Lib. 4. cap. 14. sect. 20. impositionem manuum, qua Ecclesiae ministri in suum munus initiantur, non invitus patitur vocari Sacramentum, sed inter ordinaria Sacramenta non numerat. Sic etiam intelligendus est Melanchthon, in locis commun. et Apol. confess. August. art. 13. ubi non vult, ordinem esse sacramentum proprie dictum, ut ei Bellarminus affingit, sed impropria et generali significatione, qua etiam veteres olim pedum lotionem, panem benedictum Catechumenis datum, etc. sacramenta appellarunt. August. Lib. 2. de pec. mer. cap. 26. Ambros. de Sacram. Lib. 3. cap. 1. Bernard. Serm. de Coena Dom. et consecratio altaris sacramentum appellatur, in gloss. causa 1. q. 3. cap. 15.

MATRIMONIUM.

XLVI. Idem de Matrimonio dicendum, si forte sanctae alias institutioni, eique divinae, Sacramenti nomen, a quibusdam inditum fuerit. Quod etiam inter Scholasticos animadvertit Durandus, in 4. dist. 26. q. 3. ubi docet, Matrimonium non esse Sacramentum sicut unum ex aliis, nec gratiam conferre ex opere operato. Idem etiam dicit Glossa causa

31. q. 1. c. 9. causa 32. q. 2. cap. 13. Item Godfredus, Hostiensis, Bernardus, a Durando citati; ipse etiam Lombardus in 4. dist. 2. ubi vult matrimonium esse tantum remedium contra peccatum, quod ante Christi adventum habebat, et non tribuere gratiam; unde sequitur, non esse univoce Sacramentum. Quam sententiam nunc pro haeretica habent novi Pontificii, statuentes, matrimonium esse vere et proprie sacramentum, in eo tamen dissidentes, quod nonnulli, ut Petrus Soto lection. 2. de Matrim. et Alph. de Castro contra haeret. verbo nuptiae, haeres. 3. velint, matrimonium non in Novo demum Testamento coepisse esse Sacramentum, sed jamdudum a primaeva institutione tale fuisse. Quod a Lombardo hauserunt 4. sent. dist. 26. Ille autem a Leone 1 Epist. 92. ad Rustic. Alii autem, inter quos Bellarminus, negant, rationem habuisse sacramenti ante Christum.

XLVII. Nos Sacramentum fuisse proprie dictum, sive a prima institutione, sive post Christum exhibitum, negamus; iisdem rationibus moti, quibus aliis falsi nominis sacramentis jus illud eripuimus: quod nempe a Deo non fuerit institutum ut sacramentale gratiae justificantis signum, aut sigillum, nec promissione de gratia illa in ejus usu exhibenda, munitum; nec certa verborum forma (quam Pontificii in Sacramentis requirunt) a Deo ipso fuerit praescripta, nec aliquid in Christianorum matrimonio possit animadverti, quo fidelium matrimonia ante Christum caruerint; ideo etiam in ea re, divortiis opinionum Pontificii inter se discrepant, et de tempore institutionis non solum dissentiunt, sed etiam de materia, quam existimant quidam esse verba consensum exprimentia, quatenus determinantur; alii, ipsas personas contrahentes, aut conjugum corpora; alii, ut Canus, ritus illos visibiles, qui in Ecclesiastica benedictione adhibentur; quo nomine vapulat apud Bellarminum, qui vult, personas contrahentes non solum materiam esse, sed etiam causam administram hujus sacramenti. Alii, consensum contrahentium pro materia ponunt. Alii, alia.

XLVIII. De forma itidem opinionibus certant. Quidam volunt, verba consensum declarantia, formam esse, quae cum pronuncientur a conjugatis, ideo esse illos sacramenti ministros, et si verbis non exprimant consensum, copulam carnalem pro forma et signo haberi posse; sic Bellarmin. de Matrim. Lib. 1. cap. 6.

Ex his, et cap. 5. Sed quicquid. Quod certe mirum est dogma, administrari posse sacramentum in lecto conjugali, idque actu tali, sine ullo verbo. Alii volunt, verba a Sacerdote prolata, formam esse, ut Canus Lib 8. hoc. Theol. cap. 5. et Gul. Paris. cap. 9. quaest. 1. de Matrim. quam opinionem repudiant alii, quia sequeretur, clandestina matrimonia ante Concil. Tridentin. contracta, non fuisse sacramenti dignitate donata, quod absurdum censent. Alii, verba ab altero conjuge primum expressa, verbi gratia, Accipio te in meam, esse materiam; ab altero autem secundo loco prolata, verbi gratia, Accipio te in meum, esse formam. Vasquez disp. 3. cap. 1. et seqq. novem refert de hac re sententias; octo refutat, et eam eligit, quae ab aliis refutatur. In omni autem Sacramento, cum sit in genere signi, et signum non sit, quod pro tali non agnoscitur, cum multum interesse, ut quid signi rationem habeat, ex institutoris voluntate, constet, imo plane necessarium sit; ex hac adversariorum pugna, satis constat, matrimonium non esse veri nominis sacramentum.

XLIX. Nec huic sanctae institutioni, sacramenti rationem astruit, quod ea, D. N. Jesu Christi spiritualis illa et arctissima cum Ecclesia conjunctio, adumbratur; nam cum haec significatio consistat primo et praecipue in vinculo illo indissolubili matrimonii, quod adversarii fatentur, iidem etiam concedunt, matrimonium sumptum pro vincnlo, nec jam esse, nec unquam fuisse proprie dictum Sacramentum, Coninck, de Matrim. disp. 24. dub. 2. ubi etiam agnoscit, Patres accipere Sacramentum lato modo, pro quovis signo rei sacrae a Deo instituto, quia dicunt, matrimonium esse Sacramentum, non quia significat aliquam sanctitatem quam suo usu conferat, sed quia significat conjunctionem Christi cum Ecclesia. Hinc etiam dicunt, matrimonium in lege naturae simili modo esse Sacramentum. Haec ille.

L. Ex quibus patet, quid respondendum sit ad palmarium illud argumentum, quod ex c. 5. vers. 32. Epist ad Eph. nectunt plerique adversariorum. Nam ut ommittam, sacramenti nomen in vulgata editione tantum reperiri; constat, nomen illud esse commune, et ex voce (quod etiam agnoscit Bellarminus) verum sacramentum non probari; ex textus vero circumstantiis

multo minus. Quod etsi Bellarminus summa vi contendat, non potuit tamen id suis omnibus persuadere. Nam Gabriel Vasquez qui post Bellarminum scripsit, de loco ad Eph. 5. Sacramentum hoc magnum est, etc. sic loquitur: Ego vero semper existimavi, hoc testimonio, non solum id quod contendunt nostri, probari non posse, verum etiam in explicatione illius, aliqua ab iis pronunciari, quae cum vera doctrina minime constare possunt. Et post longam refutationem addit, Satius fuisset Theologis nostris, hunc locum Pauli contra haereticos praetermittere, quam ut viderentur eos Scripturae testimonio premere, in has angustias et minus tutam sententiam incidere. De Matrimon. Sacramen. disputat. 2. cap. 6. Item, concedimus ergo, neque ex illo ad Ephes. 5. neque ex illo 1. ad Timotheum, 2. cap. efficaciter probari posse, matrimonium esse Sacramentum, Ibidem.

LI. Quod cum ita sit, et tandem fateantur vi veritatis adacti, se in Scriptura nullum habere hujus sui sacramenti fundamentum, sed ad Ecclesiae suae definitionem perpetua traditione deductam, suam de ea re sententiam referant, quae traditio magis incerta est, quam res de qua agitur; duobus genuinis sacramentis, quae a Filio Dei, certis signis et verbis instituta esse exploratum est, et ex Scripturis manifestum, contenti; haec eadem pauca pro multis, observatione facilia, efficacia utilissima, significatione manifestissima, retinentes: eorum usu fidem nostram confirmabimus, fide non vacillantes: et quando quicquid sine fide fit, peccatum esse didicimus; et nullam esse fidem, non praeeunte Dei verbo novimus; peccatis eorum non communicabimus, qui vanis opinionibus inter se dissidentes, humanis inventis gratiam Dei alligant; quam ab auctore gratiae unico exspectantes, eidem in Trinitatis unitate, perpetuas gratias et laudes concinemus.

COROLLARIA.

I. Gradus consanguinitatis et affinitatis, in quibus contrahere prohibitum est, Levit. cap. 18. ita

ad politiam Israëliticam pertinere negamus, ut non sint juris divini, omni tempore ex honestatis lege servandi.

II. Matrimonium in casu adulterii vel injustae desertionis infidelis, quoad vinculum etiam, dissolvi affirmamus, ita ut divortio legitime facto, innocens a nuptiis arceri non debeat.

III. Matrimonium, quoad vinculum, vel quoad thorum, vel cohabitationem, per votum aut ingressum in religionem, ut vocant, dissolvi posse, negamus.

IV. Consensum parentum, expressum vel tacitum, necessario requiri ad matrimonium legitime contrahendum, affirmamus.

DISPUTATIO XLVIII.

DE

Disciplina Ecclesiastica.

Praeside D. ANTONIO WALAEO.

Respondente JOHANNE LIVENSIO.

THESIS I.

SICUT nec familia, nec respublica, nec ulla humana societas sine legum ac disciplinae vinculo consistere potest, ita nec Ecclesiae Christi sua integritas in hoc mundo potest constare, nisi certo regimini atque idoneis legibus sit astricta; per quae ordo ejus et εὐταξία adversus carnis, mundi ac Satanae fraudes ac molitiones inviolata conservetur.

II. Hoc Ecclesiae regimen vulgo disciplina Ecclesiae appellatur; quam Christus clavium nomine Matt. 16, 19. designat, et Apostolus 2 Cor. 10, 8. potestatem appellat, quae a Domino data est, non ad subversionem, sed ad aedificationem.

III. Est autem haec potestas tota ministerialis, Christo atque ejus verbo per omnia subjecta. Nam solus Christus tam-

quam filius domui suae praeest, Hebr. 3, 6. Et clavem Davidis habet, qui aperit, et nemo claudit; et claudit, ac nemo aperit, Apoc. 3, 7. Ministri vero ejus tamquam famuli domui ejus praesunt, Hebr. 3, 5. et tamquam oeconomi ac dispensatores mysteriorum Dei, in quibus hoc cumprimis requiritur, ut fidus quisque reperiatur, 1 Cor. 4, 2.

IV. Clavis autem haec sive potestas ligandi ac solvendi, prout a Christo explicatur Matt. 18, 18. recte a Catechesi nostra duplex constituitur, una verbi, altera excommunicationis: quarum illa clavis scientiae ex Luc. 11, 52. solet vocari, haec vero clavis disciplinae strictius sic dictae.

V. Clavis seu potestas verbi est, qua remissio Peccatorum, et reconciliatio cum Deo, per Christum, non tantum generatim credentibus ac resipiscentibus annunciatur, prout passim in Scripturis videre est; sed etiam qua verbum illud generale, ad consolationem atque aedificationem cujusque conscientiae singulariter applicatur, prout fidei ac resipiscentiae fructus aut impoenitentiae atque incredulitatis signa in iisdem se produnt; quemadmodum in exemplo Nathanis ad Davidem, 2 Sam. 12, 13. et contra, Petri ad Simonem magum Act., 8, 21. videre est.

VI. Usus hujus annunciationis communiter penes totam Ecclesiam certo respectu est; quia singula Ecclesiae membra ex caritatis praescripto, pro mensura doni a Christo accepti, et vocationis ratione, se mutuo privatim consolari, adhortari, ac monere ex Dei verbo possunt ac debent; idque secundum mandatum Christi, Matt. 18, 15. Si peccaverit in te frater tuus, ito et moneto eum inter te et ipsum solum, etc. Item Apostoli Hebr. 3, 13. Exhortamini alii alios quotidie, quoad appellatur dies hodiernus, ne quis ex vobis induretur fraude peccati.

VII. Singulariter tamen ad hanc potestatem publice, et ex publica auctoritate etiam privatim exercendum, Christus Ecclesiae Pastores ac publicos verbi administros delegavit; unde et Apostolo Petro Christus sigillatim promisit, Matt. 16, 19. Ego tibi dabo claves regni coelorum, et quicquid ligaveris in terra, erit ligatum in coelis, et quicquid solveris in terra, erit solutum in coelis; et omnibus discipulis conjunctim Joh. 20, 22. Si quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, si quorum retinueritis,

retenta sunt. Atque idcirco etiam praecones verbi, in Christi nomine legatione fungi dicuntur, 2 Cor. 5, 20.

VIII. Altera clavis, quae disciplinae vocatur, in Ecclesia Christi magis controversa est, ac proinde ejus natura, modus atque usus paulo diligentius ex Sacra Scriptura nobis contra omnes abusus est vindicandus.

IX. Statuimus ergo, eam proprie consistere in potestate illa spirituali, qua per Pastores verbi, ex consilio Senatus Ecclesiastici, et consensu totius Ecclesiae, illi qui fratres nominantur, propter doctrinae aut vitae impuritatem, post privatas ac publicas Ecclesiae monitiones neglectas ac contemptas, a signis divinae gratiae arcentur: et si in eadem contumacia perseverent, tandem coram tota Ecclesia in Dei nomine per publicam sententiam in terris, et consequenter in coelis, ab Ecclesiae communione exclusi esse pronunciantur; tantisper dum per resipiscentiam veram ac seriam Deo atque Ecclesiae reconcilientur.

X. Antequam vero hujus definitionis singula membra pensiculatius examinemus, nobis ex Sacra Scriptura contra nonnullos, qui se pro Ecclesiae reformatae membris gerunt, hanc potestatem Ecclesiae esse datam, demonstrandum est; ac deinde modus ac natura ejus juxta definitionem a nobis propositam explicanda.

XI. Hanc potestatem Ecclesiae esse datam evincunt plurima documenta atque exempla tam Veteris quam Novi Testamenti.

XII. In Veteri Testamento Deus mandavit, ut impuri secundum legem non tantum sponte a sacrorum communione abstinerent, Lev. 5. et 6. et sequentibus capitibus. Item ab esu agni paschalis, Num. 9. Sed etiam ut Sacerdotes et Levitae hujus rei curam prae ceteris haberent, nempe, ut secundum Dei verbum inter purum et impurum, sanctum et profanum discernerent ac judicarent, ut videre est de omni impuritate, Lev. 10, 9. Ez. 44, 23. et de impuris ex lepra, Lev. 13. utque eos quos impuros judicassent, a templi ac sacrorum communione tantisper arcerent, donec per singularia sacrificia denuo essent mundati; quemadmodum praeter Regis Usiae exemplum singulare, 2. Paralipom. 26. universe indicatur, 2. Paralipom. 23, 18. Jojada distribuit munera in domo Domini inter Sacerdotes et Levitas, et collocavit janitores in portis

domus Dei, ut non ingrederetur immundus ulla re.

XIII. Id quum de impuritate ceremoniali manifestum sit, multo magis de morali impuritate erit statuendum, quum ceremonialis illa impuritas, moralem impuritatem designaverit, sicuti Propheta Haggaeus cap. 2, 12. exponit; et Deus cum incircumcisis carne, etiam incircumcisos corde, in exclusione a sanctuario conjungit, Ezech. 44, 9. Nemo peregrinus incircumcisus carne, aut incircumcisus corde in sanctuarium meum veniet. Quod etsi mystice de sanctuario Novi Testamenti hic intelligendum agnoscamus, tamen simul aperte denotat, quid in externo illo sanctuario Veteris Testamenti fuerit faciendum.

XIV. Sed praeter haec argumenta quae ex analogia impuritatis ceremonialis petuntur, certa quoque sunt documenta quae ab impuritate morali ex Veteri Testamento colliguntur. Ut Levit. 6, 2. lex lata est diversis generibus fraudium et furtorum; et modus adjungitur, quo ejusmodi homines denuo cum Ecclesia reconciliari possint, et peccatum illud expiari, nempe redditio rei interversae cum quinta ei superaddita, et immolatio arietis lactentis per sacerdotem. Unde necessario sequitur, hominem ejusmodi, ante sui reconciliationem cum homine fraudato per rei ablatae redditionem, et cum Deo per singulare sacrificium, non habuisse accessum ad communia sacrificia ac Sacramenta Ecclesiae Israëliticae. Ubicunque enim propitiatio singularis, ibi impuritas; ubi impuritas, ibi a sacris communibus exclusio, Num. 19, 20.

XV. Id ipsum quoque invicte demonstrat reprehensio Sacerdotum Veteris Testamenti, quae exstat Ezech. 44, 6. Satis esto vobis, discedite ab omnibus iniquitatibus vestris, o domus Israël, qui introduxistis alienigenas, praeputiatos corde, et praeputiatos carne, ut essent in Sanctuario meo, ut profanarent domum meam. Quemadmodum Philo Judaeus libro de sacrificantibus testatur, hunc usum permansisse inter Judaeos etiam suo tempore, ut homicidae non admitterentur in templum. Et Josephus Lib. 4. c. 13. de bello Judaico acerrime invehitur in Zelotas, quod versarentur in templo manibus popularium caede calentibus, et Antiq. Lib. 19. cap. 7. testatur fuisse quendam Pharisaeum nomine Simonem, qui Agrippam regem accusabat ut impium et arcendum

templi aditu. Unde et in Evangelica Historia Joh. 9, 22. et alibi legimus, eos quos pro impiis habebant, factos esse ἀποσυναγώγους; et Christus inter reliquas calamitates quas suis Apostolis praedicit, etiam hanc adjicit, quod ex synagogis propter ipsius nomen essent ejiciendi, Joh. 16, 2.

XVI. Ex Novo Testamento plurima quoque Scripturae loca in hanc sententiam manifesta sunt, quae ad munus Magistratus nullo pacto possunt referri. Locus Matt. 16, 19. Tibi dabo claves regni coelorum, et quicquid ligaveris in terris, ligatum erit in coelis. Item Joh. 20, 23. Cuicunque remiseritis peccata, remissa erunt, et cuicunque retinueritis, retenta erunt, de officio Magistratus nec intelligi possunt, nec unquam fuerunt intellecta, sed de munere Apostolorum tantum et Ecclesiae Pastorum; quemadmodum nec locus Matt. 18. Dic Ecclesiae, et si Ecclesiam non audierit, sit tibi velut Ethnicus et Publicanus, et 1 Cor. 5, 3. 4. 5. ubi Apostolus incestuosum ab Ecclesia Satanae tradi mandat, et leges praescribit secundum quas haec disciplina deinceps exerceri debeat; praeter diversa exempla quae in praxi, et Epistolis Apostolorum, passim occurunt, quorum in sequentibus facienda erit mentio.

XVII. Ex quibus omnibus manifestum est, gravissime eos errare, qui hanc potestatem Ecclesiae datam negare audent, quae universa Veteris et Novi Testamenti, et Ecclesiae totius Christianae immota praxi fulcitur.

XVIII. Graviter etiam errant illi, qui hanc potestatem quidem Ecclesiae a Christo datam fatentur, sed extra ordinem et ad tempus tantum, quamdiu Ecclesia sub cruce fuit, et Magistratibus Christianis caruit. Quia argumenta ex Veteri Testamento antea allata, de Ecclesia sub fidelibus Magistratibus constituta agunt; et Christus in Novo Testamento Ecclesiae hanc potestatem absolute et in perpetuum dedit, nulla ejusmodi exceptionis mentione aut suspicione usquam injecta; unde et Ecclesia primitiva eandem potestatem citra omnem controversiam exercuit, non tantum sub cruce et antequam Imperatores essent Christiani, sed etiam sub iis, quando jam ad fidem essent conversi, et sub eorum politico regimine, quod ab Ecclesiastico et spirituali hoc regimine semper distinctum et discretum fuit.

XIX. Etsi vero hanc spiritualem potestatem, a Christiani

Magistratus inspectione, tamquam utriusque tabulae custode non eximimus, negamus tamen eam, aut ejus praxin a Magistratus suprema auctoritate pendere, sicuti quidam recentiores contendunt, cum a Christo solo pendeat, et ab ipso immediate Ecclesiae sit concessa, ut loci antea producti demonstrant. Ac proinde nec per appellationem, aut provocationem proprie dictam, potestas haec ad Magistratus aut Principum tribunal deferri potest, quum ejus exsecutio penes ipsos non sit. Interim tamen non diffitemur verum esse quod Beza adversus Erastum fatetur, quum etiam a recte constituto consistorio possit reis delatis injuria fieri, in angustioribus territoriis, citra ullam ordinis Ecclesiastici violationem, Christianus magistratus, ut tabulae utriusque et Ecclesiasticae εὐταξίας custos et vindex, prospicere potest conquerentibus.

XX. Quaestione hac ergo prima extra controversiam constituta, reliquum jam est, ut per quos, in quos, et quo modo haec disciplina sit exercenda, deinceps exponamus.

XXI. Statuimus ergo hanc potestatem residere in tota Ecclesia, sed quum Deus sit Deus ordinis et non confusionis, et in Ecclesia sit ordo docentium ac discentium, item eorum qui praesunt et qui subsunt, ut omnia in hoc tam arduo negotio ad aedificationem dirigantur, necessarium est ut singulis ordinibus suae distinctae partes assignentur.

XXII. Potestatis hujus exsecutionem penes administros verbi esse asserimus, idque non tantum quia haec publica disciplinae hujus administratio est appendix praedicationis verbi, et administrationis Sacramentorum; sed etiam quia omnia exempla quae a nobis tam ex Veteri quam Novo Testamento jam antea producta sunt, hujus potestatis publicam exsecutionem, ad Sacerdotes, Apostolos, Evangelistas, atque Ecclesiarum Angelos seu Pastores referunt.

XXIII. Nec tamen propterea concedimus, a solo aliquo Episcopo, sive Romano, sivi Eugubino, ex motu proprio aut plenaria auctoritate, ut loquuntur, hanc potestatem posse vendicari, sed Rectorum ac Presbyterorum Ecclesiae consilium, totiusque adeo Ecclesiae aut apertum aut tacitum saltem consensum adhibendum esse, ex praescripto Christi atque purioris Ecclesiae praxi asserimus.

XXIV. Nam vox Ecclesiae, qua Christus Matt. 18. utitur, pro uno aliquo Episcopo sumi non potest, et Apostolus Paulus 1 Cor. 5, 4. id ad Corinthiorum solennem congregationem refert, et quum eodem capite finem excommunicationis statuit toti Ecclesiae communem, ut communi quoque consensu res haec tota administretur, quo ejus finis tanto melius obtineri possit, est consentaneum, quemadmodum in Veteri Testamento non tantum Synedrii Ecclesiastici auctoritas antecessit, sed etiam populi consensus, ex cujus medio ejusmodi homo eradicari aut exscindi dicebatur, accessit.

XXV. Objectum circa quod haec disciplina exercetur, sunt illi, qui fratres nominantur, ut Apostolus definit 1 Cor. 5, 11. Nam illos qui extra Ecclesiam sunt, judicabit Dominus. Causa vero est vel vita prava, ut ex Matt. 18, 15. 1 Cor. 5, 11. 2 Thess. 3, 11. videre est, vel doctrina perversa, quemadmodum ex Rom. 16, 17. 1 Tim. 1, 20. Tit. 3, 20. et 2 Joh. v. 10. manifestum est, et ratio ejus rei aperta est, quia non tantum vita, sed etiam doctrina prava hominem a Christo separat, Gal. 1, 8. et utraque instar fermenti totam massam inficere potest, teste Christo, Matth. 15, 6. 12. et Paulo, 1 Cor. 5, 6.

XXVI. Nec ideo statim, ubi quis frater nominatus in hujusmodi scandala incidit, a corpore Ecclesiae aut signis gratiae excludi debet, quemadmodum quibusdam Anabaptistis in usu est: sed post privatas demum ac publicas Ecclesiae monitiones contemptas ac rejectas, sicuti Christi verba aperte significant, Si Ecclesiam non audierit, sit tibi velut Ethnicus et Publicanus; et Apostoli Tit. 3, 10. Haereticum hominem post unam aut alteram admonitionem devita.

XXVII. Quaestio hic movetur, an si peccantium in doctrina aut vita magna sit multitudo, exclusione a Sacramentis aut excommunicatione eorundem uti liceat. Causa dubitationis est, quia cum haec potestas data sit ad aedificationem non ad subversionem, subversio potius Ecclesiae ex ejusmodi separatione, quam aedificatio est exspectanda. Atque ideo Augustinus non sustinuit, ut adversus ebriosos in Africa propter peccantium multitudinem hic gladius spiritualis stringeretur.

XXVIII. Nos vero cum distinctione respondemus, si magna pars Ecclesiae in errorem fundamentalem, seu haeresin abducta sit, et omnibus remediis tentatis in viam revocari non possit,

hoc remedium piis Pastoribus qui saniori parti praesunt, superesse, ut sese cum recte sentientibus, ab heterodoxorum communione separent; et licet aperta sententia propter seductorum potentiam haec disciplina adversus eos usurpari non possit, ut aperto saltem facto ab illis secedant et haeresin comdemnent. Quemadmodum Christus monet Matt. 7, 15. Cavete a Pseudoprophetis, et Joh. 10, 5. Oves Christi peregrini vocem non norunt atque ideo fugiunt ab eo. Item Rom. 16, 17. Hortor vos, fratres, ut observetis eos qui dissidia vel scandala faciunt adversus doctrinam quam didicistis, et declinate ab eis. Quemadmodum in veteri Ecclesia Orthodoxi ab Arrianis secessionem fecerunt, et Proavi ac Patres nostri superioribus seculis ab Anti-Christi superstitione et Synagoga.

XXIX. Sed si vita improba magnam gregis partem infecerit, quemadmodum Prophetae de Israëlitica Ecclesia passim conqueruntur, rursum hic distinctione est opus. Quia vel pravam vitam suam haec multitudo docendo defendit, vel non defendit docendo, sed tantum sequitur eam male agendo. Si pravam vitam docendo defendit, ut olim Nicolaitae et Jesabel illa, quae prophetando seducebat servos Christi ad scortandum, tum eodem modo de illis statuendum, quo cum haereticis agendum jam ante docuimus, id est, vel publica sententia excommunicandi; vel si id propter eorum multitudinem et potentiam fieri non possit, ab iis secedendum; ut Christus de Nicolaitis et Jesabele illa mandat Angelo Ecclesiae Thyatirensis et Ephesinae, Apoc. 2, 6. et 20. idque ex vi declarationis Christi, Matt. 5, 19. Qui solverit unum ex mandatis illis minimis, et ita docuerit homines, minimus vocabitur in regno coelorum.

XXX. Sed si sola prava vita, non ex doctrina prava, sed contra doctrinam sanam, magnam gregis partem invaserit, ex sententia Augustini Lib. 3. contra Epistolam Parmeniani, et alibi adversus Donatistas, nec secessione ab eis, nec excommunicatione, sed precibus, gemitu, adhortationibus, reprehensionibus, comminationibus, bonis exemplis, et similibus remediis tantum utendum: quemadmodum videmus Prophetas et pios Sacerdotes his solis armis in Ecclesia Israëlitica esse usos. Quod et probat ex loco 2 Cor. 10. quia haec potestas non ad

destructionem, sed ad aedificationem est data, et ex parabola zizaniorum, quae Christus evelli noluit sed ferri, quando metus est ne triticum eadem opera evellatur ac perdatur, Matt. 13, 29.

XXXI. Has rationes Augustini firmas esse judicamus respectu piorum privatorum in ejusmodi coetu viventium, qui propterea ab ejusmodi coetu se segregare non debent, item respectu singularium Pastorum, qui plurium in tolerandis improbis consensui et suffragiis obniti non possunt; quemadmodum exemplo piorum Sacerdotum in depravatorum multitudine, et Prophetarum inter eosdem agentium exemplis recte demonstratur. Sed si Ecclesiae Rectores plerique in bonum conspirent, existimo, ejusmodi hominibus aperte et contumaciter corruptis, quantalibet sit multitudo, ab iisdem Pastoribus divinae gratiae Sacramenta communicari nec posse nec debere, sed unanimi consensu iis esse neganda, et Deo eventum commendandum, quia pii Pastores signa gratiae iis communicare non possunt, quibus Christus ea aperte negat, et ne communicentur, prohibet; et quia exempla in Ecclesiis nostri temporis reperiri possunt, ubi ejusmodi negatio publica, in publica morum corruptela, medium fuit et instrumentum, quo Ecclesia ad meliorem statum sit reducta, et morum major integritas revocata.

XXXII. Interim tamen absurde a Pontificiis propter vitia regnantium, etiam subditis innocentibus sacrorum usu interdicitur, aut familiis propter peccata patrisfamilias; cum filius non portet hic iniquitatem patris, nec subditus Principis, si ejus exemplum vivendo non sequatur ac probet.

XXXIII. Objecto hujus disciplinae sic explicato progrediamur ad ejus formam ac modum.

XXXIV. Forma seu potius gradus excommunicationis duplex statuitur: primus in abstentione a Coena Domini, alter in exclusione a totius Ecclesiae externa communione, et extra Ecclesiam ejectione consistit. Quorum prior gradus minor, alter vero, major excommunicatio a nonnullis vocatur.

XXXV. Abstentio a Coena Domini legitime fit duobus modis, vel quum quis frater nominatus grave aliquod vitae aut doctrinae scandalum admisit, a quo monitus resipiscentiam verbis quidem profitetur, sed resipiscentiae fructus idoneos nondum ostendit, ut scandalum ab Ecclesia tolli possit: vel quando ne quidem verbis resipiscentiam pollicetur, sed tamen resipiscentiae

spem omnem per contumaciam suam nondum praecidit, ut interim Ecclesia per hunc primum disciplinae spiritualis gradum, hominem illum per admonitiones et tolerantiam Christianam ad veram resipiscentiam invitet atque adducat.

XXXVI. Fundamentum hujus primae disciplinae gradus petitur, partim ex fine ipso qui jam a nobis explicatus est, partim ex abstentione eorum, qui in Ecclesia Veteris Testamenti propter impuritatem legalem ad tempus ab usu sacrificiorum et agni paschalis, ut interim se purgarent, cogebantur abstinere, sicuti ex Num. 9. et 19. et 2. Chron. 30. videre est; partim denique ex praecepto Apostoli, 1 Cor. 11, 28. ut homo prius seipsum probet, et sic edat de hoc pane et bibat de hoc poculo. Quae probatio etsi ab unoquoque privatim fieri debeat, in publicis tamen delictis etiam publice ab Ecclesiae praefectis ea fiat necesse est; quibus passim in Scriptura mandatur, ut toti gregi attendant, mundum ab immundo secernant, eos qui intus sunt dijudicent, et scandala quantum fieri potest, ab Ecclesia tollant.

XXXVII. Et Ecclesiae primitivae ab Apostolorum temporibus deducta consuetudo aperte huic ritui consonat, etsi agnoscamus rigorem aliquem in nonnullis Canonibus veterum Synodorum observari, in abstentionis temporibus definiendis, qui mansuetudinis Christi et Apostolorum ejus modum nonnihil excedat.

XXXVIII. Major excommunicatio tres gradus complectitur, quorum primus excommunicatio simplex, secundus anathema ex Gal. 1, 8. tertius anathema maranatha ex 1 Cor. 16, 22. appellatur. Postremi usus tantum est adversus eos qui in Spiritum Sanctum peccarunt, ac proinde quibus nulla spes veniae superest, sed hoc unum restat, ut Dominus veniat et causam suam adversus eos agat. Atque ideo Ecclesia posterioris temporis, quae hoc peccatum vix certo discernere potest, eo gradu uti non solet. Secundus gradus intermedius adversus dogmata perversa, et adversus eos qui haec contumaciter defendunt, generatim tantum usurpari solet. Primi vero usus proprie ergo superest adversus personas singulares, eo modo et ordine, qui a nobis Thesi 9. fuit definitus.

XXXIX. Haec excommunicatio verbis Christi Matt. 18, 17. explicatur, Si Ecclesiam non audierit, sit tibi velut Ethnicus et Publicanus. Item Apost. Gal. 5, 12. Utinam

exscindantur qui vos turbant. Sub Veteri vero Testamento eradicatio ex medio populi, et ejectio ex Synagogis vocabatur.

XL. Idem indicari per modum illum loquendi quo Apostolus usus est, 1 Cor. 5, 5. et 1 Tim. 1, 20. nempe tradere Satanae ad interitum carnis, recte judicarunt multi ex Veteribus; quia extra Ecclesiam Satanas regnat. Etsi non improbabile sit quod ab Augustino et Chrysostomo observatur, ideo ejusmodi homines Satanae traditos dici, quia cum ejectione ex Ecclesia et ejus communione, potestas aliqua et vexatio Satanae conjuncta fuit, donec resipiscerent.

XLI. Absurdum vero est et alienum a scopo Apostoli, quod Erastus hic est commentus, nempe Satanae traditos dici, ut ab eo morti dederentur; cum finem hujus traditionis longe alium Apostolus proponat, nempe ut carne mortificata spiritus salvus fiat in die Domini, 1 Cor. 5. Et ut discant non blasphemare, 1 Tim. 1. et ipse id postea explicet per alios et aequivalentes loquendi modos, nempe expurgate vetus fermentum, item tollite malum e medio vestri, item ne commisceamini cum iis, nec cibum cum iis capite, quod de mortuis non nisi inepte dici potest. Ut taceam, ab omni clementia et consuetudine Ecclesiae Apostolicae esse alienum statuere, quod avaros, ebriosos, idololatras, et similes per Satanam vita privarit.

XLII. Ut autem haec excommunicandi ratio plene intelligatur, paulo diligentius explicandum est, quousque se haec ejectio ex Ecclesia extendat, et quae sit illa communio qua ejusmodi homines privantur.

XLIII. Ex verbis Christi, Matt. 16. et 18. capite, evidenter colligitur, hominem excommunicatum, ita ligari aut solvi in terris, ut etiam ligetur aut solvatur in coelis, id est, ut sententia Ecclesiae in terris legitime ac juste lata, etiam in coelis apud Deum sit rata. Nam injusta excommunicatio, qualem Christus, Apostoli, et multi pii, ab Antichristi servis experti sunt, non magis metuenda est quam maledictio immerita, de qua Sapiens testatur Proverb. 26, 2. Ut avicula errando et hirundo volitando, ita maledictio immerita non obventura est.

XLIV. Prout autem communio membrorum Ecclesiae duplex

est, una externa et ordinis, alia interna et spiritualis: ita et excommunicatio vera ac justa utramque hujus communionis privationem certo modo ac certa conditione respicit.

XLV. Externam communionem inter Ecclesiae membra duplicem statuit Scriptura, unam mere Ecclesiasticam, alteram conversationis Christianae in vita civili.

XLVI. Ab Ecclesiastica communione excluditur homo excommunicatus; quia per excommunicationem privatur omnibus signis gratiae divinae, quae Deus suae Ecclesiae peculiaria esse voluit, et per quae Ecclesiae suum favorem singularem demonstrat; qualia sunt, 1. Omnia munera Ecclesiastica, a quorum usu necessario excidit excommunicatus. 2. Participatio Sacramentorum. 3. Verbi et precum communio: quatenus comprehendit tabulas foederis mutui inter Deum et Ecclesiam initi, aut promissiones ac consolationes Evangelicas credentibus ac resipiscentibus factas; unde etiam in Veteri Testamento a totius tabernaculi ac templi usu et communione exclusus fuit.

XLVII. Etsi autem in prima Ecclesia etiam ab eis excludi solebant excommunicati, nos tamen sub Novo Testamento id non esse necessarium judicamus, quia templa nostra nihil in se Sacramentale continent, quale tabernaculum ac templum Vet. Test. continuit, nec peculiares ab aliis locis gratiae promissiones habent, ut superstitiose credunt Pontificii, contra assertionem Christi, Joh. 4, 21. 23. Deinde quia excommunicati a verbi auditu aut publico aut privato excludendi non sunt, quatenus in eo continentur admonitiones atque exhortationes ad fidem ac resipiscentiam; et quatenus in eo etiam pro eorum conversione ab Ecclesia oratur. Quemadmodum videmus 1 Cor. 14, 23. etiam infideles ad Christianorum conventus fuisse in eum finem admissos, et Christus ipse in eum finem inter peccatores et publicanos conversatus est, et Apostolus expresse monet 2 Thess. 3, 15. Ut non ducamus ejusmodi hominem ut inimicum, sed ut admoneamus eum tamquam fratrem.

XLVIII. Communio conversationis Christianae in vita civili ex praecepto Apostolico etiam abrumpitur per excommunicationis usum, ut homo scilicet hujusmodi pudefiat, et ad meliorem mentem revocetur. Verba Apostoli perspicua sunt, 1 Cor. 5, 11. Nunc autem scripsi vobis ne commisceamini cum eis, et cum ejusmodi ne edatis quidem. Et 2 Joh.

v. 10. Si quis venit ad vos et hanc doctrinam non affert, ne recipite eum domum, nec ave ei dicite.

XLIX. Nec tamen sub hoc praetextu licet conjugibus se separare, aut officia conjugalia eisdem negare, ut Anabaptistae sine ullo Scripturae exemplo solent. Nec liberi propterea solvuntur obsequio parentibus debito, nec alia vincula naturalia aut moralia per excommunicationem abrumpuntur. Nam regula haec immota est, quod ceremonialia et positiva semper cedant moralibus ac naturalibus: Deus enim vult misericordiam et non sacrificium. Sed Apostolus Paulus et Johannes locis antea citatis, agunt de familiaritate illa conversationis, qua Christiani ex vi φιλαδελφίας et fraternitatis Christianae ejusmodi officia sibi mutuo praestare solent, a quorum officiorum singulari debito excommunicati excidunt, non tamen a communi naturae jure, quod semper inviolatum manet.

L. Eadem quoque ratio invicte demonstrat (ut de aliis abusibus hic non loquar) Pontifices injuste per excommunicationem Reges ac Principes privare Regnis ac ditionibus suis, aut subditos solvere juramento fidelitatis, quod eis legitime praestiterunt; quia haec vincula sunt naturalia ac moralia, ex vi tertii et quinti praecepti hominum conscientias obligantia, quemadmodum Apostolus id quoque explicat Rom. 13. et 1 Pet. 3. ac proinde per excommunicationem solvi aut abrumpi non possunt.

LI. Nec vero ejusmodi factorum ullum exstat exemplum in antiqua Ecclesia Judaica, aut in primitiva Christiana, sed contraria plurima, in Philippo Arabe, Juliano, Theodosio, Maximo tyranno, aliisque qui ab Ecclesia excommunicati, vi excommunicationis Regnis suis non exciderunt. Nec vero aequum est, ut Regum Christianorum in Regnorum possessione deterior sit conditio, quam Regum infidelium, qui excommunicari non possunt, aut quam Christianorum reliquorum, qui per excommunicationem Ecclesiasticam muneribus suis aut bonis privatis et haereditariis non excidunt. Nam excommunicatio, ut Dominicus a Soto recte observavit, non est privatio alicujus boni proprii, quod transgressor legis prius possederat, sed est privatio bonorum communium, quae ab Ecclesia erat percepturus, ut communionis spiritualis, et receptionis Sacramentorum.

LII. Hactenus communio externa et quatenus ea privatur ex-

communicatus, sequitur ut de interna nonnulla etiam subjiciamus.

LIII. Statuimus ergo, eum qui ab externa Ecclesiae communione separatur, ab interna societate quam Ecclesia habet cum Christo, certa etiam ratione censeri alienum, et, ut Apostolus loquitur, Satanae traditum: quia extra Ecclesiam Satanas regnum obtinet, et Deus non nisi iratus et justus peccatorum vindex apprehendi potest.

LIV. Est autem haec privatio internae cum Christo communionis duplex, una respectu gratiae praesentis, altera respectu futurae.

LV. Respectu praesentis est, qua homo adversus Ecclesiae admonitiones contumax, prout signa externa favoris Dei et pignora gratiae ei negantur, ita etiam interna favoris divini testimonia a Deo ipsi adimuntur, ac proinde non nisi Deum sibi iratum et a se alienatum potest apprehendere, quamdiu in isto statu perseverat.

LVI. Nec tamen propterea sequitur quod quidam volunt, ejusmodi hominem tantisper a Deo plane esse abjectum, aut omni gratia habituali necessario esse nudatum: quia finis Ecclesiae sic judicantis, quod judicium et a Deo in coelis ratum habetur, non est perditio, sed salus hominis: nec denotatio quod Deus hominem illum plane abjecerit, sed quod caro eatenus dominetur spiritui, ut non nisi extremo hoc remedio in integrum restitui possit, quemadmodum verba Apostoli clara sunt 1 Cor. 5, 5. hoc fieri ad interitum, id est, mortificationem carnis, ut spiritus salvus, id est, superior fiat, in die Domini. Ex quo necessario sequitur, ex Ecclesiae excommunicantis judicio aliquod spiritus semen, etsi oppressum lateat, in eo superesse, quod hoc acerrimo contra carnem remedio ab ultimo interitu vendicandum est.

LVII. Nec inde etiam sequitur, hominem ejusmodi in Dei proposito plane esse abjectum. Quia Deus per hoc ultimum remedium eum adhuc ad resipiscentiam vocat, et tamquam fratrem, etsi e familia ejectum, moneri vult, 2 Thess. 3, 15. quemadmodum pater quum filium contumacem e domo sua ejecit, eumque conspectu suo, aut familiari domesticorum conversatione privat; etsi signa omnia et sensum amoris ac favoris paterni ei adimat, ut hoc remedio eum ad resipiscentiam redu-

cat, nondum tamen propterea eum plane exhaeredavit, aut omnem paternum affectum erga eum necessario exuit; quem vel hoc facto erga eum, etsi id eo tempore nondum agnoscentem, exserit, tum demum serio agniturum, quum per seriam conversionem cum patre suo in gratiam rediit.

LVIII. Privatio internae cum Christo communionis respectu gratiae futurae non est pura aut absoluta, sed conditionalis tantum. Nam quum Ecclesia judicio suo, quod Deus in coelis ratum habet, hominem excommunicat, minatur ei, sicuti ab externa Ecclesiae communione et a gratiae Dei sensu privatur aut excluditur, ita eum ex regno coelesti ultimo die exclusum iri, nisi per veram fidem et resipiscentiam judicium illud futurum antevertat; et hoc Christus etiam respicit, quum dicit: Quicquid ligaveritis in terra, erit ligatum in coelis, et cuicunque peccata retinueritis, retenta sunt in coelis; quae cum in hac vita non possint non esse conditionalia, sequitur etiam eorum absolutum complementum in futura demum vita esse exspectandum.

LIX. Ex iis quae hactenus explicata sunt, manifestum est, plurimos esse et insignes disciplinae Christianae atque excommunicationis fructus in populo Dei. Nam et remedium extremum atque acerrimum est ad carnem in homine domandum, ac spiritum vivificandum: et exemplum efficacissimum, ne pars sincera trahatur. Adversus vero eos qui in contumacia et impoenitentia perseverant medium unicum, ad Dei domum fermento et Ecclesiam Christi scandalis liberandum, atque adeo verbum et Sacramenta a profanatione, et nomen Dei ab externorum blasphematione vendicandum. Nam quicunque tandem eventus sequetur, Deus tamen sanctificabitur in propinquis suis et ante conspectum totius populi glorificabitur, ut ipse testatur, post poenam violati altaris Domini Nadabo atque Abihu inflictam, Lev. 10, 3.

DISPUTATIO XLIX.

DE

Conciliis seu Conventibus Ecclesiasticis.

Praeside D. ANTONIO THYSIO.

Respondente JOHANNE WILMERDONCK.

Thesis I.

Hactenus actum est de Ecclesia, ejusque auctoritate et potestate in Verbi Dei annunciatione, Sacramentorum administratione et Disciplinae exercitio, quae quidem est Ecclesiae propria, non tamen exercenda a tota Ecclesia, sed ab ordinariis personis a Deo per Ecclesiam delegatis, Ministris scilicet Ecclesiae: qui hoc ipso servi efficiuntur, non proprie Ecclesiae, sed Dei et Christi Domini relative, idque suo ordine et modo; Ecclesiae vero Praefecti, Praepositi, Episcopi, Pastores, etc. Neque tamen Domini Ecclesiae, quod solius Christi est; sed Ministri et Dispensatores mysteriorum Dei apud Ecclesiam, id est, objective Ministri Ecclesiae.

II. Quum vero Ecclesia sit in conventu, vel populari, 1 Cor. 11, 17. 18. 22. Hebr. 10, 25. vel Ecclesiastico, Act. 20, 17. et 21, 10. populari certo respectu opposito, ad Ecclesiae regimen publicumque in Ecclesia judicium instituto, (quod quidem regimen, si Christum spectes, omnino est Monarchicum: si vero Ecclesiam, quatenus externa est, et externa ejus administratio, non Democraticum ut Morellus quidam asseruit; nec simpliciter Aristocraticum, ut complures; neque denique Monarchicum, ut Pontificii; nedum ὀχλοκρατικὸν, ὀλιγαρχικὸν aut τυραννικὸν, sed Aristocratiae respondens, remoto scilicet Dominio, ac ministerio posito) de Ecclesiastico hoc conventu agere, nobis in praesentia est constitutum.

III. Est autem conventus Ecclesiasticus, Consessus a Christo institutus, totius Ecclesiae, pro ratione amplitudinis ejus, in praecipuis Ecclesiae membris repraesentatae, et in Christi nomine uno in loco congregatae, ad ibidem agendum de rebus Ecclesiae, nempe Fidei sanitate, Vitae sanctitate, Sacramentorum integritate, Ordinis bonitate, etc. ejusque praxi seu

usu et observantia, ad rectam ejus gubernationem et aedificationem, Deique gloriam.

IV. Estque vel singularum Ecclesiarum, vel plurium. Singularum quidem, est consessus legitimus ac fere perpetuus et status, ex Episcopo, seu unius loci Episcopis Phil. 1, 1. Act. 20, 28. et 21, 18. Tit. 1, 5. 7. et Presbyteris, id est Senioribus, seu Deputatis populi (ut integrantibus Ecclesiae partibus) constitutus, ad negotia, quae et qua illi singulari Ecclesiae propria sunt, tractanda. Ac dicitur Synedrium seu Consistorium, Matt. 26, 59. Joh. 11, 5. 47. Paulo Presbyterium, id est, Senatus seu Seniorum collegium, 1 Tim. 4, 14. Atque hic quidem consessus origine primus, at dignitate et auctoritate postremus est.

V. Plurium autem Ecclesiarum, est ab inferiore consessu ad certum locum et tempus, plurium Ecclesiasticarum personarum, Pastorum videlicet, et Rectorum, ablegatorum congressus, ad tractandum ea, quae plures Ecclesias spectant, et in inferiore singulari consessu confici non potuerunt. Ac dicitur generaliter Synodus Graece, Concilium Latine, a conciendo.

VI. Estque vel unicus Dioeceseos seu ditionis, vel plurium. Unius quidem dicitur vulgo Classis seu Synodus Dioecesiana, seu τοπικὴ, localis. Plurium vero Dioecesium seu totius alicujus Provinciae, speciatim Synodus seu Concilium.

VII. Est vero Synodus seu Concilium (ut antecedentia omnia colligamus) publicus et legitimus Ecclesiae conventus, isque augustior et amplior a Christo institutus: repraesentatae quidem per delegatas ab inferiore conventu ad certum locum et tempus, personas, imprimis Episcopos et Presbyteros, et in Dei ac Christi nomine congregatae, ad tractandum, judicandum ac constituendum, ex verbo Dei ea, quae ad communem Ecclesiarum statum spectant, et quae in inferioribus consessibus classicis confici non potuerunt, maxime cum agitur de fidei veritatisque puritate contra errantes et haereticos; de moribus ordineque contra scismaticos, ad Ecclesiae aedificationem, integritatem et pacem.

VIII. Ea porro vel Provincialis, vel Nationalis, vel Generalis, seu Plenaria, ut vocant, vel Oecumenica seu Universalis, quae cogitur a personis et agit de rebus Eccle-

siarum totius Provinciae, Nationis unius aut plurium, aut universae Ecclesiae. Quales res fidei et morum, quae sunt omnium.

IX. Atque in Synodo, idque suo ordine et gradu, est auctoritatis et potestatis Ecclesiasticae eminentia et apex; totius Ecclesiae Dei, qua externa est, unitas, status et ordinis firmamentum ac vinculum, atque infestantibus malis, salutare remedium.

X. Conventuum autem Ecclesiasticorum, adeoque et Synodi institutio, non est humani, sed divini juris, habens fundamentum in verbis Christi: Dic Ecclesiae, quod si Ecclesiam non audiverit, etc. quaecunque ligaveritis super terram, etc. ubi duo vel tres coacti fuerint in nomine meo, illic sum in medio eorum, Matt. 18. Et, Ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi, Matt. 28. Quae quidem de inferiori consessu primo sunt accipienda, sed quod omnium Ecclesiarum inter se sit unio et communio, superiores multo magis spectant consessus.

XI. In Veteri quidem Testamento, unicus status et perpetuus quidam hujusmodi consessus Ecclesiasticus seu Synedrium fuisse videtur, Synagoga ad unam gentem contracta, isque cum Civili consessu permixtus: sed non item causis, quamvis de eo dubitari possit, quod divina lex etiam politica complecteretur, eaque universim Levitis et Sacerdotibus uti jurisconsultis et judicibus, commissa fuerit, qui instituitur a Mose Deut. 17, 8. et a Josaphato restituitur, 2 Chron. 18. Causis tamen Dei et Regis, etiam praesidibus tum diserte disjunctis. Ac continuatus ad Christum usque: constans Sacerdotibus primariis, Scribis et Senioribus populi, Matt. 16, 21. et 26, 3. et 27, 59. Quod Synedrium universale, cognoscebat de causis gravissimis, Num. 11, 16. Est nihilominns ubi Synodi singulariter congregatae fuerunt, 1 Chron. 13, 1. 2. et 23, 1. Matt. 2, 4. 5. 6.

XII. In Novo vero Testamento, Ecclesia Christi non unius gentis existente, sed quaquaversum se proferente, et ad omnes gentes dilatata, Judaicaque Politia, qua Judaica, gentes non obligante, ac disjunctione facta, Dominorum Reipublicae, et Ministrorum Ecclesiae, nempe Personis, Consessu et Causis: talis Ecclesiasticus universalis, unicus, status et perpetuus, a Christo institutus non fuit, sed pro ratione incidentium rerum passim aggregandus. Ut videre est in prima Hierosoly-

mitana Synodo in electione Matthiae, Act. 1, 15. Item secunda, in Diaconorum institutione, Act. 6. Quin tertia in controversiae de observantia Judaicae Legis decisione, Act, 15. Ubi plena Synodi, universalis quoque, utpote cum praeter Judaeos et Gentium legati adfuerint, ratio servata est: atque archetypum, et exemplum exactum est, ad cujus formam reliquas succedentes institui et conformari oportuit. Quarta denique assignatur in causa Pauli, Act. 21. accusati tamquam desertoris a Lege.

XIII. Quod et deinceps in Ecclesia Christi sub cruce et sub patrocinio piorum Imperatorum observatum frequentatumque est. Quamvis sub Regibus Francicis, Gothicis, aliisque usque dum Papalis tyrannis omnia invasit, ad mixtum illum consessum regressum est. Ita ut Concilia eorum non tantum fuerint Ecclesiastici conventus, sed et Imperii comitia.

XIV. Ergo Consistorium Papae cum Cardinalibus suis, in quo judicii absoluta sit potestas, (ut et totus hic ordo Papae et Cardinalium) humani, imo Antichristiani inventi et instituti est; omnem revera Conciliorum rationem evertens.

XV. Ut autem totam rationem Synodicam pressius accipiamus, consideranda ex ordine sunt, Personae, Locus et Tempus, Res, Actionesque Synodales, ejusque Modus, Forma, Finis et Auctoritas.

XVI. Persona vel sunt Convocantes atque ablegantes, vel Convocatae missaeque, seu convenientes in Synodum.

XVII. Indictionis et convocationis jus et auctoritas est penes Ecclesiam, Ecclesiaeque membra (nullum enim jus in regimine Ecclesiae habet, qui de Ecclesia non fuerit) et quidem Ecclesiasticum consessum, cui Ecclesiae regimen commissum est.

XVIII. Ita ab initio in arduo aliquo in Ecclesia exorto negotio, maxime de religione, ejusque per falsam sententiam seu haeresin violatione, Episcopi et Presbyteri proximi, aliquo praeeunte, aut sese mutuo admonentibus sponte conveniebant: ut docet Synodus Apostolica Hierosolymitana, Actor. 15, 2. et 6. et 21, 18. Ephesina, Actor. 20, 17. Sic Antiochena tempore Aureliani Caesaris, in qua Paulo Samosateno Episcopo Antiocheno contendente Christum esse nudum hominem, advocantibus ejus Ecclesiae Presbyteris, Epi-

scopi vicini in Synodum coeuntes, eum, ut contumacem haereticum condemnaverunt, et Ecclesia moverunt, Euseb. Lib. 7. Histor. Ecclesiast. Ita complures aliae Synodi, maxime Provinciales, etiam sub Christianis principibus convenerunt. Episcoporum itaque imprimis est Synodos indicere, nulli autem id jus erat privatum.

XIX. Unde praesumptuose et inique Romanus Pontifex, quasi in Ecclesia Imperator quidam, indicendae Synodi, maxime universalis, privilegium et partes sibi soli arrogat, cum tamen Petri, cujus se successorem jactitat, hic nulla singularis praerogativa assignetur, sed Apostoli et Presbyteri, referentibus controversiam, et ad eos deferentibus Paulo et Barnaba, ab Ecclesia ablegatis, congregati dicantur, ut dispicerent de hoc negotio, Act. 15, 2. 6.

XX. Magistratui porro, si toleret Ecclesiam, eamque cum omni suo ordine et regimine permittat esse publicam, aut decreto, ut talis sit, sanciat, esse possunt quoque hic suae partes, et ejus consensus et auctoritas deposci: cum enim status, et ordinis publice stabiliti, actionumque publicarum sit curator et defensor, etiam Ecclesiae hactenus censendus est: imo temporis, loci, aliarumque circumstantiarum non modo approbator, sed et designator, si usus ita ferat, esse potest.

XXI. Multo magis, si Christianus et Orthodoxus sit, hoc ei competit, nempe ut eximio Ecclesiae Christi membro, et in eminentia posito, cui accidit secundum vocationem hujus mundi, jurisdictio et imperium, atque coercitiva externa potentia (qua hic saepe opus est) imo moderatio locomotivae ad publicum conventum: quam pietatis lege, utpote nutritius et alumnus Ecclesiae, Es. 60, 16. conferre tenetur ad utriusque tabulae defensionem, utque Christus in subditis suis spiritualiter regnet, Ps. 2, 10. Ergo ipsius consensus, auctoritas, auxilium, et securitatis praestatio, hic expeti debet: neque ipse secundum pietatis officium ea denegare, sed lubens volensque impendere ac praestare Ecclesiae tenetur.

XXII. Quinimo Magistratus superiores, ut sunt Reges et Principes, habendarum Synodorum nonnunquam fuisse auctores, ipsorumque jussu coiisse, illustria exempla piorum regum in Veteri Testamento, Davidis, 1 Chron. 13, 1. 2. Solomonis, 2 Chron. 5, 2. Asae, 2 Chron. 15, 9. Ezechiae, 2 Chron. 29, 4.

etc. Josiae, 2 Chron. 34, 29. item Achab et Josaphati, qui convocabant circiter quadringentos Prophetas, 1 Reg. 22, 6. 8. Herodis, Matt. 2, 5. edocent, etc. Quos aemulati sunt Imperatores et Reges Christiani, qui non modo οἰκουμενικὰς, universales (quarum singularis est ratio) verum etiam μερικὰς, particulares, publica necessitate ita exigente, praesertim extraordinarias, persaepe per se coegerunt et procurarunt. Ita concilium universale Nicaenum a Constantino Magno, referente Eusebio lib. 3. de vita Constantini, Constantinopolitanum a Theodosio majore, Theod. Lib. 2. cap. 1, 16. Ephesinum a Theodosio minore et Valentiniano, Cyrill. Epist. 17. Chalcedonense a Marciano, Leo in Epistola ad Imperatorem et ad Pulcheriam Augustam, aliaque etiam particularia, indicta coactaque fuerunt.

XXIII. Maxime si hic cessator Ecclesiasticus ordo fuerit, aut contra officium faciat: tum enim Magistratus, ut Ecclesiae Christi eximium membrum, interponere merito auctoritatem potest et debet, et Synodos fieri severe exigere, ac jussu suo indicere; quod et saepius factitatum est. Quemadmodum Joas Rex, Jojada Pontificem et Sacerdotes arguit, quod sarta tecta templi non instaurarent, 2 Reg. 12, 8.

XXIV. Veruntamen si contra Magistratus hostis et persecutor Ecclesiae et verae Religionis fuerit, aut cesset officium facere, nempe in manifesto Ecclesiae periculo, Ecclesia nihilominus sibi non deesse, sed convocationis jure et auctoritate, quae primo apud Ecclesiae Antistites residet, (ut videre est Actor. 15.) uti debet, quo praesentibus et urgentibus malis, si fieri et qua fieri potest ratione, quam ocissime occurratur.

XXV. Quare Papa Romanus, maxima impudentia et tyrannide, non modo indictionis Synodi et convocationis jus prae reliquis Episcopis sibi arrogat, sed et toti Ecclesiae, et in ea Imperatori, Regibus, Principibus et Magistratibus, omni modo derogat: maxime si Dictatoris illius auctoritas, nutus, arbitrium, consensusque non praecedat aut accedat: ideoque et auctoritatem omnem hujusmodi Synodo detrahit.

XXVI. Ut porro convocatio, ita et missio ad Synodum penes Ecclesiam est, idque pro ordine, ab et in Ecclesia stabilito. Sic Paulus et Barnabas aliique delecti et missi sunt ab

Ecclesia Antiochena ad Synodum Hierosolymitanam, Act. 15, 2. 3.

XXVII. Evocatio itaque privata, qualis Pontificis est, praejudicat maximopere libertati Ecclesiae.

XXVIII. Personae vero publica auctoritate convocatae, missae et convenientes, quae tractare debent, quae hic agenda sunt, ac jus suffragii seu vocem definitivam, atque, ut vocant, decisivam habent, sunt primo et imprimis personae ordinatae ad Ecclesiastica munia; ut in Veteri Testamento fuerunt Sacerdotes, Scribae et Seniores populi, Matt. 2, 4. et 26, 3. 59. et 27, 1. Actor. 4, 5. In Novo autem Episcopi et Presbyteri seu Legati Ecclesiarum, Act. 15, 6. et 16, 4. et 20, 17. et 21, 18. Cum enim Ecclesia constet Pastoribus et reliquo corpore seu ovibus, sequitur, non Pastores solos, sed et Presbyteros seu Deputatos populi, ei interesse et in ea suffragari debere; idque non suo, sed Ecclesiae a qua missi nomine. Quod in optimis subsequentibus Synodis observatum est, ne Diaconis, praesertim in minoribus Synodis, exceptis; ut fidem faciunt Acta Synodi Carthaginensis sub Cypriano.

XXIX. Neque tamen id ita praecise accipiendum est, ut omnes Laici excludantur. Si enim ex Laicis, cujuscunque status et conditionis, sint viri, pietate, sacrarum rerum intelligentia, sapientia et prudentia, modestia, pacis studio et mansuetudine insignes, admitti et accedere possunt, sed vocati seu ab Ecclesia selecti et missi, iique suo ordine et modo rogati sententiam dicere, (non enim dona et membra otiosa Deus constituit in Ecclesia,) maxime in causa fidei, quae est omnium. Veruntamen ab illis in publica hac actione, consilium et arbitrium potius, quam suffragium requiritur. Adfuisse sane plebem Concilio, et Apostolis Presbyterisque astitisse ut auditores et testes, et silentio saltem suo, si non voce, approbatores fuisse, consensumque praebuisse, videre est Actor. 15, 12. 22. 23. Adque id etiam comprobat primarum et probatarum Synodorum praxis et usus, ut in Concilio Carthaginensi sub Cypriano liquet. Interea tamen et populo Christi hic suum ex divino verbo judicium, sed privatum, manet, ne humana placita pro divinis accipiat, Matt. 7, 12.

XXX. Magristratus autem, si Christianus et Orthodoxus est, maxime summus, hic singularem rationem habet;

atque ei interest, non tantum, ut quilibet Christianus, ut auditor, testis et approbator, sed et ut Christianus Magistratus, i. ut tutor et defensor Concilii, quique sua auctoritate ordinem tueatur, turbas et turbatores reprimat, et ut omnia honeste legitimeque fiant, prospiciat, 1 Tim. 2, 2. Quin qui consulatur, sententiam dicere rogetur, imo si opus fuerit, suffragetur. Quum enim ipsius sit, ut primae et secundae tabulae vindicis, blasphemias prohibere, tranquillitatem et incolumitatem Ecclesiae procurare, quae parari non potest, nisi cognitis prius, et inde examinatis difficultatibus de Verbo Fidei; eaque quae in Synodo decernuntur, rata facere et sancire legibus, et si opus sit, poenis quoque quibusdam politicis adversus refractarios additis, ad vigorem publicae observantiae; hoc respectu quoque rerum cognitor et judex suo modo esse debet, et suffragator esse potest: aut saltem ei persuaderi ex Verbo Dei oportet, ex vero, justo et bono esse, quae decreta sunt, nempe ne caecus sit alienae sententiae et libidinis susceptor et administer.

XXXI. Inane itaque Pontificiorum commentum est, conveniendi tantum jus et suffragandi potestatem, solis Episcopis ordinarie, at vero Presbyteris, Abbatibus et Ordinum Generalibus, ut vocant, extraordinarie; Academiis autem arbitrandi tantum relictam potestatem; Magistratum tantum ut defensorem; populum et sapientes in populo duntaxat ut auditores et spectatores interesse posse et ibi comparere.

XXXII. Personas convocatas et missas, per se accedere, Synodo interesse et in ea usque ad finem perdurare, necesse est, neque quisquam facile emanere aut excedere potest, nisi quem aetas, morbus, aut alia necessitas sufficienter excusaverit, idque vel scripto vel dicto fecerit. Alias censura gravis in absentes et detrectantes venire, aut permanere, ut in contemptores Ecclesiae et Synodi, Ecclesiastica et Synodalis exercenda est. Est tamen in veteri Ecclesia, ubi et ipsi Episcopi per alios, idque certas et graves ob causas, comparuerunt, utpote Presbyteros aut Diaconos. Atque hi omnes missionis et commissionis suae literas exhibere tenentur.

XXXIII. Unde contra veteres Canones est, quod Papa Romanus paucis abhinc seculis (videlicet a Constantiensi Synodo ubi praesens Johannes XXIV. e Synodo profugus, cum duobus praeterea antipapis absentibus, a Papatu dejecti sunt) deinceps

partim factu, ut qui se superiorem Synodo ducit, partim metu, ne se judicio Synodi submittere cogatur, sese a praesentia Synodi universalis subducit.

XXXIV. Magistratus, praesertim si summus sit, Synodo interesse potest, imo utilissimum est; sive in persona propria, ut Constantinus Magnus in Nicaena, Theodosius in Constantinopolitana; sive per delegatos, viros Illustres, Magnificos, graves et pietatis amantes, Sacrarum Literarum peritos, qui sua sapientia, prudentia et auctoritate Concilium confirment et juvent, ut in Ephesina a Theodosio et Valentiniano, et Chalcedonensi a Marciano, Imperatoribus, factum est.

XXXV. Cum indictione, convocatione et comparitione in Synodo cohaeret locus et tempus conventus. Locus commodus esse debet, urbs nempe ad Synodum convenientibus situ opportuna et singulatim consessui conveniens, puta, et capax et sacer. Quamvis qualitatis hujus nulla designatio sit, Act. 15. et Nicaena Synodus in Palatio habita sit, teste Eusebio et Theodoreto. At recte Ambrosius: Quid Ecclesiae cum Palatio? Unde olim frequentissime in templo celebratae sunt, ut Cyrillus testatur de Ephesina, in cujus medio, in celso throno propositum fuit Sanctum Evangelium, quod Christum ibi praesentem et praesidem ostenderet.

XXXVI. Tempus accessus, similiter certum et opportunum esse debet. Ita Synodis topicis et particularibus, et quidem annuis, ex decreto Concilii Antiocheni et Nicaeni constitutum est vernum, tertia scilicet hebdomas a Paschate, et autumnale, prima videlicet Octobr. Quamvis hic nonnihil variatum sit, et in numero, et tempore. Quod et Imperatores legibus et edictis suis firmarunt, ut Justinianus Constit. cxxiii. At vero Particulari extraordinariae, aut Universaliori vel Universali, ut quae indicuntur pro exigentia majoris negotii incidentis, tempus praestituendum est singulariter.

XXXVII. Synodi vero inchoatio, et in ea certa consessus tempora pie, cum jejunio et abstinentia servanda sunt, Levit. 10, 9. 10. Act. 13, 1. Tertullian. De Jejunio.

XXXVIII. His conjunctae sunt impensae. Sumptus quos ad Synodum proficiscentes, tam in itinere, quam in loco in quo habetur Synodus, faciunt, ab Ecclesiis suppeditari debent, Matth. 10, 10. 1 Cor. 9. etc. Quamvis celebratur hic Principum Chris-

tianorum singularis liberalitas, qui haud gravate, quae necessaria Synodo perficiendae, contulerunt, ut est apud Theodoretum de Constantino Historiarum libro primo, capite septimo.

XXXIX. Materia seu objectum, id est, res in hoc conventu tractanda, quae et occasionem et causam Synodo dat, est mere Ecclesiastica. Politica hic plane aliena est, Luc. 12, 14. 2 Tim. 2, 4. Comitiorum scilicet, non Synodorum materia. Et quidem ea, quae toti illi Ecclesiae est communis, et ad Dei gloriam, Ecclesiae statum et incolumitatem facit, Act. 15, 1. 5.

XL. Ea autem spectat vel doctrinam veram vel falsam, Matth. 2, 4. vel ejus appendices, Sacramenta, ritusque divinos, vel vitam et morum disciplinam, tum plebis, tum praefectorum, vel denique Politiae Ecclesiasticae bonum ordinem. In summa, agendum hic, quicquid est de quaestione fidei et caritatis, quibus duobus omnis materia Synodi continetur, seu quicquid est fidei aut facti Ecclesiastici, quodque in inferiore consessu pertractari transigique commode non potuit, Act. 15, 24. 29. Unde et olim praeter ἔκθεσιν, expositionem, formulasque Fidei, Canones Synodo subjiciebantur, qui nihil aliud sunt quam regulae, disciplinam morum et ordinis complectentes.

XLI. Actio porro Synodalis, est in tractatione rerum propositarum, et observantia constitutarum, seu earum executione.

XLII. Modus agendi, ut sit ordinatus et legitimus, qualiter Apostolus omnia εὐσχημόνως καὶ εὐτάκτως, decenter et ordine in Ecclesia fieri vult, 1 Cor. 14, 40. necesse est, ut in hujusmodi Conciliis aliquis praesideat ut moderator, qui ordini consulat, ne confusa sit concio et actio, 1 Cor. 14, 29. 31. Ordinata itaque actio est in praeside et reliquis considentibus. Praesidis quidem est, et loco praesidere, et actioni praeesse, totamque dirigere.

XLIII. Est autem proprie praesidere Ecclesiastici viri, in eminentiore officio constituti. In Veteri quidem Testamento summi Sacerdotis, in Novo autem Episcopi seu Pastoris ad praesidendum idonei, et communi suffragio delecti. Ita in Hierosolymitana Synodo praesedisse videtur Jacobus; Petrus quidem primus verba facit, ac sententiam dicit, quem excipiunt Barnabas et Paulus; at sententiae pronunciatio apud Jaco-

bum fuit, Act. 15, 19. cui et omnes assensum praebuerunt, v. 22. sic et Act. 21. In Nicaena Eustathius Antiochenus Episcopus, aut potius, quantum ex subscriptionibus apparet, Hosius Cordubensis in Hispania Episcopus. In Constantinopolitana, Episcopus loci Nectarius; in Ephesina, Cyrillus Alexandrinus; in Chalcedonensi, Leo Episcopus Romanus, per vicarios suos, quantum ex Actis deprehendere licet.

XLIV. Magistratui idem suo modo competit, nempe qua praesidentia Concilii externam Politiam et εὐταξίαν spectat, et accipitur pro inspectione et cura, ne quicquam illegitime et contra ordinem publicum, immodeste et insolenter, aut per vim fiat; et si fit, pro interventu et coercitione. Atque eo modo, quatenus bonum ordinem sua auctoritate moderatur ac tuetur, contraria amovet, Magistratus Synodo potest dici praesidere.

XLV. Praesidis ergo Ecclesiastici munus, nulli Episcopo ratione sedis, aut ob eminentiae alterius praerogativam, hic concedimus; quam tamen Pontificii suo Pontifici vendicant. Neque adeo praeses, quae ordinis vox est, ceteris potestate est major, sed ordine et auctoritate.

XLVI. Praesidis autem partes sunt, precibus pie praeire, sessiones commode indicere, res agendas et agitandas ingenue proponere, disceptationes sapienter moderari, sententias cujusque rogare, suffragiaque diligenter colligere, pari cum reliquis jure sententiam dicere, judicium commune integre pronunciare, et sollicite ac fideliter exsequi, aut procurare exsequendum.

XLVII. Praesidi adjungi possunt Assessores, illisque adhibendi Scribae seu Notarii, quorum opera in fideliter excipiendis describendisque Actis utatur: quemadmodum in Epist. Synodi Hierosolymitanae, actis universis succincte scripto comprehensis, et ad fratres quaquaversum missis, videre est, Act. 15, 23. et 21, 25.

XLVIII. Reliquorum consessus, esse debet pro dignitate, meritis, et amplitudine Ecclesiarum quibus praesunt, vel pro donorum suorum excellentia, aetate, maxime in ministerio sacro exacta. Atque hic valet generale illud quintum Dei praeceptum, Patrem honorabis, quod, ut in omni statu, ita et hic locum habet: et ambitione et simulatione remota unus

alterum honore et officiis antevertere debet, Rom. 12, 10. 11. Phil. 2, 3. 4.

XLIX. Horum munus est, sententiam suo ordine dicere, Actor. 15, 7. 12. 13. 1 Cor. 14, 29. 31. non secundum affectum (debet enim ambitio, ira, odium, favor, levitas, malevolentia, etc. quae carnalia sunt, Jac. 3, 12. etc. abesse) aut praejudicium et placitum, sed sancte, secundum Dei verbum, Actor. 15, 15. Unde non semper numeranda, sed appendenda saepe suffragia sunt: ut Paphnutio, legi de Abstinentia Clericorum a propriis uxoribus intercedenti, assensa est Nicaena Synodus. Quin ipsorum est, sententiae latae judicioque facto, juxta praesidem, subscribere actaque firmare.

L. Ceterum Synodus respectu tractationis rerum, vel est, deliberans, vel dijudicans, vel mixta. Deliberans est, cum agitur de iis quae ad bonum statum Ecclesiae faciunt, ac deliberatur de mediis ejus, aut malorum remediis, sic Act. 20, 17. et 21, 18. Atque hic Synodi est, formulam sensus et consensus, unitatisque Ecclesiae in doctrina et disciplina ex verbo Dei repetere, ordinemque et εὐταξίαν, prout Ecclesiae expedit, constituere; ac de his omnibus publica quaedam scripta, eaque brevia et clara edere; atque ad illorum observantiam populum et Pastores monere, contumacibus violatoribus Ecclesiasticae disciplinae subjectis.

LI. Judicans est, cum de Factis seu causa hujus vel illius, praesertim Pastoris graviter offendentis, turbantis aut scindentis Ecclesiam, puta scismate, errore, haeresi, apostasia, aliisque, quaeritur, sufficienter et plene cognoscitur, et secundum cognita legitime judicatur.

LII. Atque hic illi, sive Ecclesiastici, sive Laici fuerint, quorum negotia et controversias in Synodo discuti oportet, maxime qui erroris gravioris sunt auctores, aut alieni defensores (quales fratres illi qui in Antiochena Ecclesia disceptationi occasionem dederunt, ac in Synodo Hierosolymitana notantur, ut de factione Pharisaeorum, Act. 15. 1. 5.) hi, inquam, omni honesta ratione invitandi, monendi, ac demum ut in Synodo compareant, citandi, et si non venerint, velut contumaces ex decreto Carthaginensis Synodi 3. ex Ecclesia ejiciendi, nec recipiendi nisi resipiscant.

LIII. Si comparuerint, benigne audiendi, ex scriptis,

confessione propria, et testimoniis aliorum de ipsorum dogmate ejusque statu statuendum, inde conferendum, et si opus erit, disputandum amice, argumenta et causarum circumstantiae, debite, diligenter et sollicite, bona cum conscientia ac sine ullo praejudicio, ad divini verbi amussim examinanda, ut ita, si fieri potest, ipsi in viam revocentur, aut saltem rectum judicium institui possit. Qualiter in Synodo Hierosolymitana magna inquisitio ac multa disceptatio sententiae dictionem antecessit, Act. 15, 7. Et non piguit deinceps Patres cum Paulo Samosateno, Arrio aliisque haereticis, in Synodis, quamvis saepe frustra, disserere. Cavendum sane diligenter est, ne quis prius se damnatum, quam auditum conqueri merito possit.

LIV. Atque hic videndum sedulo est, de Dogmatibus quidem in controversiam adductis, quae et quot illa sint, an de fundamento seu fundamentalibus, an vero de accessoriis Theologiae, 1 Cor. 3. si de necessariis, quo necessitatis gradu, Act. 15 vers. 28. Adeoque an tolerabilis sententia aut error sit, an quoque in Doctore; an contra, ut non ferendus, refutari condemnarique debeat.

LV. De Personis vero controvertentibus, rectene an male sentiant; quomodo errent, leviterne an graviter, seductine an seductores, discipuline an Doctores, Laicine an Pastores, ex infirmitatene, id est, ignorantia simplici, et stulta simplicitate ac credulitate, vel ignorantia affectata, caecoque zelo, vel denique malitia, sine pertinaciane an pertinaciter. Similiter de factis et criminibus, omnia legitime et prudenter cognoscenda sunt. Et secundum haec sententia dicenda est ab unoquoque, judiciumque ferendum communiter, Act. 15, 22. 25.

LVI. Judicium autem vel est in absolutione, vel condemnatione, tum causae tum personae. Aut enim vera justaque causa approbatur; recteque sentientes aut agentes absolvuntur; aut falsa injustaque improbatur, et male sentientes idque pertinaciter, aut agentes sine poenitentia, Ecclesiastice condemnantur, ut scismatici, aut haeretici, aut flagitiosi, Act. 15, 24.

LVII. Attamen in diversa sententia ac sensu, de Religionis apicibus, ac rebus ad salutem minus necessariis, moderatio quaedam tenenda est, ac controversiae, quoad fieri potest, minuendae potius sunt, quam augendae. Quin in rebus indif-

ferentibus ex lege caritatis ferenda ac toleranda quaedam sunt. Sic Act. 15. in Apostolica Synodo, licet in fratres e Pharisaeis, labefactantes animas piorum e Gentilibus, videlicet observatione circumcisionis et aliarum ceremoniarum, sententia feratur; ex lege tamen Caritatis decretum statuitur, de abstinentia ab idolothytis, sanguine et suffocato, ac denique scortatione, a quibus ut necessariis jubentur gentes abstinere: quamvis non eodem necessitatis gradu, cum easdem non habuerint necessitatis causas. Scortationis enim prohibitio perpetuae voluntatis Dei, adeoque et juris est: reliqua caritatis praescripto necessitatem acceperunt, pro tempore, donec augescente et firmata fide lex cessaret. Atque ita et fidei sinceritas asseritur, et caritati, dum succurritur infirmitati aliorum quorundam, praeceptione consulitur.

LVIII. Condemnatio Personarum (quae cunctanter peragenda) est in suspensione et separatione, excommunicatione et Anathemate. Illa est in prohibitione a sacris, mysteriis maxime, Matth. 18, 17. Joh. 16, 2. atque insuper a familiariore et non necessario ipsi naturae aut divinis legibus usu, 1 Cor. 5, 11. Conjunctaque aliquando fuit cum excussione pulveris a pedibus, Matth. 10, 14. 15. haec autem, cum execratione fiebat, quae Hebraeis dicitur Schematha, id est, nomen, puta Dei illud Tetragrammatum, et Apostolo Maranatha, id est, Dominus veniet, videlicet ultum, 1 Cor. 16, 22. Judae 14. et 15. v. quae non nisi in deploratissimos, uti Apostatas, exercebatur.

LIX. In Ecclesiasticis personis peculiaris est censura, a munere suspensio et remotio, etiam sine spe unquam id recuperandi.

LX. Tractationem et conclusionem rerum propositarum in Synodo, Executio sequitur, quae est in procuratione observantiae rerum decretarum.

LXI. Atque hic non levis quaestio movetur, penes quos illa sit. Ubi discernendae sunt potestates, Ecclesiastica et Civilis. Ecclesia aut Synodus, non agit aut coercet vi corporali, sed tantum spirituali; Ecclesias monendo sui officii, haereticos et flagitiosos submovendo ab Ecclesiae communione, non autem, ut antichristiane facit Papa et Papani, ejiciendo patremfamilias domo, civem urbe, regem regno.

LXII. Ergo ea res eatenus est Ecclesiae, ac proinde et Synodi: quae decreta, Synodalibus Epistolis ad Ecclesias datis, aut per delegatos exsequitur. Ita Synodus Hierosolymitana Synodicam scribit ad Ecclesiam Antiochenam, aliasque, ac Legatos mittit praeter Paulum et Barnabam, Judam et Silam, qui verbis ea annuncient, quae a Synodo erant decreta, literisque exarata, Act. 15, 22. 30. et 16, 4. et 21, 25.

LXIII. Altera potestas, scilicet Civilis, externe coercitiva cum sit, ei etiam, qua talis, pro sua vocatione, executio competit. Cum enim sit utriusque tabulae custos, adeoque ejus sit blasphemas opiniones prohibere, et Ecclesiae bonique et publici ordinis defensor, debet Synodo, quia Ecclesiae membrum est, non modo obedientiam, sed et rata facere Synodi justa secundum Verbum Dei decreta, Legibusque ac poenis ea, si necesse est, et prout accommodum est Regno Christi spirituali, ad vigorem publicae observantiae sancire, et haereticos flagitiosos coercere. Ita Aurelianus, quamvis Gentilis, depositum Paulum Samosatenum, non volentem tamen Episcopali aede cedere, inde depelli mandavit, Constantinus Arrium, Theodosius minor Nestorium, etc. in Synodis damnatos, deportari jusserunt, etc.

LXIV. Sed diligenter monenda est potestas Civilis, ne hic facile utatur auctoritate et potestate sua rebus ante ab Ecclesia non legitime cognitis judicatisque, a qua et cognitione et judicio neque ipsa, quasi ab illa prorsus aliena, excluditur; sed in et sub Ecclesia continetur, ut ejus eximium membrum et pars, ut ante ostensum est. Tantum abest ut esse debeat alienae sententiae tantum caeca executrix, ut Papa Romanus eo traducere Magistratus, Principes, Reges et Imperatorem intolerabili scelere sategit.

LXV. Quin cavendum, ne non satis idoneo hic medio aut remedio utatur in morbis animi mentisque opinionibus falsis susceptis (quae non nisi opposita veritate curantur) eruncandis, severitate scilicet nimia externa, regno Christi neutiquam accommoda, ut quae hypocritas potius, quam emendatos reddit. Quamvis compescenda omnino est, tum publica offensio, seditio et quietis interturbatio, tum privatorum, quoad fieri potest, praecavenda seductio et eversio est.

LXVI. Haec autem omnis a nobis huc usque commemorata

civilis potestatis in rebus Ecclesiae in Synodis cura, non est boni ordinis in Ecclesia perturbatio, quasi ita in alterius et alienum officium irrumpatur. Etenim requirit quidem ordo ut sint distinctae functiones, sed conjunctioni distinctio non repugnat, neque quicquam obest quo minus qui diversis officiis praesunt, communibus tamen studiis multa simul procurent, unumque lapidem volvant, imo pro necessitate praesenti et urgente in alterius vicem quandoque subeant.

LXVII. Ceterum ad judicem et normam omnis actus, judiciique hujus, quod attinet, Judex quidem hic Christus est, sed per servos suos unanimiter in Synodo coactos; quorum ut est dispicere de negotiis Ecclesiasticis, et disceptatione facta sententias ex ordine dicere, Actor. 15, 6. 7. ita et demum concludere et judicare, Actor. 15, 22. Visum est Apostolis, Senioribus cum tota Ecclesia, et vers. 25. Visum est nobis concorditer coactis, et 28. Visum est Spiritui Sancto ac nobis, scilicet, non conjunctim, sed subalterne, sub ductu Spiritus Sancti. Et sane sicuti singulis membris Ecclesiae ac fidelibus judicium competit privatum, Matth. 7, 15. 1 Cor. 2, 15. 1 Joh. 2, 20. 27. et 4, 1. ita et Pastoribus in Synodum coactis, publicum. Quod quidem Dei, Christi et Spiritus Sancti est; si et quatenus ad normam Verbi Dei institutum est et fit; qualiter institutum et factum, ratum quoque est apud Dominum.

LXVIII. Norma vero et regula hujus actus judiciique Synodalis, totalis, unica et irrefragabilis esse debet verbum Dei Scriptura comprehensum, Matt. 2, 5. Actor. 15, 14. quae quoque sua evidentia Judex dici potest, Joh. 5, 45. Atque legitimae et sanctae Synodo, ut Dei sit, formam dat. Non autem scripta dictaque extra hanc qualiacunque, sive privata, sive publica, norma aut forma veritatis sunt, sed tantum formula sensus et consensus Ecclesiae.

LXIX. Modus judicii hujus talis esse debet, ut ubique fides et veritatis studium praeluceat, caritas obtineat et dominetur. Finis vero, in amotione scandali, et aedificatione Ecclesiae, ad Dei gloriam.

LXX. Unde quae et quanta sit Synodorum auctoritas, apparet, nempe quae ministerii, imo Ecclesiae est, id est, certo respectu, suo modo ac modulo divina. Verum non indif-

ferenter et promiscue quibuscunque Synodis habenda haec fides. Nam et Pastores depastores esse possunt, Esa. 56, 10. Jer. 16, 14. Ezech. 22, 25. et Ecclesia in Synodum conveniens non Dei, sed malignantium, etiam quae nomen Dei praetendit, et abuti potestate sua contra veritatem, Matt. 26, 3. 4. 57. et 27, 1. Actor. 4, 5. etc. sed verae demum Ecclesiae, quae, et quatenus congregatur in Christi nomine, secundum illud Matt. 18. Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, in medio ipsorum sum; et Spiritus Sancti ductum sequitur, Act. 15. Visum est Spiritui Sancto et nobis.

LXXI. Sed non par ratio Apostolicae Synodi et aliarum. Nam illius auctoritas simpliciter divina propter immediatam et perpetuam Spiritus Sancti assistentiam, Act. 2, 4. At vero harum, certo tantum respectu, ut quae hominum piorum quidem et a Spiritu Sancto ductorum, sed ea mensura quae eos ab omni errore non vindicet. Sic enim regi Spiritu Sancto possunt, ut obrepat carnis studium, et humanitus aliquid patiantur adeoque in quibusdam a veritate deflectant. Unde non particularia modo Concilia, sed et universalia aberrasse videmus.

LXXII. Eatenus ergo sunt divina, quatenus in nomine Christi congregantur, et consentienter Verbo Dei in Scriptura expresso, non autem suo arbitrio, aliquid decernunt, tantumque auctoritatis habent, quantum a Scriptura, ut a sole luna, mutuantur et accipiunt. Adeoque tantum abest ut per se norma fidei sint, ut ad eam sint exigenda.

LXXIII. Horum autem Conciliorum auctoritati nihil approbatione Papae accedit, aut rejectione decedit. Imo ipse, dum agitur de reformatione Ecclesiae in capite et membris, Synodo subjicitur: quod dictum sit et Petro, cujus se successorem venditat, Dic Ecclesiae, Matt. 18, 17. ut contra Papae usurpatam in Synodos potestatem, semper unanimiter asseruit et defendit Ecclesia in Pisano, Constantiensi, Basiliensique Conciliis.

LXXIV. Ex quibus omnibus videre est, tum, quid de Papa Romano hic statuendum sit, qui dum omnes Synodi partes occupat, puta 1. Indicentis. 2. Praesidis. 3. Judicis. 4. denique Approbatoris, nullas aliis relinquit. Imo se Concilio superiorem, Antichristiana superbia et usurpatione statuit: tum quo loco

Concilia ab aliquot retro seculis sub Pontificibus celebrata, sint habenda, ut quae nec legitime convocata nec rite celebrata sint.

Theod. Lib. 1. cap. 7.

Constantinus Magnus in Concilio Nicaeno Patres affatur: Evangelici et Apostolici libri et veterum Prophetarum oracula perspicue nos erudiunt, quid oporteat de Deo petere. Abjecta igitur contentione, dissidiorum et bellorum effectrice, e verbis divinitus inspiratis, solutionem eorum quae quaeruntur, accipiamus.

Justinianus Imper. Novel. XXXVII. cap. 4.

Quando autem quod in Canonibus cautum est de Synodis sanctissimorum Episcoporum per singulas Provincias congregandis, hucusque minime observatum est: illud imprimis corrigere est necessarium. Sancti igitur Apostoli et Patres definiverunt, bis in unoquoque anno fieri debere Synodos sanctissimorum Sacerdotum in unaquaque Provincia, et emergentes causas excuti, et competentem accipere correctionem, hoc est, unam quidem in quarta sanctae septimanae Pentecostes, alteram vero Octobris mense, etc.

August. Epist. 118. ad Januar.

Plenariorum Conciliorum Ecclesiae saluberrima est auctoritas.

Gregor. Lib. 7. Epist. 110. ad Syagr. etc.

Nec hoc quoque in hac sollicitudinis parte relinquimus, quod de habendis per parochias Conciliis, Patrum providentia, utilitatis causa, sancitum

est. Unde ne qua inter fratres dissensio, neque inter praepositos et subjectos sint fomenta discordiae, in unum convenire Sacerdotes necesse est, ut et de incidentibus causis disceptatio, et sit salubris de Ecclesiastica observatione collatio, quatenus dum per hoc et praeterita corriguntur, et regulam futura suscipiunt, Omnipotens Dominus fratrum concordia collaudetur. Cujus vobis adesse praesentiam, si hoc observaveritis, scitote, quia scriptum est: Ubi fuerint congregati duo vel tres in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Si ergo adesse dignatur ubi duo vel tres fuerint, quanto magis non deerit, ubi plures convenerint Sacerdotes, etc.

DISPUTATIO L.

DE

Magistratu Politico.

Praeside D. JOHANNE POLYANDRO.

Respondente MICHAELE a GOGH.

Thesis I.

Publica munerum a Deo Optimo Maximo ordinatorum administratio, aut est Ecclesiastica, aut Politica. Cum de illa supra actum sit, postulat ordo a nobis institutus, ut de hac quoque hoc loco agamus.

II. Politica rerum administratio est, quae in Rep. a Magistratu erga omnis generis cives exercetur, quos Deus ipsi quadam ratione subjectos esse voluit.

III. Summum enim et absolutum in creaturas humanas imperium habet solus Deus; subordinatum vero et conditionatum, Magistratus, quatenus, scilicet, subditos fidei ac curae suae commissos secundum legis divinae ac rectae rationis omnium homi-

num cordibus inscriptae praescriptionem tamquam Dei Minister gubernat, Rom. 13, 4.

IV. Haec Magistratus gubernatio, aut est uniformis, seu simplex, aut multiformis, seu composita.

V. Uniformis est quae constat ex imperio unius, aut plurium, sive sint optimates, sive plebei; quarum illa Monarchia, haec Aristocratia et Democratia appellatur.

VI. Monarchia est, cum summa imperandi potestas est penes unum, ad communem societatis humanae utilitatem spectans, vel in simplici Republica, seu civitate, vel in aliquo Ducatu, aut Regno ex pluribus civitatibus composito.

VII. Utriusque Monarchiae exemplum habemus in Veteri Testamento. Prioris in Regibus civitatum Sodomae, Gomorrae, Admae, Tzeboymorum et Belahi, Gen. 14, 2. Posterioris, in Saule, Davide, Salomone aliisque Regibus, qui olim duodecim tribus populi Israëlitici sub imperio suo habuerunt.

VIII. In utraque atque imprimis in posteriore Monarchia, consultum est ut summo Magistratui inferiores atque intermedii adjungantur, qui sub illo tamquam illius officiarii per partes sibi creditas Rempublicam moderentur, ut patet ex consilio Jethronis, Exod. 18, 21. et mandato Dei, Num. 11, 16.

IX. Utraque Monarchia, si ad privatam unius utilitatem dirigatur, in tyrannidem degenerat. Nam ut Rex aut Princeps bonum civium, sic Tyrannus suum tantummodo commodum considerat, illudque ex civium suorum incommodis sibi comparat.

X. Aristrocratia est Polyarchia in qua aliquot optimates, id est, cives dignitate et meritis erga Rempublicam maxime insignes, Magistratum tenent, eumque ad bonum commune destinant: qualis olim fuit populi Judaici sub Judicibus gubernatio. Haec cum ad paucorum, eorumque divitum utilitatem ac dominationem vergit, Ὀλιγαρχία appellatur.

XI. Democratia est Polyarchia, in qua potior pars civium etiam plebeiorum secundum suffragia populi universi tributim collecta Rempubl. administrat. Hujusmodi quid erat in politia Judaica, quando ex suffragio totius populi Israëlitici de bello adversus Benjamitas et de Regis electione in locum Samuelis statuebatur, Jud. 20, 21. 1 Sam. 10, 12. Haec si ad plebis emolumentum tantummodo convertatur, in ἀναρχίαν et solutam licentiam degenerat.

XII. Gubernatio multiformis est, quae non ex superioribus Reip. administrandae formis separatis, sed ex conjunctis ac mixtis constituitur. Cujus aliquod specimen in quibusdam Provinciis conspicitur, in quibus duo sunt ordines, nempe, Nobilium et civitatum, penes quos omnis est Reip. potestas.

XIII. Non temere nec pertinaciter disputandum est, quaenam ex istis gubernationis politicae speciebus sit praestantior: cum Deus primum Duces populi sui ratione peculiari constituerit Mosem et Josuam, tamquam suos delegatos, hisque aliquot consiliarios, ut diximus Thes. 8. adjunxerit, deinde Judices atque optimates Israëlis, in locum illorum introduxerit, denique Israëlitas per Regem Saulem ad statum Monarchicum reduxerit.

XIV. Accedit eo, quod Deus quaslibet gubernationis politicae formas admirabili sua providentia sic temperet, ut illarum una in alteris animadverti possit. Quamvis enim prima gubernationis species ab uno in illa praeeminente, Monarchia, secunda vero ac tertia a pluribus Remp. regentibus Polyarchia nominentur: sicuti tamen in Monarchia unus est, qui ceteris omnibus praedominatur, sic in Aristocratia et Democratia recte constituta hujusmodi est εὐταξία, ut aliquis primus sit saltem ordine ac suffragio, tantusque plurium numero consensus, ut omnes loco unius gubernatoris habeantur. E contrario, quemadmodum in regni comitiis, quibus inferiores intersunt Magistratus, aliquid Aristocraticum: ita in optimatum conventibus, in quibus civitates per suos quoque Deputatos jus suffragii sibi reservant, aliquid Democraticum percipitur.

XV. In quolibet igitur Reip. statu Magistratus est persona divinitus ordinata ad societatem quorumlibet hominum secundum leges honestas, divinas et humanas gubernandam, ac gladio armata, ut bonos tueatur, malos puniat, hostesque coerceat ad disciplinae externae, pacisque publicae conservationem, Rom. 13, 1. et seqq.

XVI. Cujuslibet Magistratus causam efficientem principalem seu auctorem Deum esse, his Sacrae Scripturae testimoniis demonstrari potest, Deut. 1, 17. Ne suscipite personam in judicio. Nam judicium ipsum Dei est, id est, ab ipso Deo constitutum, ut illud secundum legem ipsius exerceatis. Et Psalm. 82, 1. Deus stat in coetu Dei, et judi-

cat in medio Deorum, id est, Magistratuum divinam ipsius majestatem atque auctoritatem instar vicariorum ipsius in juris administratione repraesentantium. Quo respiciens ipsa Dei sapientia, seu Dei Filius, ait Proverb. 8, 15. Per me reges regnant et dominatores decernunt justitiam. Et Rex Josaphat populi sui Judicibus, 2 Chron. 19, 6. Non hominis judicium exercetis sed Jehovae. Nec non Apostolus Paulus, Rom. 13, 1. Non est potestas nisi a Deo, et quae sunt potestates, sunt a Deo ordinatae, itaque quisquis se opponit potestati, Dei ordinationi resistit. Ad has potestates supereminentes Deus homines interdum vocat extra ordinem, aut immediate, ut Mosem, Gedeonem, Samsonem, aut mediate, ut Davidem per Samuelem. Interdum modo ordinario, vel jussu summi Magistratus ex jure successionis haereditariae, ut Salomonem juxta mandatum Davidis, 1 Reg. 1, 32. vel per electionem, adhibita sorte, ut Saulem, aut alio ritu ex consensu totius populi secundum cujusque regni naturam ac consuetudinem.

XVII. Quocirca errant Anabaptistae, qui functionem Magistratus rebus malis et per se illicitis annumerantes, ei, tametsi sit fidelis, locum in Ecclesia Christiana denegandum esse existimant. Functio enim politica, quam tota Scriptura utriusque Testamenti Dei ordinationi ascribit, per se perpetuo bona est, ac proinde non minus a nostris Ecclesiis approbari debet, quam ab Apostolica: ad quam admissi sunt, Nicodemus, Joh. 3, 2. Regulus, Joh. 4, 53. Josephus Arimathaeus, Joh. 19, 38. Cornelius Centurio, Act. 10, 34. Sergius Paulus Proconsul, Act. 13, 12. et alii Magistratus in Christum credentes, in quibus impleri incepit, quod olim Esaias de Christianae Ecclesiae Catholicae Magistratibus praedixerat, c. 49, 22. et cap. 60, 2. 3. Super te orietur Jehova, et gloria ejus super te conspicua erit, ut accedant gentes ad lucem tuam, et Reges ad splendorem exortum tibi. Hinc David spiritu actus prophetico illos hortatur ut Filium Dei osculentur, Psalm. 2, 12.

XVIII. Ii praeterea errant, qui Magistratum infidelem atque improbum a populo Dei non esse tolerandum arbitrantur. Nam potestas Magistratus, quae est ab ipso Deo, ab infidelitate, quae a pravo Magistratus animo existit, ut τάξις ab ἀταξίᾳ, aut

officium a vitio adjuncto, distinguendum, Deique ordinationi per se bonae nequaquam praejudicio ac fraudi esse debet, sed hic in Dei providentia conquiescendum est, improbos aliquando ac sceleratos ad Reip. gubernacula adhibentis, ut per eos populi sui peccata corrigat. Ideo Apostolus Petrus docet, propter Deum obediendum esse Magistratibus, etiam Ethnicis, 1 Petr. 2, 13. Et Paulus, propter conscientiam, Rom. 13, 5. ne sua scilicet adversus eos rebellione sibi condemnationem afferant, Rom. 13, 2.

XIX. Hujusmodi tamen rebellionis exortes sunt inferiores Magistratus, qui summo Magistratui a se collegialiter, nomine universalis consociationis electo ac limitata tantum potestate instructo, propterea resistunt, quod Dei ordinationem solenni juramento sancitam improbo suo perjurio violat, Ordines et Remp. non minus pertinaciter, quam crudeliter, privilegiis spoliat, in quae juraverat, priusquam ab iis Princeps constitueretur; penes quos erat ipsum hac lege ordinandi potestas, ut si juste ac secundum jura ipsorum regeret, pro ipso; sin injuste et contra ipsorum jura, adversus ipsum gladio uterentur. Hoc enim suam ac patriae suae libertatem conservandi jus sibi legitime a majoribus suis concessum, et a Principe eligendo approbatum, ipsi nullo pacto negligere, aut in spolium exponere possunt, aut debent.

XX. Materia vel objectum personale circa quod functio Magistratus versatur, est omnis homo, ab Apostolo synecdochice dictus, omnis anima, Rom. 13, 1. cujuscunque sit conditionis, sive sit civis Ecclesiasticus, sive politicus. Quod recte intellexit Chrysostomus, locum illum Apostoli sic explicans, Ostendit Apostolus, quod ista imperentur omnibus, et Sacerdotibus, et Monachis, non solum secularibus: etiamsi Apostolus sit, si Evangelista, si Propheta, sive quisquis fuerit, neque enim pietatem subvertit ista subjectio. Et Bernard. sui seculi Clericos sic alloquens: Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit; si quis tentat excipere, conatur decipere. Si omnis et vestra. Quis vos excepit ab universitate?

XXI. Errant ergo Canonistae, aliique Pontificii, qui Ecclesiasticos a jugo Magistratus politici omnino ac simpliciter immunes esse asserunt, suamque assertionem jure divino niti arbitran-

tur. Nam Apostolus ad jus divinum respiciens, omnem animam adhortatur, Rom. 13, 1. ut se potestatibus civilibus subjiciat, iisque obtemperet. Aut ergo quilibet Clericus Romanensis anima caret rationali; aut, si ea praeditus est, horum numero comprehenditur, quos Apostolus scribens ad Romanos synecdochice appellatione omnis animae designat.

XXII. Non ignoramus, quosdam Pontificios vocem animae, qua utitur Apostolus, interpretari hominem animalem, id est, Laicum. Sed praeterquam, quod haec interpretatio nullo nititur Sacrae Scripturae testimonio, atque etiam Hebraismo viris Dei usitato, quo anima accipitur pro homine, prorsus repugnat, ex cap. 12. et 16. ejusdem Epist. ad Rom. apparet, eum nuncupatione omnis animae, omnes Sanctos, qui tunc Romae erant, intelligere, nominatim vero Ecclesiae Ministros et Ministras, in quorum catalogo ponit Urbanum cooperatorem suum in Christo, Tryphanam, Tryphosam et Persidem, quae multum laborabant in Domino.

XXIII. Et sane, quo sanctior et religiosior est hominum Christianorum vocatio, eo sanctius et religiosius lex Dei de obsequio Magistratibus praestando ab ipsis observari debet, cum nec Christus, qui fuit separatus ab omni peccato, ipsorum imperium detrectaverit, Matth. 17, 27. Joh. 19, 11. nec Sacerdotes, Prophetae, et Apostoli priscae Dei Ecclesiae singulari ratione consecrati. Addo, quod Apostolus Petrus, cujus Pontifex Romanus se successorem jactitat, omnes electos Dei ad sanctificationem Spiritus, quibus Clerici ipsius annumerari volunt, adhortatur, 1 Pet. 2, 13. ut se non tantum summis, sed etiam inferioribus Magistratibus subjiciant.

XXIV. Quod uterque Apostolus, Petrus et Paulus, de civili tantum potestate disserant in locis supra citatis, tum ex epitheto liquet, humanae ordinationis, quo politicam administrationem ab Ecclesiastica Petrus discernit, tum ex gladio quo Paulus Magistratum politicum tanquam externae pacis custodem ac vindicem a Deo munitum esse affirmat, Rom. 13, 4.

XXV. Hunc igitur ordinem Politicum divinitus institutum perverse invertunt Clerici, qui se illius potestate eximunt; atque injuste usurpant Romanenses Episcopi, qui jus principum secularium in se transferunt, nec non Pontifex, qui summos quoque Monarchas suo imperio subjicit, neque eos gladium tem-

poralem absque suo nutu in nonnullos stringere permittit: ac nihilominus se Christi vicarium nominat, qui temporalia negotia a se removens, ea in civilem Magistratum rejecit, Luc. 12, 14. Joh. 8, 11. ac Petri successorem, cui non minus, quam ceteris Apostolis a Christo dictum fuit, Matt. 20, 25. Scitis, Principes gentium in eas dominari, et magnates potestatem exercere in eas. Verum non ita erit inter vos, sed quicunque voluerit inter vos magnus fieri, esto vester minister, sicuti filius hominis non venit, ut sibi ministretur, sed ut ministret.

XXVI. Eundem ordinem politicum Pontificii nefarie contemnunt, cum Reges ac Principes civiles, quos S. Scriptura unctos Domini, Deos, filios Dei et nutritios Ecclesiae appellat, Ps. 18, 51. et 82, 6. Es. 49, 23. profanos homines vocant. Bellarm. de Exempt. Cler. cap. 2.

XXVII. Sicarios quoque, non Theologos agunt, qui Ecclesiae Dei Magistratus infideles exauctorandi eisque non tantum principatum, sed et vitam adimendi potestatem attribuunt. Jus enim gratiae quod Deus Ecclesiae suae revelavit, jus naturae et Gentium, quo nititur Magistratus auctoritas, non destruit, sed stabilit ac perficit. Quapropter sicuti matrimonium infidelium, quod aeque est juris Gentium, et naturae, atque matrimonium fidelium, doctrina Evangelica non abrogat, sed illud tantum ab hoc discernit: sic Magistratus infidelis ejusdem doctrinae adminiculo distingui quidem a fideli Magistratu potest, sed nunquam aboleri ab iis, qui Magistratui infideli ex ordine divinitus instituto sunt subjecti: ac propterea pro ejus incolumitate preces quoque suas ad Deum fundere tenentur, secundum commonefactionem Apostoli, 1 Tim. 2, 1. et ad exemplum priscae Ecclesiae, quae Juliani Apostatae imperium semper pertulit.

XXVIII. Interim Magistratus infidelis auctoritas in subditos ex diversa rerum natura ac ratione est distinguenda. Si enim res, quas imperat, ad conscientiam pertinent, ac verbo Dei ex diametro repugnant, neutiquam impiis atque iniquis ejus edictis parendum est, quoniam, ut tali Magistratui Petrus olim respondebat, Obedire oportet Deo potius, quam hominibus, Actor. 5, 29. Sin ea tantummodo *τὰ βιωτικὰ*, seu hujus vitae commoda, externumque Reipublicae seu societatis hu-

manae statum atque ordinem spectant, in iis ipsi ad pacem ac tranquillitatem civilem conservandam obtemperandum est.

XXIX. Forma Magistratus posita est in legitima potestate ipsi a Deo concessa, secundum quam singulas sui officii partes exsequitur. Haec enim instar animae functioni ejus vitam inspirat, atque efficacitatem largitur, qua judicium et justitiam apud cives suos recte exerceat.

XXX. In recta judicii justitiaeque administratione, duplici opus est prudentia, togata nimirum, et militari.

XXXI. Prudentia togata est, qua Magistratus, quod pacis tempore maxime convenit, circumspecte agit, atque ad commune bonum apte dirigit, ut pax et tranquillitas in Republica conservetur.

XXXII. Prudentia militaris est, qua Magistratus fortiter excellenterque facit, quod belli tempore convenit, ad restitutionem amissi boni communis, defensionem Religionis, propulsationem injustae vis, ac vendicationem libertatis.

XXXIII. Utraque prudentia est Magistratui neccessaria; illa ut a bonis ametur, debitoque honore afficiatur; haec, ut a malis metuatur.

XXXIV. Utraque si Magistratus sit praeditus, diligenter cavebit: 1. Ne pravae conscientiae Judices, Consiliarios, Praetores, et belli duces sibi asciscat, sed spectatae fidei et integritatis hominum consilio et opera utatur. 2. Ne delatoribus, sycophantis, et perduellibus, status publici perturbatoribus, aurem praebeat, sed eos procul abigat. 3. Ne, si aut de subditis contumacibus ac perfidis poenas sumere, aut adversus hostes iniquos se tueri debeat, suis obsequatur cupiditatibus, sed solo officii studio ducatur.

XXXV. Tam militaris, quam togatae prudentiae leges Deus priscis Magistratibus sub Vet. Test. praescripsit, interdum ab iis consultus et interrogatus, ut videre est Jud. 1, 1. et 2, 18. 28. 1 Sam. 23, 2. et 30, 8. et 2 Sam. 5, 19. interdum non interrogatus, ut legitur Num. 31, 1. Deut. 13, 12. Ad haec Deus Judicibus ac Regibus secundum leges ipsius bellum gerentibus e coelo benedixit, ut agnoscit Rex David, Ps. 18, 36. et 144, 1. et Salomon Prov. 12, 21. Sancti quoque sub Vet. Test. per fidem in Deum regna debellasse dicuntur, Hebr. 11, 33. et proinde bella ipsorum Deo placuerunt. Quemadmodum enim quod non

est ex fide, peccatum est, ac Deo displicet: sic e contrario quod fit ex fide, est verbo Dei consentaneum, ipsique acceptum.

XXXVI. Ceterum, quod Deus in Veteri Testamento et ante legem Mosis ex jure Gentium et sub lege ex auctoritate Magistratibus divinitus data ratum gratumque habuit, id sub Evangelio ipsi displicere nequit; cum Evangelium nec jus Gentium, nec Politicas, nec jura bellorum aboleat, quibus ad societatis humanae conservationem opus est.

XXXVII. Hallucinantur igitur Anabaptistae et Sociniani, qui negant Magistratui quoque Christiano bellum divinitus esse licitum: non considerantes, nec Johannem Baptistam, nec Christum, nec Apostolos, Centurionibus ac militibus ab ipsis salutis consilium petentibus, fidemque Christianam profitentibus, consuluisse, non ut arma sua abjicerent, sed ut stipendio suo contenti essent, Matt. 8. Luc. 3. Actor. 10. His addendum est Apostoli Pauli exemplum, qui cognita nonnullorum Judaeorum adversus ipsum conjuratione, tribuni Romanorum praesidio ac defensione contra illos Judaeos utens, hoc suo facto quemlibet Magistratum ex jure divino ad bonorum protectionem gladio posse uti demonstravit, Act. 23, 21.

XXXVIII. Idem Apostolus Caesarem appellans, seque apud ejus tribunal judicari oportere Festo respondens, Act. 25, 10. judicium Magistratus in facinorosos innuit esse juris divini ac communis, ac proinde sub ipso quoque Evangelio licitum. Nam quod juri divino et perpetuo repugnat, fieri oportere nunquam dicturus fuisset. Idem Romanos monet, Rom. 13, 4. quod Magistratus facinorosos gladio plectere jure ac merito possit. Quo posito corruit hoc Socinianorum axioma, doctrinam Evangelicam Christiano non permittere, ut homo homini vitam adimat; quod ipsorum axioma Christi effato refutari potest, Matt. 26, 52. Qui gladium accipit, gladio peribit. Ad veterem etenim legis divinae sanctionem Christus provocat, ut eam juris primitivi ac perpetui esse indicet, nimirum ad illam Gen. 9, 6. Qui effuderit sanguinem hominis, vindicta privata atque inordinata, per hominem sanguis ejus effundetur, nempe ex vindicta publica atque ordinata: quam Sociniani cum privata atque inordinata confundentes, ex locis quibus haec prohibetur, videlicet, Matt. 5, 39. et Rom. 12, 17. 19. illius quoque prohibitionem male colligunt.

XXXIX. Prudentia Magistratui, tam belli, quam pacis tempore necessaria, aut est universalis, aut particularis. Universalis est, quae leges civiles condendi, et moribus honestis civitates exornandi potestatem habet. Particularis est, quae in casibus, factisque particularibus explicandis occupatur. Et haec est, aut consultatrix, atque in particularium agendorum consultatione; aut judicatrix, et in consultatorum actione versatur.

XL. Utraque Magistratus prudentia in his officiis consistit. Primum, ut leges civiles quas statuit, manifestam et cum universali lege naturae et cum lege scripta morali convenientiam habeant. Secundum est, ut cultum Dei ad normam legis ipsius in ditione cui praeest, per ministerium ecclesiasticum recte constituat, constitutum per judicia ecclesiastica pure integreque conservet, aut corruptum depravatumve reformet, omnibusque populi seductoribus ac Doctoribus ἑτεροδόξοις, progressum verae religionis impedientibus, quantum in ipso est, obviam eat.

XLI. Ut haec omnia observet, necesse est, ut intelligat, quae sit vera fides Christiana, ad quam Ecclesiae Dei sunt erigendae aut reformandae; ne in re tanti momenti aliquid ex solo aliorum judicio, aut arbitrio, sed ex certa sua scientia, et fide stabili suscipiat ac discernat.

XLII. Horum omnium observatores fuerunt viri sancti, etiam qua Principes in Republica Israëlitica, ut Moses, qui sacram religionem in illa juxta Dei legem constituit, Ex. 19, 20. Josua, Mosis successor, qui legem Dei in Politia sua promulgavit, Jos. 5. foedusque Dei cum populo Israëlitico renovavit, Jos. 24. et post ejus introductionem in terram promissam speciali Dei mandato interruptum circumcisionis usum instauravit, ac praestituto tempore Pascha celebravit; in ipsam terram Cananaeam penitius ingressus, decalogum lapidibus insculpsit, mortique vicinus omnes Magistratus adhortatus est, ne a legis divinae praescripto dextrorsum aut sinistrorsum recederent.

XLIII. Quorum ducum imitatores fuerunt Judices Israëlis, Gedeon, qui post mortem Josuae Baalis altare diruit, Jud 6. Et Samuel, qui populum ad corruptae religionis emendationem exhortatus, eam impetravit. Nec non Reges, ut David, qui sicuti, qua vir Dei, una cum Gade et Nathanae, Levitis ordines ac officia ecclesiastica assignavit, 1 Chron. 9. et 23. sic, qua Rex populi, arcam Dei in suam civitatem deduci jussit,

aliaque ad templi aedificationem necessaria praeparavit. Salomon, qui domum Dei consecravit, festum tabernaculorum celebravit, sacrificia super altare, quod exstruxerat, Deo obtulit, 2 Chron. 8. Asa, qui omnes Deos stercoreos, quos Majores ipsius fecerant, ex regno suo amovit, 1 Reg. c. 15. Josaphat, qui omnia quoque idola abolevit, et singularem in vero Dei cultu instaurando curam adhibuit, 1 Reg. 22, 2. Chron. 23. Joas, qui sacerdotes templi fabricam negligenter curantes, officii admonuit, et mulctavit, 2 Reg. c. 12. 2. Chron. c. 24. Ezechias, qui templum Dei repurgans ab omni superstitione, purum cultum, sub patre ejus corruptum, quam diligentissime restituit, Judaeis Pascha indixit, ac Levitis de cibario prospexit, 2 Reg. 18. 2 Chron. 29. Josias, Ezechiae pronepos, qui cultum Dei sub Manasse et Amone contaminatum quam fidelissime restauravit, atque idololatriae auctores punivit. Quorum vestigiis nonnulli ex Christianis principibus institerunt, nominatim Constantinus Magnus, qui primus templa Christianis aperuit, et Theodosius, qui clausis Gentilium templis, unam Religionem Christianam in toto suo imperio coli jussit; nec non alii Reges, Principes et Magistratus, qui suas ditiones ab impietatis et superstitionis fermento, non minus nostris quam majorum nostrorum temporibus reformarunt.

XLIV. Ad sacrae Religionis informationem fidelis Magistratus Verbi divini administris, veluti oculis, uti debet, honesta ipsis stipendia constituere, conventus ipsorum, tum Consistoriales, tum Synodicos tueri, in iis externam εὐταξίαν conservare, ac Synodicis, ubi res postulat, interdum interesse, exemplo Constantini Magni, qui causam Arrii primum in legitimo Synodo Nicaena cognosci se praesente voluit, ut rem totam ex consentientibus Episcoporum, qui Ecclesiam repraesentabant, suffragiis ad normam Sacrae Scripturae congruentibus cognosceret.

XLV. Civilis rerum administratio et ecclesiastica triplici communione inter se continentur. Prima est, quod utraque respectu Dei sit diaconia et ministerium supremo Dei imperio subordinatum, Ps. 2, 11. Rom. 13, 4. 1 Cor. 3, 5. et 4, 1. Secunda, quod vi istius ministerii Magistratus et Pastores sint juris divini custodes, Deut. 17. 18. Esa. 49, 23. Mal. 2, 7. 2 Cor. 5, 18. 12, 20. 2 Tim. 2, 2. Tertia, quod propter illud ministerium, quo secundum Dei praescriptum funguntur, debitus ipsis honos

ex consentiente officio sit exhibendus, Rom. 13, 6. 7. 1 Tim. 5, 17. Hebr. 13, 7.

XLVI. Utraque administratio suis e contrario distinguitur differentiis, tum quoad verbi Dei ac disciplinae custodiam (quae sunt duae partes juris divini) tum quoad inaequalem honoris ipsis debiti communionem.

In verbi divini custodia potestas politica a ministerio ecclesiastico 6 differentiis distingui debet.

Prima est, quod in verbi divini expositione Pastores loqui debeant, et interpretari: Magistratus autem audire et informari, eadem ratione qua Cornelius Centurio et Sergius Proconsul, quorum ille a Petro, hic a Paulo fuit edoctus, Matt. 28, 19. 20. Ps. 2, 10. Act. 10, 32. Act. 13, 7.

Secunda est, quod in Ministerii sui executione Pastores et presbyteri, potissimum ac proprie interiori homini praemia ac poenas spirituales Christi nomine denuncient: Magistratus vero exteriorem hominem corporalibus bonis aut poenis afficiant, Matt. 18, 17. 18. Joh. 20, 22. 23. 1 Tim. 1, 20. Rom. 13, 3. 4.

Tertia, quod verbi administri nudam legis actionem et ipsorum tantum praemiorum ac poenarum, quae verbo Dei expresso continentur, executionem, potestas vero civilis praemiorum ac poenarum corporalium, pro circumstantiarum in ejus praxi occurrentium varietate, arbitrariam sanctionem et executionem habeat: sic tamen, ut sanctio illius sit potestatis, penes quem est summa rerum executio, id est, potestatis Regis, vel Principis in Monarchia, et Optimatum in Aristocratia, Deut. 4, 2. 1 Cor. 1, 23. Gal. 1, 8. Apoc. 22, 18. 19. Matt. 20, 15. Joh. 19, 11. Rom. 13, 4.

Quarta, quod Presbyteri Ecclesiae nihil nisi alieno, id est, Christi; Magistratus vero suo quoque imperio nonnulla praescribant. Gubernatio enim Ecclesiastica est omnino ὑπηρετικὴ, seu ministerialis. Politica vero, quamvis Dei respectu etiam sit ministerialis, imperio atque auctoritate est instructa.

Quinta est, quod Presbyteri armis spiritualibus, id est, admonitione, irae divinae comminatione, atque excommunicatione homines convertant, ac Christo lucrifaciant. Magistratus vero, ubi necessitas efflagitat, mulcta, carcere et gladio, ad eos cogendos et cohibendos, utantur.

Sexta, quod Pastores praesunt, ubi agitur de conscientia; Magistratus autem, ubi de corpore disputatur.

XLVII. His tres aliae differentiae rebus ad Ecclesiae disciplinam spectantibus annectendae sunt:

Harum Prima est, quod proprie jus sit penes Pastores disciplinam Ecclesiasticam una cum suo presbyterio, ex fidei et sacrae doctrinae analogia decernendi: Magistratus vero, penes quem est summa imperii potestas, disciplinam illam, aut praesens approbare, aut absens examinare possit, et si quid in ea jure desideretur, a Pastoribus exigere, ut illud ex verbi Dei analogia addatur, vel emendetur.

Secunda est, quod verbi administri una cum suo Presbyterio servos Christi, tum a Magistratu civili eandem religionem profitente, tum ab Ecclesia sua approbatos, consecrare debeant: Magistratus vero, ad conferenda Ecclesiae munera sua, non solum intercessione, sed etiam auctoritate sua uti possit, et corruptelas impedire aut corrigere, si quae civili animadversione dignae interveniant.

Tertia, quod in Ecclesia pacifica Pastores, annuente potestate civili, conventibus Ecclesiasticis a Magistratu indictis una cum Presbyterio interesse atque in iis de doctrina ac moribus Ecclesiae dispicere debeant: in Ecclesia vero perturbata et scismate laborante, Magistratus possit religiosissimos quosque ac prudentissimos Theologos, Ecclesia, si fieri potest, approbante, ad Synodum convocare, horumque conventibus interesse, atque in iis, urgente necessitate, quoad externam actionem ac directionem praeesse: ad exemplum Constantini Magni supra propositum.

XLVIII. Honor, qui utrique functioni debetur, non est, coaequalis. Nam sicuti verbi divini administri nullo suo pollent imperio, sic nec conscientiis hominum, quibus verbum Dei administrant, dominari debent, 1 Pet. 5, 2.

At potestati civili in subditorum suorum corpora ac bona imperiam a Deo concessum est, Rom. 13, 4. Adhaec, ut dignitas Ecclesiastica paternae auctoritati similior est, quam regiae, sic sola reverentia, docilitate et honorario; potestas vero civilis, quae cum imperio et majestate est conjuncta, a subditis non tantum obsequio et submissione, sed etiam tributorum solutione coli debet, juxta Christi exemplum, Matt. 17, 27. atque ejusdem praeceptum, Date Caesari, quod est Caesaris, Matt. 22, 21.

XLIX. Maxima inter utramque administrationem, politicam, scilicet, et Ecclesiasticam, concordia ali debet, ut altera ope alterius fulciatur, et non minus Magistratus auctoritate τοῦ ὁσίου, vel sacrae Religionis, jurisque divini firmamenta in Ecclesia, quam Presbyterorum Ecclesiae ministerio principia τοῦ δικαίου seu Justitiae ac juris communis in societate civili sanciantur.

L. Etsi Magistratui Christiano utriusque legis tabulae custodi ac vindici, imprimis Dei gloria, atque salus populi suprema lex esse debeat, hicque non tantum, ut homo privatus, sed ut Princeps, verbum Dei diurna manu ac nocturna versare teneatur, ut ejus ductu religionem legitime constitutam conservare, ac collapsam instaurare possit: non propterea tamen functionem Ecclesiasticam usurpare debet, sed ratione officii sibi cum aliis fidei domesticis communis, instar ovis Christi, verbum ipsius audire et sacramenta participare: atque instar servi Dei filium ejus sibi in verbo Dei per praecones Evangelii oblatum osculari, jugumque disciplinae ejus super se attollere tenetur.

LI. Mixta Mosis administratio fuit, extraordinaria ac temporaria, postquam enim fratrem suum Aaronem ex singulari Dei mandato Pontificem inaugurasset, non amplius Sacerdotem egit, sed in Levitarum ordine substitit. Melchisedeci Regis Salem ac Sacerdotis Dei altissimi functio fuit typica, et cum reliquis ceremoniis typicis a Christo abrogata, qui propterea Apostolis suis ministerium verbi indixit, ac dominatu politiae interdixit, ne ab iis eorumque successoribus administratio Pastoralis homini politico, aut regia homini Ecclesiastico demandaretur.

LII. Qualem pius ac fidelis Magistratus electionis pastorum curam habere debeat, in thesibus de ministrorum Ecclesiasticorum vocatione declaravimus, nimirum, Magistratum hac in re se gerere debere secundum ordinem ab ipso Christo constitutum, qui in eo consistit, ut tamquam quarti praecepti custos, procuret, ut viri idonei per presbyterium, accedente tum imprimis ipsius, tum totius quoque Ecclesiae consensu ac suffragio, ad munus pastorale legitime vocentur, ac coram Ecclesia ordinentur, ex more Apostolorum et Evangelistarum, Act. 14, 23. Tit. 1, 5. quem Patres nostri sub piis viventes magistratibus constanter observarunt.

LIII. Exemplum Mosis, quod contra hanc nostrorum Theologorum sententiam objicitur, est prorsus extraordinarium, et

ab hac disputatione alienum. Non enim ut Dux politicus, sed ut Sacerdos Dei extraordinarius Aaronem Pontificem inauguravit; haecque inaugurationis actio est ab electione Aaronis distinguenda. Nam prius Aaron a Deo electus Mosique nominatus fuit: mandato deinde Dei per inaugurationem in vocatione sua a Mose confirmatus.

LIV. Si Pastor sit seditiosus ac manifestus pacis publicae violator, summus Magistratus eum, interveniente subordinatorum procerum consilio, potest eodem jure exauctorare, quo Rex Salomon Abiatharum deposuit, 1 Reg. 2, 26. et 8, 2.

LV. Difficilior explicatu est haec quaestio, quomodo Magistratus in Doctores ἑτεροδόξους, atque haereticos populi seductores, errorum exitialium legitime convictos, et pertinaciter blasphemos, animadvertere debeat. Ad quam respondemus, si Magistratus fidelis in ea tempora inciderit, ut illos haereticos nec lenitate sua ad pacem et bonam frugem possit revocare, nec severitate ac minis a pervicaci errores ipsum fidei fundamentum labefactantes propagandi studio absterrere, tolerantiam ipsius apud Deum, ejusque Ecclesiam esse excusabilem: cum prudentia ea quoque interdum tolerari jubeat, quae ex zelo quidem atque amore veritatis improbantur, sed potestate coactiva secundum leges prudentiae ac justitiae vindicatricis impediri ac tolli nequeunt.

LVI. Si vero eos cogere ac gladio suo coercere possit, alii censent, ipsius officii esse, hujusmodi haereticos mortis supplicio afficere, exemplo pii Regis Josiae, qui sacerdotes superstitiosos excelsorum super altare mactavit, atque ossa humana super illis combussit. Et Jehu, qui totam Achabi ac Isabelis familiam propter idololatriam penitus excidit, sacerdotesque Baalis ad unum omnes trucidavit. Item Eliae, qui sacerdotes Baalis ad unum quoque necuit. Sed cum Elias Propheta hoc fecerit ex instinctu Dei extraordinario, quoniam tum cessabat Magistratus ordinarius: Josias vero et Jehu ex rigore politicae legis Judaico populo proprie accommodatae, idque in casu extremae necessitatis, ac metu totalis regni ipsorum eversionis, nulla alia ratione evitabilis; in horum Theologorum malo sententiam ire, qui ubi alia ratio datur, haereticos ex aequo et bono coercendi, plerosque eorum ab Ecclesia condemnatos, a Magistratu arbitrarie, aut deponendos, aut relegandos, aut alio modo constringendos, potius esse asserunt, quam mortis supplicio plectendos: ne con-

tagio ipsorum veluti γάγγραινα in ipsorum Republica latius serpat. Qua in re Constantinum Magnum et Theodosium imitabuntur, quorum ille Arrium, hic Apollinarem, et Nestorium, a Synodo prius damnatos, exilio mulctavit.

LVII. Excipi hic possunt a pio et prudente magistratu, homines prorsus athei ac summe blasphemi, qui Deum ipsum, vel providentiam ejus in rebus humanis irreligiosissime pernegantes, communem Ecclesiae Christi religionem, horrendis suis blasphemiis pervertunt, ac totius Reipublicae pacem concordiamque ex pura ἐπιχαιρεκακιᾳ atque animi malignitate insanabili perturbant, nulloque alio commodiore ac mitiore politicae coercitionis medio, aut remedio, compesci possunt.

LVIII. Quocirca dictum illud Augustini contra Crescent. Gram. lib. 3. 50. Nullis placet hoc in Ecclesia Catholica, si usque ad mortem in quemquam, licet haereticum, saeviatur. Et ad Donat. Epist. 128. Ex occasione terribilium judicum ac legum, ne aeterni judicii poenas incedant, corrigi haereticos cupimus, non necari, nec disciplinam contra eos negligi volumus, nec suppliciis, quibus digni suut, exerceri: sic ergo eorum peccata compesce, ut sint quos poeniteat peccavisse: de communibus tantum haereticis accipiendum esse arbitror.

LIX. Etiamsi Magistratus legum suarum repagulis subditos suos coercere debeat, ne Religioni, quam approbat, aperte maledicant, cogere eos tamen non potest ad fidem, qua istam receptae Religionis formam approbent, ejusque approbationem palam coram hominibus profiteantur. Fides enim persuaderi vult, non cogi, ac nihil tam voluntarium esse debet, quam Religio ac cultus Dei internus, nihil tam a Magistratu Christiano magis alienum, quam praepostera atque intempestiva severitas, qua homines hypocritas reddat, eosque ore confiteri cogat, quod corde non credunt.

LX. Iis tamen non astipulamur, qui sicuti hominum cogitationes liberas esse ajunt, ita quorumlibet de fide opiniones a Magistratu tolerandas esse arbitrantur. Quamvis enim internas hominum opiniones non esse puniendas largiamur, impiam tamen ac Reipublicae exitialem Religionis professionem a Magistratu quibuslibet civibus esse permittendam negamus.

LXI. Fatemur quidem, falsorum doctorum tela spiritualia,

quibus in Ecclesiam Dei grassantur, armis prius spiritualibus esse repellenda; sed si his non amplius sit locus, atque haeretici, tametsi errorum suorum sint aliquoties convicti, audaci nihilominus eorum propagatione in Republica turbas novas excitent, tum auctoritate Magistratus sunt coercendi, ne ex factionis illorum tolerantia gravius aliquod incommodum Respublica capiat. Pertinax enim in doctrina fidei dissensio et distractio, totius societatis humanae perturbationem secum trahit, ejusque tranquillitatem subvertit.

LXII. Cum olim Magistratus, non minus haereticos, legem Dei spiritualem, quam alios rebelles, leges ipsorum civiles seditiose violantes puniverint, non jure, sed vi potestatem illorum de haereticis ex verbo Dei cognoscendi, illosque secundum illud corporaliter plectendi, ad forum suum Ecclesiasticum praesules Romanenses traxerunt.

LXIII. Etenim Magistratus fidelis, Ecclesiae Dei pars illustris, tam ex fidei analogia, quam ex fidorum Theologorum a se evocatorum judicio Sacrae Scripturae consentaneo, una cum suis Theologis de ipso haeretico potest cognoscere, atque haereticum, si absque Reipublicae motu aliorum civium consortio diutius frui non possit, pro sua prudentia ac causae momento coercere.

LXIV. Quo majorem potestatem Magistratus Christiani, quam homines privati a Deo acceperunt, eo majorem curam ac diligentiam adhibere debent, ne aliquod dogma heterodoxum, aut a fide Christiana dissentaneum in ipsorum ditione latius vagetur. Nam praeterquam quod ipsis, ut Ecclesiae membris, universae Dei Ecclesiae custodia commendata est communiter, eadem ipsis, ut Ecclesiae nutritiis ac protectoribus, in solidum demandata est singulariter. Itaque monendi sunt, ne subditis suis a vera Religione alienis falsam publice profitendi licentiam indulgeant, et, quibuscunque possunt rationibus, privata quoque hujus exercitia impediant.

LXV. Finis ultimus Magistratus, est Dei gloria; subordinatus subditorum ejus concordia ac tranquillitas. Hinc pro Regibus et omnibus in eminentia constitutis, preces atque interpellationes a nobis fieri vult Apostolus, ut sub eorum auctoritate tranquillam ac quietam vitam degamus cum omni pietate et veneratione, 1 Tim. 2, 2.

DISPUTATIO LI.

DE

Resurrectione Carnis et Judicio extremo.

Praeside D. ANDREA RIVETO.

Respondente HENRICO W. BERCKELIO.

Thesis I.

Quicquid ab homine vel circa hominem fit, duobus terminis concluditur, quos veteres Theologi Viae et Patriae nominibus, a Scripturae verbis non recedentes, (Prov 2, 20. et 4, 26. et 27. Matth. 7, 13. 14. 2 Cor. 7, 7. Hebr. 4, 14.) significarunt. Quibus aequivalet distinctio Ecclesiae, in militantem et triumphantem. Quae hactenus disputata fuerunt, ad viam pertinebant, et statum Ecclesiae militantis in terris. Quae deinceps ventilanda, ad patriam et metam, seu ad statum Ecclesiae triumphantis in coelis, et plenam hostium ejus debellationem, addictionem et mancipationem, aeternis inferorum poenis. Hujus piorum et impiorum novissimi et dissimillimi status, antecedentia necessaria sunt, Resurrectio mortuorum, et judicium extremum. Nam statutum est homini semel mori, post hoc autem judicium, Hebr. 9, 17. At mortuorum non potest esse judicium quamdiu mortui sunt, quia in judicio comparendum. Quod ut fiat, anteire debet resurrectio mortuorum, de qua nobis primum erit agendum; deinde tremendi illius judicii circumstantiae perpendendae.

II. Quae Resuscitatio active dicitur a causae efficientis operatione, passive Resurrectio appellatur. Illa nihil aliud est, quam ejus quod cecidit, erectio; haec autem quae prioris illius effectus est, iterata quaedam statio, Graecis ἀνάστασις dicta quasi δευτέρα τοῦ πεπτωκότος στάσις. Cum autem ut lapsus seu casus, figurate intelligi potest: sic etiam resurrectio eodem modo accipi possit, vel ratione calamitatum et periculorum in quae incidit aliquis in hac vita, vel ratione peccatorum quibus anima ruit et cadit; nos omissa figurata acceptione, et resurrectionis illius, quae prima vocatur, consideratione, de qua satis actum est, ubi de regeneratione et renovatione hominis instituta fuit disputatio, de resurrectione proprie

dicta, quae corporis, per mortem cadaver facti, restitutionem, et animae cum eodem reunionem significat, agemus. Non enim refugimus cadaveris nomen (ut id obiter dicatur) cuivis mortuo corpori, ne quidem excepto Christi corpore, in mortis triduo, attribuere; etsi id blasphemum videatur Feuardentio Theomach. Lib. 6. pag. 176. et Cottono, Genevae Plag. ad loc. Act. 2, 27. Quod tamen ipsi Christo Chrysost. tribuere non veretur, Homil. 42. in 1 ad Cor. πτῶμα καλῶν τὸ σῶμα διὰ τὸν θάνατον. Et probat Gregor. de Valent. Tom. 4. in Thom. disp. I. q. 4. punct. I. In triduo mortis Christi caro, imo Cadaver (quatenus est natura irrationalis, insensibilis) sustentabitur hypostatice a verbo.

III. Hic articulus discrimen facit inter Ethnicos et Christianos; extra conspectum enim rationis positum, propria Ecclesiae vox est, ut merito Tertullianus dixerit, Fiduciam Christianorum esse resurrectionem mortuorum, Lib. de resurrect. carnis. Et quod de capite Augustinus, ad omnia membra referendum sit: Mortuum esse Christum, Pagani ac inimici ejus credunt; resurrexisse autem Christum, propria fides est Christianorum. Sic morti obnoxios esse omnes homines, Ethnici vident & concedunt: at cum ad resurrectionem ventum est, videtur ληρώδης λόγος, Act. 17, 32. Plinio Lib. 2. natur. Hist. cap. 7. et Lib. 7. cap. 55. puerile deliramentum. Sic Coecilius apud Minucium in Octavio: Christiani aniles fabulas astruunt, renasci se ferunt post mortem, et cineres et favillas, et nescio qua fiducia, mendaciis suis credunt. Uno verbo, Ut carnis resurrectio negetur, de una omnium Philosophorum schola sumitur. Tertull. de praescript. cap. 8. Hinc Apostolus de Gentilibus in genere, circa resurrectionem mortuorum, scribit eos esse μὴ ἔχοντας ἐλπίδα, 1 Thess. 4, 13.

IV. Cum autem haereticorum Patriarchae fuerint Philosophi, Tertul. advers. Hermog. non mirum est, si ab eis etiam Ecclesia inde ab initio passa sit contradictionem in doctrina de resurrectione. Judaica, a Sadducaeis, qui dicebant non esse resurrectionem, Matth. 22, 23. Christiana, ab Hymenaeo et Phileto, docentibus jam factam esse resurrectionem, 2 Tim. 2, 18. nempe propriam negantibus, figuratam solum concedentibus. Apud Corinthios a multis, qui ab

Apostolo refutantur, 1 Cor. 15, 12. Quorum postea haeresim interpolarunt, Simoniani, Iren. Lib. I. cap. 19. Saturninus, Basilides, Carpocrates, Gnostici, Valentinus, Ophitae, Caiani, Sethiani, Archontici, Cerdoniani, Marcionitae, Lucianus, Apelles, Severus, Origeniani, Seleuciani, et alii multi, quos longum esset enumerare, de quibus Epiphanius in Panario, August. de Haeres. ad Quotvult. Theodoret. de Haeret. fabulis, Philastrius de Haeres. et alii. Quam haeresim etiam tribuunt Johanni XXIII. Pontifici Romano, Acta Concil. Constantiensis, quod Diabolo suadente pertinaciter crediderit, animam hominis cum corpore mori et extingui, ad instar animalium brutorum, ac mortuum semel, etiam in novissimo die, minime resurrecturum, Sess. 11. Pag. 106. edit. Quentel. 1551. Tom. 2.

V. At vero, cum spem et resurrectionem mortuorum conjungat Apostolus, Act. 24, 14, & doceat, miserrimos omnium hominum nos esse, si in hac vita tantum in Christo speramus, 1 Cor. 15, 19. ut retineamus possessionem spei nostrae non vacillantem, Hebr. 10, 23. muniendus nobis est animus, certis et immotis fundamentis, quibus fides ac spes nostra de futura resurrectione firmiter innitatur. Quare, sepositis secundariis quibusdam et probabilibus argumentis, et convenientiis nonnullis aut similitudinibus a natura petitis, quae rem potius illustrant quam confirmant, nec rigidae disputationis ἀκρίβειαν sustinere possunt; duobus illis fulcris fidem nostram sustentabimus, quae a Christo nobis fuerunt indicata, Matth. 22, 29. cum Sadducaeos resurrectionem negantes, ad Scripturas et virtutem Dei revocavit, quarum rerum ignorationem, erroris eorum fontem esse detexit; contra, fidei de hoc articulo fundamenta duo substravit, cognitionem divinae voluntatis ex Scriptura, et divinae potestatis ex ejus natura. Cum enim resuscitatio mortuorum sit actio divina, et cujusque actionis duo sint principia necessaria et sufficientia, voluntas nempe et facultas, ad eadem etiam in hoc resurrectionis opere est respiciendum. Haec enim duo, in Deo conjuncta, in quo nulla est ἀδυναμία, rem ponunt in actu, quia Dominus noster in coelo, quaecunque voluit, fecit, Psal. 115, 2.

VI. Voluntas Dei verbo revelato nobis aperitur, in quo etiam

oracula habemus de mortuorum resurrectione a Prophetis et Apostolis edita. In Vet. Test. quidem obscurius, sed tamen perspicue satis ad faciendam fidem, in Novo autem solis radiis descripta, quo maximae caecitatis indicium sit non videre; infidelitatis summae, visis et auditis fidem non adhibere. Ab ipso initio promissio de semine mulieris contrituro caput Serpentis, Gen. 3, 15. inclusam habet doctrinam de voluntate Dei circa resurrectionem. Semen enim illud quod destructurum erat opera Diaboli, non id sufficienter fecisset, nisi peccati stipendium mortem, tam temporalem quam aeternam, destruxisset. Qui potentiam enim Satanae frangit, etiam mortem vincit, cujus habet imperium, Hebr. 2, 14. Huc facit quod promissio illa, Abrahae postea plenius exposita, de Messia ex semine Isaaci nascituro, adjunctam habet benedictionem, omnibus nationibus terrae, in semine illo communicandam; quae cum opponatur maledictioni, cui universum genus humanum ob peccatum obnoxium est, cujus mors corporis et animae cumulus est; utique etiam convenit, in illa benedictione includere corporis resurrectionem, et ejus cum anima conjuncti, vitam nunquam finiendam.

VII. Hujus consequentiae necessariae, auctorem habemus ipsum Dei Filium, qui ex verbis foederis, Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Iacob, Exod. 3, 6. quorum vis etiam post animae et corporis separationem permanet, colligit, contra errorem Sadducaeorum, esse resurrectionem mortuorum, quia Deus non est mortuorum, sed viventium Deus, Matth. 22, 32. Marc. 12, 26. Luc. 20, 38. Cum enim Deus foedus illud non cum animabus, sed cum personis icerit, et Abrahami, Isaaci, et Jacobi nomina, personas integras connotent, necessario vita ad integras personas referri debet, non ad aliquas tantum partes. Ergo non tantum ad animarum immortalitatem, sed etiam ad corporum resurrectionem; quae cum certa esset in decreto Dei, ipsi Deo, Abraham, Isaac et Jacob, etiam mortui, vivebant. Ideo voluit signum foederis fideles in corpore accipere, ut ostenderet, corpus illud, suo tempore ex mortuis resuscitandum, aeternae vitae particeps futurum.

VIII. Dictum Jobi cap. 19, 25. et seqq. adeo apertum ad eam rem judicavit Hieronymus, scribens ad Pammach. ut nullum tam aperte post Christum, quam Jobum ante Christum

de resurrectione loqui, existimaverit. Et certe prout legitur in edit. vulgata, vix aliquid potest magis perspicue ad eam rem exprimi. Scio enim quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra resurrecturus sum: Et rursum circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum meum. Quem visurus sum ego ipse, et oculi mei conspecturi sunt, et non alius: reposita est haec spes mea, in sinu meo. Quae etsi paulo aliter se habeant in textu Hebraeo, et in vers. LXX. quoquomodo tamen vertantur, nihil erit quod non commodissime ad illius mysterii fidem explicandam et confirmandam adduci possit, ut a doctiss. interpret. Tremel. et Jun. et aliis factum est. Quorum sententiam, quae fuit universae veteris Ecclesiae, Judaeorum interpretationibus praeferimus, etsi doctiss. Mercerus in eam pedibus iverit; a qua nos dimovent, protestatio illa Jobi, de inscribendis verbis suis stylo ferreo, plena illa quam profitetur scientia, quam indubitatam habere non poterat de liberatione temporali; a verbis illis, posteriorem super pulverem resurrecturum, quae sive ad Redemptorem referantur, sive ad Jobi personam, ad bonorum in hac vita restitutionem vix possunt accommodari. A certitudine videndi Deum in carne sua postquam a vermibus esset erosa, quae periphrasis est mortis status, et dissolutionis corporis, etc. Quae tamen arbitramur etiam a Jobo fuisse perpensa, ut ex eo spem suam confirmaret de restitutione sua temporali, ab eo qui virtute sua mortuos ad vitam revocaturus erat.

IX. Esaiae Prophetae vaticinium cap. 26, 19. Vivent mortui tui, interfecti mei resurgent. etc. Item Ezechielis cap. 37, 1. et seqq. in quo agitur de campo ossibus pleno, iisque vehementer siccis, quibus dicebat Dominus, intromittam in vos Spiritum, et vivetis, et dabo super vos nervos, et succrescere faciam super vos carnes, etc. videtur quidem, si verba spectemus, mortuorum corporum describere resurrectionem, quam tamen plerique Interpretes non male figuratam intelligunt, de liberatione ex captivitate Babylonica, et pristini vigoris recuperatione. Facit nihilominus ad resurrectionis proprie sic dictae doctrinam confirmandam, quia si per similitudinem quandam haec dicantur, non solet similitudo desumi, vel ab impossibilibus, vel ab iis quae aut nun-

quam facta sunt, aut nunquam fient, sed a rebus magis notis, vel natura, vel fide per revelationem, ut hoc loco; ut sit argumentum tale, Si apud vos sit indubia fides resurrectionis mortuorum, in qua Deus pulverem cadaverum disjectorum colliget et aptabit, mortua, arida et exsucca ossa iterum componet et vivificabit: non dubitandum vobis est de promissione restitutionis populi Dei, quamvis exhausti viribus. Qui enim divina virtute sua, corpora in cinerem ac pulverem redacta, ad vitam aliquando revocare poterit, is etiam poterit exules, qui aridis ossibus non sunt absimiles, in patriam reducere, et pristinum libertatis vigorem ipsis restituere.

X. Sed expressum est Danielis testimonium cap. 12, 2. Multi de iis qui dormiunt in pulvere terrae, evigilabunt, alii in vitam aeternam, alii in ignominiam sempiternam. Nec existimandum est, prophetiam illam ad universalem resurrectionem non pertinere, quia de multis, non de omnibus, id promittitur. Nam 1. multi illi dormientes, pro omnibus dormientibus accipi possunt, qui tamen multi dicuntur comparate, ad eos qui vivi reperientur in die resurrectionis mortuorum. 2. potest vox multi, non ad subjecti determinationem referri, sed ad utrumque membrum distributionis in praedicato subjunctae, quasi diceret, multi ad vitam, multi ad mortem. Addimus, praeterea nomen illud collectivum aliquando universaliter et extensive pro omnibus in Scriptura accipi, ut Rom. 5. 19. ubi multi, hoc est, omnes qui sunt in Adamo, dicuntur constituti peccatores. Non posse autem hunc Danielis locum, ut Porphyrius detorquebat, ad statum Reipub. Israëlis post caesos Antiochi duces, aptari, constat: 1. Ex fine resurrectionis illius, vita vel ignominia sempiterna. 2. Ex eo quod de resurrectione loquitur, in qua piorum et impiorum erit exacta discretio, quae certe non fuit, post redditam Israëlitis pacem. 3. Doctores Ecclesiae Judaicae non coeperunt ab eo tempore fulgere ut firmamentum in aeternum, qui potius lege depravata et sensim imminuta, paulatim de gradu deciderunt. Adde quod genuinum hunc locum, in verbis Christi haberi, quibus Danielem videtur explicare, Joh. 5, 28. et 29. bene monuit August. de Civit. Dei, Lib. 20. cap. 23.

XI. Huc facit etiam Oseae vaticinium, Dominus vivificabit nos post duos dies, in tertia die suscitabit nos,

et vivemus in conspectu ejus, Os. 6, 2. Quod alludit ad resurrectionem Christi, et de Ecclesia dicitur, quia in Christo capite, etiam membra corporis ejus mystici, propter infallibilem resurrectionis promissionem, dicuntur conresuscitata esse cum Christo, Eph. 2, 6. Cui Oseae testimonio addi debet aliud ex c. 13, 14. De manu inferni redimam eos, a morte redimam eos, ero mors tua o mors, ero morsus tuus inferne. Quod vaticinium ad mortuorum resurrectionem refert Apostolus 1 Cor. 15, 54. Cum corruptibile hoc induerit ἀφθαρσίαν, et mortale hoc induerit ἀθανασίαν, tunc fiet sermo qui scriptus est, Ubi est o mors stimulus tuus? etc.

XII. In Novo Testamento res adeo est perspicua, et obvia, ut si quis velit omnia colligere testimonia, justo volumine sit opus. Pauca, sed illustria haec, ex pluribus seligimus, praeter ea quae jam supra illata sunt, et conjuncta testimoniis Veteris Testamenti, ex quibus sua Christus deprompsit. 1 ex cap. 12. Matt. vers. 40. et 41. ubi de Ninivitis dicitur quod ἀναστήσονται, surgent, in judicio cum generatione illa, etc. et Regina Austri, quod ἐγερθήσεται, etc. Ex quo resurrecturos sequitur, cum in pulverem redacta essent illorum corpora de quibus loquebatur. 2. Luc. 14, 12. expressam mentionem facit Christus resurrectionis justorum. 3. Joh. 6, 39. 40. 44. et 54. pollicetur, se in novissimo die resuscitaturum, omne quod dedit ei Pater, omnes qui vident Filium et credunt in eum, quemcunque Pater trahit, et qui manducat carnem ejus, et bibit sanguinem.

XIII. Apostolorum praedicationes et scripta idem mysterium saepius inculcant. Itaque Act. 4, 2. Sadducaei moleste ferebant, quod Apostoli in nomine Jesu annunciarent resurrectionem ex mortuis, Act. 4, 2. Paulus Jesum et resurrectionem Atheniensibus annunciabat, Act. 17, 18. qui de corporum resurrectione, ut par erat, intellexerunt Apostoli verba, non irrisuri omnino, ait Tertull. si animae solius restitutionem ab eo audivissent: suscepissent enim vernaculae suae Philosophiae frequentiorem praesumptionem. De resurr. carnis c. 39. Idem Paulus exclamabat, Act. 23, 6. de spe et resurrectione mortuorum ego judicor. Et Act. 24, 15. profitebatur coram Felice praeside, se exspectare resurrectionem futuram justorum et iniquorum.

XIV. Sed cap. 15. 1 Epist. ad Cor. idem Apostolus hunc articulum ex professo tractavit, et quia de eo tum movebatur controversia, pluribus argumentis confirmavit, ut non solum τοὺς ἀντιλέγοντας redargueret, sed etiam ut eos qui jam crediderant adversus omnia Sophismata muniret: quorum primum deduxit, a resurrectione Christi, 2. a fine redemptionis per Christum factae, 3. ut aliqui volunt, a veteris Ecclesiae ritu, quo Baptismum super sepulcris, ad testandam resurrectionis suae fidem, suscipiebant; vel ut potius existimamus, a Baptismo afflictionum et calamitatum, quas pii subibant pro doctrina de resurrectione Christi ex mortuis, et aliorum qui in Christo obdormierant, resurrectione ad salutem, qui Baptismus sanguinis dicitur: quam interpretationem videtur confirmare, quod Act. 23, 6. persecutiones suas ob justitiam, ad spem resurrectionis mortuorum referebat; deinde quod immediate, postquam egit de iis qui pro mortuis baptizantur, illud sibi applicat proprie, quod de aliis figurate dixerat, et cur nos periclitamur omni momento? nempe baptizati sanguinis baptismo; cur in dies morior, si nulla sit spes resurrectionis? Addit argumenta a variis absurdis quae negationem resurrectionis consequuntur; ab oppositione Adami et Christi, a Christi victoria de omnibus hostibus, inter quos ultimus est mors, reportata. Ex quibus omnibus sequitur evidentissime, id quod idem docet 2 Cor. 1, 9. confidendum ἐπὶ τῷ θεῷ τῷ ἐγείροντι τοὺς νεκρούς.

XV. Cum ex dictis de voluntate Dei satis constet, non est quod virtutem Dei in dubium revocemus, apud quem nihil est impossibile, nisi quod non vult, Luc. 1, 37. qui ut habet ἄφθαρτον οὐσίαν, ita ἀνεμπόδιστον τὴν ἐνέργειαν, qui potest superabundanter plus praestare quam petimus aut intelligimus, Eph. 3, 20. qui σύνδρομον ἔχει τῇ βουλήσει τὴν δύναμιν. Ergo lex constituta moriendi, legem non adimit resurgendi, quia decernenti legem lex non affert necessitatem. Neque Deus sibi jus vivificandi ademit, legem nobis decernendo moriendi, ut bene Hilarius, in Ps. 51. Mortalia igitur nostra corpora Deus faciet immortalia resuscitans illa: est enim melior quam Natura, habens apud semetipsum velle, quoniam bonus est; et posse, quoniam potens

est; et perficere, quoniam dives et perfectus est. Irenaeus, Lib. 2. cap. 51.

XVI. Substratis hisce duobus voluntatis et potentiae divinae fundamentis, sufficienter responsum est ad quaestionem: An sit futura mortuorum resurrectio. Nunc quid sit, videndum, et ejus natura explicanda. Hic igitur resurrectionem describimus, Actionem Dei Patris, Filii et Spiritus Sancti, qua omnipotenti sua virtute, ad tubam Archangeli in fine seculorum, omnium hominum tam piorum quam impiorum corpora etiam in pulverem redacta, restituet, iisdem animabus a quibus per mortem separata fuerant, conjungenda, et ab eis informanda, ad durationem nunquam finiendam, ut impii quidem aeternas scelerum suorum poenas luant, pii vero aeterna beatitudine donati eadem in aeternum perfruantur.

XVII. Ex hac descriptione intelligimus, efficientem Resurrectionis causam esse Deum Patrem, Qui suscitavit Jesum a mortuis, resuscitabit etiam mortalia corpora vestra, Rom. 8, 11. Deus et Dominum suscitavit, et nos suscitabit per virtutem suam, 1 Cor. 6, 14. et 2 Cor. 4, 14. Cum autem opera Trinitatis ad extra sint indivisa, Filium et Spiritum Sanctum in eodem illo opere cum Patre operari sequitur. Sed expresse tribuitur etiam activa Resurrectio Filio, Joh. 5, 28. Qui in monumentis sunt, audient vocem filii hominis, et procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitae, qui autem mala egerunt, in resurrectionem judicii, Joh. 6, 39. 40. 44. 54. Ego resuscitabo eum in novissimo die, Joh. 11, 25. Ego sum resurrectio et vita. Quod tamen non ita intelligendum est, quasi Christi humanitati, vis resuscitandi mortuos communicata fuerit, quae virtus plane divina est, sed ita tribuitur personae, ut necessario sit distinguendum ejus principium: contra quam nonnulli faciunt, in eo litem nobis moventes, ac si cum Nestorio Christum separaremus, quod non faciunt qui Christum in utriusque naturae communione agnoscunt, agere quod suum est, verbo operante quod verbi est, et carne exsequente, quod carnis est. Haec qui non distinguunt, dum Nestorii Scyllam

evitare sibi videntur, in Charybdim Eutychianismi incidunt.

XVIII. Agnoscimus tamen, ut in praeludiis universalis resurrectionis, hoc est, in particularibus Lazari et filii viduae Naim exemplis, etiam in generali resurrectione administraturum illud opus, humana natura operante in persona quod suum est, dato nempe signo aliquo evidenti et manifesto, adventus sui ad judicium, per quod velut instrumentum quoddam divinae virtutis, excitandi sint mortui; quodque ad eum affectum ita valebit instrumentaliter, sicut voces illae, Lazare veni foras, Adolescens tibi dico, surge, etc. et similes, instrumentaliter valuerunt ad mortuos suscitandos. Hoc signum Scriptura vocat, vocem filii hominis, Joh. 5. 28. Vocem magnam, Matt. 24, 31. et clamorem media nocte futurum, Matt. 25. 6. Tubam, Matt. 24, 31. et tubam novissimam, 1 Cor. 15, 52. quamvis postremum illud Christo tantum mediate tribuatur.

XIX. Eundem Christum quatenus est Redemptor et Mediator noster, per mortem et passionem suam, omnibus membris suis resurrectionem et immortalitatem meruisse non dubitamus: esse praeterea sua resurrectione, resurrectionis nostrae causam exemplarem; ipse enim est primitiae dormientium, 1 Cor. 15, 20. primogenitus mortuorum, Apoc. 1, 5. Col. 1, 18. Unde Apostolus inter alia futurae nostrae resurrectionis argumenta, 1 Cor. 15, 23. ex resurrectione Christi tamquam exemplari colligit omnium Christi fidelium futuram resurrectionem, quia primitiae Christus, deinde et ii qui sunt Christi. Membra enim a capite non sunt separanda, et incommodum inconveniensque admodum foret, sub capite vivo, reliquum corpus manere mortuum. Consentaneum est enim, ut quo praecessit gloria capitis, eo spes vocetur et corporis, Leo 1. Serm. 1. de Ascen. Dom.

XX. Has duas in Christo resurrectionem causandi rationes, merito et exemplo, contra quam nonnulli sentiunt, in solis electis, veris Christi membris, locum habere existimamus: quia etsi impii omnes sint resurrecturi, ut postea probabimus, non tamen id videtur efficiendum ex vi meriti Christi, quia si Christus non venisset, ex prima ordinatione divina, homines qui per peccatum morti subjacebant, resurrexissent aliquando, accepturi supplicia pro meritis peccatorum; non in anima tantum,

sed etiam in corpore. Unde consequitur, quod nec electis quidem Christus meruit resurrectionem simpliciter, sed resurrectionem talem, id est, beatam et gloriosam: sic enim in illis effectum assimilatur causae suae exemplari. At reprobi similes Christo non erunt, nisi generali quadam ratione, quae huic proposito non sufficit. Inde est, quod Apostolus solis Praedestinatis id competere docet, ut fiant conformes imagini Filii Dei et sit ipse primogenitus in multis fratribus, Rom. 8, 29.

XXI. Spiritum Sanctum eadem vi qua Pater et Filius resuscitaturum mortuos, negari non potest, nisi a Pneumatomachis, et Macedonii fautoribus. Nam cum Patri et Filio ὁμοούσιος, ei etiam communes sunt operationes in rebus externis. Sed praeterea, id satis testatur Apostolus, Rom. 8, 11. Si Spiritus ejus qui suscitavit Jesum a mortuis, habitat in vobis, is qui suscitavit Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis. Qui tamen locus facit tantum ad suscitationem gloriosam fidelium, in quibus solis habitat Spiritus. Nihilominus in iis in quibus non habitat, eatenus etiam exeret vim suam, ut in illis etiam operetur iteratam animae et corporis unionem, et ultimam materiae ad illam dispositionem.

XXII. Hic effectus tribus personis communis, nullius causae naturalis virtute, sed sola potentia divina perfici potest. Nulla enim causa naturalis potest reproducere idem numero; et a privatione ad habitum naturaliter non datur regressus, qualis a morte ad resurrectionem est necessarius. Erit itaque supernaturalis resurrectio ex parte principii, etsi terminus illius absolute consideratus, nempe esse hominis, sit quiddam naturale; non tamen si consideretur cum relatione et habitudine ad terminum a quo, scilicet, ut est esse hominis post mortem. Ideo non sunt audiendi quidam Scholastici, qui existimant, aliquando, licet non semper, idem numero semel corruptum reproduci. Cum enim individuum accipiat esse per motum, et per actionem agentis naturalis, et fieri non possit ut redeat idem motus, eademque actio, fieri quoque haud poterit, ut virtute agentis naturalis, idem numero corruptum reproducatur. Unde sequitur, nullam causam naturalem cum Deo ad mortu-

orum resurrectionem concurrere, et totum fieri a Deo per miraculum.

XXIII. Commode itaque accipiendum est, quod de Angelis resurrectionis instrumentis et ministris, vulgo dicitur. Nam si resurrectio stricte, praecise, et, ut ita dicamus, formaliter, accipiatur, est opus Dei immediatum, quod a nulla proprie instrumentali causa quae vere in effectum influat, procedit; nempe si consideremus corporum ex terrae pulvere formationem, et eorum cum animabus unitionem. Sed si nomine resurrectionis veniant antecedanea et praevia nonnulla, aut actiones resurrectionem proxime antecedentes aut consequentes, et sumatur resurrectionis nomen pro toto complexu eorum omnium, quae ante et post resurrectionem contingent; non repugnamus quin Angeli agnoscantur pro resurrectionis Ministris, et instrumentalibus causis, quia illi etiam suas partes, in illo extremo die sunt habituri, a quatuor ventis et omnibus mundi plagis electos cogentes, a coelorum extremo ad eorum extremum, Matt. 24, 31. Quicquid autem in ea re fit ab Angelis aut aliis creaturis, ne quidem excepta Christi humana natura, si illam spectemus in se et ratione principii formalis, ut loquuntur, fiet tamquam a causa seu instrumento morali, ut vocant, non tamquam a causa propria et immediate effectum attingente: si praecise, ut dictum est, resurrectionis nomen accipiamus.

XXIV. Adhuc de causa efficiente. Jam de materia, quae nonnullis Subjectum quo dicitur, agendum est. Ea autem est proprie caro, seu corpus hominis, quia resurrectio fit secundum corpus, non proprie secundum animam. Neque enim anima hominis interit, utpote immortalis; et cum corpus terrae redditur, Spiritus revertitur ad Deum, qui dedit illum, Eccles. 12, 7. Ideo Dominus negat, eos animam posse occidere, qui in corpus saevire possunt, Matt. 10, 18. Ex quibus et similibus locis refellitur eorum haeresis, qui vel aperte dicunt animas una cum corporibus interire; vel, qui mori dicunt esse penitus exstingui, et resurgere, ex non ente iterum existere, qualia iu Socinianorum scriptis hodie reperiuntur. Anima ergo separata manet immortalis, nec somno indulget, omni beatitudine destituta, aut ab omni prorsus poena libera; sed pro varia hominum conditione, aut in beatorum

sedibus immediate post mortem suscipitur, ubi in gaudio exspectat corporis sui restitutionem; aut poenis infernalibus torquetur, donec per resurrectionem corpus ei reddatur, in poenae participationem.

XXV. Corpus autem resurrecturum dicimus, numero et substantia idem, ut ex Scripturae locis supra citatis satis liquet. Oportet enim hoc ipsum corruptibile, τὸ φθαρτὸν τοῦτο, induere ἀφθαρσίαν, et hoc mortale, τὸ θνητὸν τοῦτο, induere ἀθανασίαν, 1 Cor. 15, 53. et Philip. 3, 21. Christus transfigurabit hoc ipsum corpus humile, τὸ σῶμα τῆς ταπεινώσεως, etc. Ideo etiam fiet resurrectio, ut ἕκαστος τὰ διὰ τοῦ σώματος, unusquisque reportet in corpore, vel (ut legit editio Complutensis, 2 Cor. 5, 10) ἴδια τοῦ σώματος, propria corporis, congruenter ad id quod fecit, vel bonum vel malum, quod fieri non debuit in alio corpore, quam in eo per quod bona vel mala quisque patravit. Christus etiam qui exemplar est resurrectionis nostrae, non in alio corpore resurrexit, quam in eo in quo cruci fuerat affixus, et in quo etiam post mortem apparebant clavorum vestigia, Conformia autem reddentur corpora nostra corpori Christi glorioso, Phil. 3, 21.

XXVI. Id etiam requirit justitia Dei, ut in ipso corpore in quo quis obedivit Deo, vel peccavit, praemiis donetur, vel poenis afficiatur; nec aliud certet, aliud coronetur; aliud peccet, aliud plectatur. Haec potius series est et causa justitiae (ut bene Ambros. Sermon. de fide et resurrectione c. 19.) ut quoniam corporis animique communis est actus, quae animus cogitavit, corpus effecit, utrumque in judicium veniat, utrumque aut poenae dedatur, aut gloriae reservetur. Nec conveniret, si corpora, quae in via facta fuerunt membra Christi, a patria, aliis suffectis in eorum locum, arcerentur. Resurrectio item non esset vere resurrectio, sed potius nova creatio: nec eadem esset conditio ante mortuorum, et eorum quos ultimus dies vivos deprehendet. Hi enim in transmutatione illa non sunt ratione substantiae alia corpora sortituri. Adde quod mors in Scripturis, somnus et dormitio appellatur, resurrectio autem evigilatio, ut ejusdem numero corporis resurrectionem intelligamus. Resurget ergo caro, et quidem omnis, et quidem ipsa, et quidem integra. Tertullianus, de Resurrectione carnis, cap. 63.

XXVII. Quibus rite perpensis sequitur, perniciosum esse illorum errorem, qui vel olim negarunt, vel etiam hoc tempore negant, resurrectionem eorundem numero corporum, quibus hoc seculo vestimur, quam potius censuerunt aut etiamnum censent, fieri debere in corporibus aereis vel aere subtilioribus, non autem constantibus carne et membris. Quem errorem Origeni olim tribuerunt nonnulli, etsi alii absolvere et purgare eum ab omni circa resurrectionem errore conati sint. Quicquid sit, in eo plerosque Anabaptistas versari hoc tempore certum est, et Socinum cum asseclis negare resurrectionem hujus carnis, qui propterea in dubium revocant verba illa Symboli, credo carnis resurrectionem, quae dicunt non esse tantae auctoritatis, ut contra Scripturae testimonia ipsis credi debeat. Sed ostendimus eadem in Scriptura perspicue contineri. Est autem obiter notandum, errorem irrepsisse in editione Epistolarum Calvini in fol. anno 1576, pag. 84. ubi Epist. falso inscripta Farellus Calvino, non solum imposuit Feuardentio, qui eo nomine Calvinum petulanter insectatur, sed etiam Cl. Vossio qui in thesibus suis de resurrectione, existimavit Epistolam illam esse Farelli, Calvinum super ea re instituentis, cum manifeste sit Calvini ad Coelium Socinum, qui litem eam moverat, et qui eo nomine a Calvino doctissime refellitur.

XXVIII. Falsum est quod dicunt, Corpora haec quae circumferimus, non resurrectura, sed alia nobis danda esse, ab Apostolo nos edoceri. Nam quod Paulus dicit 1 Cor. 15, 50. Carnem et sanguinem non possessura regnum Dei, non ita accipi debet, quasi corpora resuscitata carne et sanguine sint caritura, quia, ut apposite Tertul. Lib. de carnis resurrect. Caro et sanguis nomine culpae, non substantiae nomine, arcentur a regno Dei. Et ratione corruptionis, non ratione naturae, quod ex sequentibus patet, Neque corruptio incorruptelam possidebit. At carnem et sanguinem sine corruptione esse posse, ex eo clarum est, quod Sanctus Dei qui carnem et ossa habuit post resurrectionem, non tamen habuit corpus mortale et corruptibile, quale fuit Adami post lapsum, et quale gestamus in hac vita, sed immortale, et incorruptibile, imo etiam spirituale non conversum in spiritum, sed ad distinctionem corporis animalis quod debet alimentis sustentari; spirituale ergo, quia nullo ei opus erit àlimento,

sed ei ad vitam praesentia spiritus sufficiet, tum etiam propter alias qualitates et dotes corporis gloriosi.

XXIX. Nec minus erronea est opinio Durandi a S. Portiano, existimantis ad resurrectionem ejusdem hominis sufficere identitatem formae in quacunque materia, quia ex identitate formae consequi dicit identitatem materiae, cum materia nullam habeat per se actualitatem, sed esse suum accipiat a forma. Itaque licet anima Petri resumeret corpus quod fuerat Pauli, et contra, nihilominus idem Petrus resurgeret, idemque Paulus, quia ab eadem anima corpus sortitur, ut sit idem, in 4. sent. dist. 44. q. 3. quam sententiam Alberius in orat. de resurrect. interpolavit, ubi dispurat, ex quatuor elementis tamquam ex nova materia hominis conflatos resurrecturos, ut sit identitas non in materia sed in forma, etc. Falsum est enim, identitatem numericam hominis contineri sola identitate animae, et identitate primae materiae nudae, quia ad identitatem illam, necessaria est eadem anima, idem corpus humanum, et eaedem carnes et ossa, quae etiam requirit easdem dispositiones materiae primae ad animam, per quas habeat peculiarem dispositionem erga hanc animam, informantem hoc corpus, atque adeo reddatur materia haec secunda et designata huic formae.

XXX. Nisi enim producerentur ultimae illae dispositiones atque adeo idem corpus, non esset idem homo, quoniam hic homo substantialiter constat ex hac anima, et ex hoc etiam corpore, et his carnibus et ossibus, quae non consistunt sine his ultimis dispositionibus, alias in migratione animarum ex aliis corporibus, in alia, quam fingebant Philosophi Pythagorici, et quae apud Judaeos etiam credita fuit, contigisset vera resurrectio eorundem hominum, cum in illa μετεμψυχώσει superesset eadem anima hominis antea mortui, et eadem ubique esset materia prima, quorumcunque corporum. Et certe si identitas animae requiratur ad identitatem hominis, eadem ratione requiritur identitas corporis, cum non sola anima constet homo, sed anima corpori unita.

XXXI. Et haec de subjecto quo, ut loquuntur. Sequitur, ut dicamus de subjecto quod, id est, de iis qui sunt resurrecturi. Omnes homines in universum dies ultimus, aut adhuc viventes, aut mortuos comperiet. De iis qui vivi reperientur, quaeri po-

test, an sint resurrecturi, cum non ceciderint. Nam cum Christus dicatur judex vivorum et mortuorum constitutus a Deo, Act. 10, 42. si omnes vere morerentur, distinctio videretur inutilis. Quam certe innuere talem videtur Apostolus 1 Cor. 15, 51. et 1 Thess. 4. quod (ut loquitur Tertull. de resur. carn. c. 41.) compendio mortis per demutationem exstinctae, qui tunc reperiuntur vivi, non morituri, sed mortalitate exuendi, et immortalitate induendi ἐν ἀτόμῳ, ἐν ῥιπῇ ὀφθαλμοῦ, cum resurgentibus sunt concursuri. Quamvis enim locus Apostoli ex 1 ad Cor. 15. quo id maxime probatur, varie legatur in codicibus Graecis et Latinis; collatio tamen alterius ex 1 Thess. 4. vix patitur, ut aliter accipiatur, quam a Graecis acceptus fuit, quibus etiam verbis maxime competit, quod praefatur Apostolus, Ecce mysterium vobis dico. Cui non conveniret illativus sermo, πάντες μὲν οὖν κοιμηθησόμεθα, Omnes quidem igitur dormiemus, mutato οὐ in οὖν. Quae lectio merito suspecta est Guliel. Estio Profess. Duaceno, scribenti in hunc locum.

XXXII. Verior ergo videtur usitata Graecorum lectio, πάντες μὲν οὐ κοιμηθησόμεθα, πάντες δὲ ἀλλαγησόμεθα, nequicquam refragantibus Catharino et Stapletono, qui corruptum esse locum contendunt, cui etiam postremus ille impium affingit sensum. At nequaquam, inquit Estius, improbabilis est Graecorum codicum lectio, imo vero multis modis probabilis: tantum abest, ut temeritatis et proterviae sit accusandus, qui eam sequatur aut probet, quemadmodum accusat in suo commentario Catharinus, ipse potius inconsiderati in ea re judicii condemnandus. Ex hac autem lectione, Graeci omnes quos habemus veteres, eruunt, non omnes homines esse morituros, proinde non proprie resurrecturos: cui etiam sententiae ex Latinis nonnulli, ut Tertullianus, de carnis resurrect. cap. 41. et 42. Hieron. Epist. ad Marcellam, faverunt. In qua nihil esse periculi fatetur Estius. Augustinus, ut solet, in rebus de quibus non plane constat, modeste, aut enim, inquit, non morientur, aut de vita istâ in mortem, et de morte in aeternam vitam celerrima commutatione, tamquam in ictu oculi transeundo mortem non sentient. Lib. 2. Retract. c. 33. Auctor libri de Eccles. dogmat. c. 7. Quia sunt alii

aeque Catholici et eruditi viri, qui credunt, anima in corpore manente immutandos ad incorruptionem et immortalitatem eos, qui in adventu Domini vivi invenientur, et hoc eis reputari pro resurrectione ex mortuis, quod mortalitatem immutatione deponant, non morte: quolibet quis acquiescat modo, non est haereticus.

XXXIII. Nos etiam existimamus neutram sententiam esse damnandam, in iis qui communiter tenent, in Ecclesiae lege sufficere, carnis resurrectionem credere futuram de morte. Quam de omnibus omnino mortuis, tam bonis quam malis affirmamus, nemine excepto. Ad hoc enim futura est resurrectio, ut judicentur omnes, et recipiat quisque propria corporis, seu bonum seu malum, 2 Cor. 5, 10. Cum ergo judicium et retributio sit omnium, erit et omnium resurrectio. Sic Joh. 5, 28. fit distributio omnium qui in monumentis sunt et resurrecturi sunt, in eos qui bona et mala egerunt; et Act. 24, 15. Spem habemus quam et hi exspectant, resurrectionem futuram justorum et injustorum. Qui locus ostendit, Pauli tempore etiam Judaeos, quamvis in Christum non credentes, dogma tamen de resurrectione tam justorum quam iniquorum pro vero et indubitato habuisse, contra quam sentiunt hodierni Judaei, qui pro antiqua habent traditione, pios tantum resuscitatum iri, impios autem prorsus exspirare et aeternis tenebris obrui; ut nunquam redeant in vitam, ut refert Buxtorf. Synag. Judaic. cap. 1. Hujus erroris in recentioribus Judaeorum scriptis, non pauca reperiuntur indicia, etsi non ita inter se conspirent, ut omnes unum dicant.

XXXIV. Ambigue loquuntur etiam de impiorum resurrectione Socini asseclae, qui sacris literis ascribendum esse dicunt, potius quam suae sententiae, si quis colligat impios aeternum non victuros, ex eo quod solos pios victuros in aeternum, petitum est ex penetralibus sacrarum Scripturarum, quae sola vitae promissione solantur fideles. Smalcius pag. 409. refut. Thes. Frantzii, qui etiam pag. 415. Impios futuros immortales, nempe in aeternum opprobrium, nec usquam sacras literas comprobare, nec quicquam ex illis

afferri posse videri dicit, unde sententia illa probari possit. Dixerat antea, se et suos nunquam eam rem aperte proposuisse. Nempe, ut alibi loquuntur, interdum possunt quaedam dici, quae hanc sententiam hominibus indicent, donec tandem aetas maturescat et homines hisce loquendi modis assuescant. Sed quicquid illi de re sentiant aut verbis indicent, certum est, sententiam, quae impiorum resurrectionem et perpetuam eorum durationem negat, eadem opera tollere ignem aeternum praeparatum Diabolo et Angelis ejus, Matt. 25, 41. et 45. ignem inexstinguibilem, Matt. 3, 12. vermem impiorum qui non morietur, Marc. 9, 43. Non possunt enim aeterno supplicio affici, qui non sunt in aeternum duraturi.

XXXV. Ad ea quae contra afferuntur, in genere notandum est, quod quemadmodum vitae nomen, licet ad quamcunque vitam bonam vel malam sit indifferens, vel ad beatam et miseram, aliquando tamen ita accipitur restricte, ut vitam commodam, beatam et optabilem significet, ut cum poeta dicit non est vivere, sed valere vita, quomodo etiam in Symbolo dicimus nos vitam aeternam credere: sic resurrectio apud auctores sacros saepe tantum in bono intelligitur, ut eam significet, qua resurgitur ad beatam vitam. Praeterea, resurrectio de vita ea proprie dicitur, qua mors revera superatur, succedente nimirum vita, quae morte sit optabilior. Qualis cum non sit impiorum resurrectio, quorum animae ad hoc recipient sua corpora, ut gravius puniantur, et quibus melius esset, non resurgere, quam ad talem statum resurgere: hinc fit, ut Scriptura sic de impiis loquatur, quasi non sint unquam revocandi ad vitam, qua beata et optabilis vita intelligitur. Ergo vitae aeternae appellatio ita consideranda est, ut accipiatur primo, de vita secundum essentiam creaturae viventis in se, 2. secundum affectionem creaturae viventis ad principium aeternum vitae, hoc est, Deum; qui propterea in Scripturis appellatur vita aeterna. Secundum vitam illam essentialem, vivent impii in aeternum; secundum alterum modum, soli pii in Christo Jesu sunt victuri.

XXXVI. Quaestiones de infantibus in utero matrum extinctis, de foetibus abortivis, de monstris, et similibus, solvi possunt commode, posita hypothesi de animatione. Nam aut corpora

vere fuerunt animata, anima humana; aut animata non fuerunt. Si primum, eis etiam competit resurrectio; si minus, talia merito excluduntur a resurrectione, quae hominis definitionem non sortiuntur. Cum Augustino tamen sentimus, ita resurrectura quae vitiata sunt, ut corrigatur et emendetur natura. Et omnia quae singuli quique partus, vel amplius, vel minus aliquid, habendo, vel quadam nimia deformitate monstra dicuntur, ad humanae naturae figuram esse per resurrectionem revocanda. Enchirid. ad Laurent. cap. 37.

XXXVII. Cum eodem non dubitamus asserere, futurum in resurrectione sexuum descrimen. Quod recte colligitur ex eo quod Christus interrogatus, cujus septem fratrum futura esset uxor, quam singuli habuerant, non negavit in resurrectione futuras feminas, quae compendiosa fuisset responsio, si fuisset vera; sed nuptias tantum esse futuras, negavit. Imo etiam sexum muliebrem futurum esse firmavit, dicendo, non nubent, quod ad feminas pertinet, neque uxores ducent, quod ad viros. Futuras ergo quae hic nubere solent, etiam futuros qui uxores hic ducere solent, sed hoc ibi non facturos, De Civit. Dei, Lib. 22. cap. 17. Id sequitur etiam ex eo quod idem numero corpus, ut supra probatum fuit, resurgere debet, quod non fieret, nisi haberet easdem conditiones individuantes, inter quas non minime est sexus determinatus. Cui addi potest, quod in resurrectione, non individua natura, nec perfectio aut integritas specierum, sed vitia duntaxat naturae sint abolenda: inter quae non est ponenda sexuum distinctio.

XXXVIII. Quaeritur etiam de omni corporum deformitate, ex defectu vel membri convenientis, vel congruae quantitatis, vel accessione membri disconvenientis, vel inconcinno membrorum situ, an haec omnia sint corrigenda? Quae quaestiones, ut ea quae ad hominum staturam pertinet, cum in Sacra Scriptura expressam non habeant solutionem, probabilibus tantum conjecturis resolvuntur, quas alii alias afferunt; proinde non putamus posse aliquid certi de illis definiri, tantum id existimamus verum, ablaturum esse Deum a glorificatis corporibus cujuscunque sexus aut staturae, quicquid deformitatem aliquam ipsis affingeret. Ad impios vero quod attinet, Non debet nos fatigare incerta habitudo eorum, quorum certa et sempiterna erit damnatio, August. Enchir. cap. 92.

XXXIX. Forma resurrectionis duplex considerari potest, interna, vel externa: illa rursus alia, ratione eorum qui proprie sunt resurrecturi; alia, ratione eorum qui sunt immutandi; quae utraque ex iis quae dicta sunt, satis potest intelligi; priorum nempe resurrectionis formam, consistere in corporum e terrae pulvere reformatione, et animarum cum resuscitatis corporibus iterata unione indissolubili; qua ratione differt ultima resurrectio a singulari illa Lazari et similium. Respectu autem vivorum, diximus supra, actionem virtutis Dei circa illos, versaturam in momentanea et subitanea eorum immutatione, qua non ipsa corporum substantia in illis abolebitur, sed qualitas mutabitur; ac quod corruptioni et morti est obnoxium, naturam induet incorruptibilem et immortalem: quae ἀλλαγὴ sive mutatio, tum mortis, tum resurrectionis loco ipsis erit, 1 Cor. 15, 51. et 52. 1 Thess. 4, 15. et 17.

XL. Externa resurrectionis forma, consistet in illo modo atque ordine quem Christus est observaturus, quod ex improviso, in forma visibili, qua in coelum ascendit, in nubibus est appariturus, et supra solium majestatis suae sessurus; Angelos tamquam ministros et apparitores qui tuba canent, habiturus, potenti et efficaci voce sua sonum editurus, eadem omnes dormientes in pulvere, excitaturus, et ut coram tribunali suo sistantur, effecturus; vivos etiam immutatos, una cum aliis coram se adducturus; utrosque in duas classes divisos, ad sententiam de qua in judicii descriptione agendum erit, divisurus. Quae omnia colliguntur ex Matt. 13, 41. 24, 30. 25, 31. Joh. 5, 28. et 29. 1 Cor. 15, 51. 1 Thess. 4, 15. 16. 17. etc.

XLI. Finis resurrectionis principalis et ultimus, est gloria Dei, qui operatur omnia propter se ipsum, Prov. 16, 4. quemadmodum initio omnia condidit propter gloriam suam. Ad quem etiam pertinet Christi Mediatoris peculiaris gloria in resurrectionis opere conspicienda. Hominum vero resuscitandorum respectu, finis communis est στάσις coram tribunali Christi ad judicis sententiam audiendam. Respectu autem credentium, proprius finis est, aeterna gloria, tamquam praemium ex gratuita misericordia ipsis conferendum. Respectu vero incredulorum et impiorum, aeterna ignominia tamquam supplicium, justa Dei vindicta ipsis inferendum, Daniel. 12, 2. Joh. 5, 28. 29. Judae v. 15. 2 Thess. 1, 6. 7.

XLII. Usus hujus doctrinae mutiplex est. Primo enim articulus fidei maxime necessarius mentibus nostris inculcatur, ut eis perpetuo adhaereat: et habemus quo adversus quosvis hostes, alacriores et constantiores in assertione tanti dogmatis nos exhibeamus. Sed praeter usum theoreticum, tam ratione nostri quam aliorum, practicus ille maxime conducet, si promissione futurae vitae excitati, quaevis praesentis vitae adversa, adeoque ipsam etiam mortem, vel ordinariam; vel etiam, si opus sit, ob confessionem veritatis illatam, forti animo contemnamus, ut ad ejus vitae pericula et supplicia velut caeci efficiamur; dolorem ex amicorum obitu conceptum leniamus, 1 Thess. 4, 13. et corpora nostra ad immortalitatem suo tempore suscitanda, exhibeamus arma justitiae Deo, atque ita resurgat in resurrectione prima, qui non vult in secunda resurrectione damnari, August. Lib. 20. De Civit. Dei cap. 6.

XLIII. Ex hac etiam doctrina, ad moderatam et honestam defunctorum corporum curam, in spem resurrectionis dormientium, excitari debemus, quod ab iis olim factum est, qui fidem suam de promissionibus divinis, hoc ritu sepulturae testari voluerunt; locum etiam sibi deligentes, quo id aliis suo tempore innotesceret. Cum autem Christus et Apostolus Paulus, corpora pie defunctorum, ad confirmandam spem resurrectionis, granis in terram conjectis comparaverint; indicarunt, ea studiose esse terrae mandanda, Joh. 12, 24. 1 ad Cor. 15, 37. Qua in re, ut contemptus illorum detestandus est, qui patiuntur corpora defunctorum jacere insepulta (nisi id de quibusdam fiat ex justa auctoritate publica) ita rejicimus omnem superstitionem, qualis est multiplex apud Pontificios in cura pro mortuis; luxum immoderatum atque inutilem, qualis in exsequiis sumptuose apparandis a plerisque ambitiose nimis adhibetur; stolidum censentes, quod luctum in luxum convertunt, et humanam miseriam ambitioso apparatu velut ludificantur.

XLIV. Interea, si piis accidat impiorum tyrannide, ut vel sepulcris inferri eorum corpora prohibeantur, vel jam illata eruantur, quod saepe fit in Papatu, ut olim Donatistae conjuratione quadam facta, non permittebant sepeliri corpora Catholicorum, sed ut terrerent vivos, male tractabant mortuos, negantes funeribus locum, apud Optatum contra Parmen. Lib. 6. subveniat illud Ps. 34, 21.

Custodit Dominus omnia ossa piorum; et quod dicitur Apoc. 20, 13. Mare et mors aliquando reddent mortuos suos. Cui jungatur illud Augustini, Multorum corpora Christianorum terra non texit, sed nullum eorum quisquam a coelo et terra separavit, quam totam implet praesentia sui, qui novit unde resuscitet quod creavit, De Civitat. Dei, Lib. 1. cap. 12.

DE EXTREMO JUDICIO.

XLV. In fundamentis Christianae doctrinae apud Apostolum, Ebr. 6, 2. haec duo conjunguntur, Resurrectio mortuorum et Judicium aeternum. Et inter cetera resurrectionis argumenta, non minimum fuit desumptum a Dei justitia, quae requirit, ut omnes sistantur coram tribunali Christi, et reportet unusquisque in corpore convenienter ad id quod fecerit, sive bonum sive malum, 1 Cor. 5, 10. De illo igitur judicio consequenter nobis est dicendum, sed paucis, quia plerasque ejus circumstantias, in conjuncta de resurrectione materia, attigimus. Judicium autem intelligimus, non particulare, quod in hac vita vel in morte cujusque hominis exercet Deus, quod antecedens, partiale et occultum dici potest: sed universale, finale, totale, aeternum et manifestum, quod in die novissimo post universalem resurrectionem instituetur, quod Judas v. 6. vocat κρίσιν μεγάλης ἡμέρας, Petrus 2. ep. c. 3. v. 12. ἡμέραν τοῦ Θεοῦ, Paulus Rom. 2, 5. respectu reproborum ἡμέραν ὀργῆς, et Eph. 4, 30. ἡμέραν ἀπολυτρώσεως, respectu piorum, ut Act. 3, 20. dicitur tempus ἀναψύξεως, et vers. 21. ἀποκαταστάσεως πάντων.

XLVI. Hujus diei et judicii confusum aliquem sensum in Ethnicis fuisse, deprehendimus; vel quia divinam justitiam tale judicium requirere prudenter collegerunt; vel quia ex dictamine honestorum et turpium menti humanae divinitus insito, et ex propriae conscientiae testimonio convicti fuerunt, bonis bene, et malis male aliquando futurum; aut etiam, quia aliquid de Ecclesiae doctrina ad eorum aures pervenit: quam tamen notitiam multis fabulis obscurarunt et contaminarunt. Proinde mysterium illud, potest dici natura ignotum, fide credendum, quatenus nobis in verbo revelatur, ubi manifestissime de ejus

existentia futura, causis omnibus, circumstantiis et fructibus, quaecumque scitu digna sunt, explicantur. De existentia, innumera pene sunt in utroque testamento testimonia, sed duo imprimis illustria, Act. 27, 31. Diem statuit Deus quo judicaturus est orbem terrarum cum justitia, etc. Et 2. ad Thess. 1, 6. Justum est apud Deum retribuere afflictionem illis qui vos affligunt, vobis autem qui affligimini relaxationem nobiscum, cum patefiet Dominus Jesus de coelo, cum Angelis potentiae suae cum flamma ignis, infligens ultionem iis qui Dominum non noverunt, et iis qui non auscultant Evangelio Domini nostri Jesu Christi, qui poenas dabunt aeterni exitii, a facie Domini et a gloria virtutis ejus.

XLVII. Causa hujus judicii efficiens principalis est Deus Pater, Filius, et Spiritus Sanctus, si auctoritatem spectemus in sententiae dictione, vel potestatem in ejusdem executione. Sed administrabitur illud judicium visibili forma, per filium in humana natura assumpta, per eum virum quem definivit Deus, fide palam facta omnibus, illo a morte resuscitato, Act. 27, 31. Cui a Patre data est omnis potestas in coelo et in terra, Matt. 28, 18. Omne judicium, Joh. 5, 21. Qua ratione Christo Θεανθρώπῳ judicium illud peculiariter in Scripturis tribuitur, non exclusive tamen, vel opposite, sed per quandam appropriationem, quia hominibus in judicio non apparebit nisi Filius, qui manifestus erit, et Pater occultus, ut loquitur August. Tract. 21. in Joh. Judicabit autem non solum secundum naturam divinam, sed etiam secundum humanam, cui per gratiam data est αὐτοκρατορικὴ potestas, a qua non erit provocatio; quia morte sua acquisivit sibi in omnes homines, jus Dominii. Ad hoc enim Christus mortuus est et resurrexit, ut vivis et mortuis dominetur, Rom. 14, 9. Pars autem Dominii, judicium est.

XLVIII. Hic tamen notandum, quaedam in judicio considerari posse, quae humanae in Christo naturae vim non excedunt, ut quod Christus, ut homo, est omnium Dominus, omnibusque superior; quod novit omnia ad judicium illud juste exercendum necessaria, per scientiam creatam quae in anima ejus est, quae

unionis scientia dicitur. Quae si tantum in judice spectentur, cum externa sententiae pronunciatione, ab humana natura tamquam a formali principio procedunt. At si consideretur infinita illa potentia, qua justis redditurus est aeterna praemia, et impiis aeterna supplicia, quae consistunt in naturae divinae contemplatione, vel ejusdem privatione; non ut homo, sed ut Deus judicaturus est vivos et mortuos cum Patre et Spiritu Sancto: quia solius est potestatis divinae absolute, sanctos aut miseros facere. Unde Christus ait Matt. 20, 23. Sedere ad dexteram meam, non est meum dare, sed quibus paratum est a Patre meo, i. non est humanae potestatis, ut interpretatur August. Lib. 1. de Trinit. cap. 12. Quo sensu ibidem dicit, filium hominis non judicaturum ex humana potestate, sed ex ea tantum qua Filius Dei est.

XLIX. Sive autem potestatem humanam datam Christo eminentissimam supra omnes creaturas, sive potestatem divinam, quam utramque exercebit in judicando, spectemus; in neutrius consortium vocari possunt sancti et fideles cum Christo regnantes. Cum ergo sessuri dicuntur, et judicaturi cum Christo, sive Apostoli, sive omnes fideles Matt. 19, 28. Luc. 22, 30. id intelligi debet, non de auctoritate vel potestate judicandi in ipsis, sed 1. de eo quod facturi sunt in Christo capite suo. 2. de approbatione sententiae a Christo latae. Apoc 19, 1. 3. de eorum testificatione, ratione ministerii et conservationis, et comparatione vitae eorum cum vita injustorum, qua judicis justitia manifestabitur.

L. Materia circa quam sive objectum judicii extremi, si personas spectemus, sunt omnes Angeli mali, et omnes homines tam boni quam mali. Nam etsi daemones poenis subjecti fuerint ab ipso lapsus momento, et aeternae damnationi adjudicati; et quocumque abeant, semper secum circumferant suum infernum: quos tamen in tartarum detrusos, catenis caliginis tradidit Deus, εἰς κρίσιν τετηρημένους, in judicium servatos, 2 Petr. 2. v. 4. Judae v. 6. non dubitamus, illo die poenarum suarum complementum et plenitudinem percepturos, quo non poterunt amplius hominibus nocere, cultum divinum a suis mancipiis extorquere, carceri infernali ita mancipati, ut nullus amplius eis pateat exitus. Huc referri debet quod 1. ad Cor. 6. vers. 3. dicit Apostolus, Nescitis quoniam

Angelos judicabimus? quod intelligendum in capite Christo.

LI. Ad homines quod attinet, de quibus praesertim in hac quaestione solliciti esse debemus, judicabuntur omnes, maximi, minimi, nemine excepto, sed boni judicio discretionis tantum; mali autem, judicio condemnationis. Omnes enim statuemur ante tribunal Christi, 2 Cor. 5, 10. Magnos et pusillos expresse Johannes distinguit, Apoc. 20, 12. Et inter judicandos, utrosque comprehendit, ne quis excipiatur Item vivos et mortuos, Act. 10, 42. Nec excipiuntur Sancti, Reposita est mihi corona justitiae, quam reddet mihi Dominus in die illa justus Judex, 2 Tim. 4, 8. Idem etiam tempus assignatur dandi praemium servis Dei, et perdendi eos qui perdunt terram, Apoc. 11, 18. Ergo si dicantur credentes non judicandi, aut non venturi in judicium, id de condemnatione intelligendum; Si impii non resurrecturi in judicio, id referendum ad subsistentiam in judicio, quia causa cadent.

LII. Ad judicii illius objectum pertinent etiam, omnes omnium tam bonorum quam malorum hominum actus, tum boni, tum mali, sub quibus comprehenduntur verba et cogitationes: quorum omnium manifestatio in die judicii futura, denotatur apertione librorum Apoc. 20, 12. Tunc de omni verbo otioso quod locuti fuerint homines, rationem reddent in die judicii, Matt. 12, 35. Nam boni actus approbabuntur et remuneratione gratuita donabuntur; mali autem improbabuntur et supplicio digni judicabuntur. Non excipiuntur peccata piorum, quorum remissionem per Christum adepti fuerint, quae tunc etiam manifestabuntur, ita tamen ut ipsis nullam confusionem afferant, sed potius gaudium immensum, ex eo quod propter tot peccata remissa, tanta erga eos apparebit clementiae divinae magnitudo: proinde non erit ea peccatorum recordatio ad poenam, vel gloriae derogationem, sed ad gratiarum actionem.

LIII. Forma hujus judicii consistet, 1. in causae cognitione, ad quam judici non opus erit ut quis testimonium perhibeat de homine qui novit quicquid est in homine, Joh. 2. 25. qui proinde nullo indigebit testium examine, vel propria reorum confessione, cujus oculis omnia nuda et aperta sunt, Hebr. 4, 13. ut tamen causa liquido cognoscatur

ab aliis, omnia occulta et abscondita in clarissimam lucem collocabit, 1 Cor. 4, 5. 2. in causae cognitae decisione, et sententiae promulgatione; cujus sententiae prior pars quae pios spectat, erit jucundissima, Venite benedicti Patris mei, possidete regnum paratum vobis a jactis mundi fundamentis. Posterior vero longe tristissima et horribilissima, Ite maledicti in ignem aeternum, qui paratus est Diabolo et Angelis ejus, Matt. 25, 34. et 41. Hanc sententiae dictionem praecedet separatio ovium ab hoedis, et illorum ad dextram, horum ad sinistram collocatio, Matt. 25, 32. et 33.

LIV. Tertio, consideratur judicii forma in sententiae latae executione; quae non in eo consistet, ut tum primum incipiant pii frui beatitudine, et mali luere poenam aeternam, nam pii jam per resurrectionem, resumpto corpore glorioso, erunt beati, et impii contra, resumpto corpore ignominioso, maledicti: sed in eo, quod cum publica quadam et solenni dennnciatione, atque adeo in loco certo et deputato, justi incipient in coelo, quo cum Christo proficiscentur, beatitudine frui; impii contra puniri in inferno, quo amandabuntur, juxta illud, Et abibunt illi in ignem aeternum, justi vero in vitam aeternam, Matt. 25, 46. In qua executione Judicis potentia et veritas conspicitur, ut ejusdem veritas et prudentia in disquisitione, et justitia in sententiae pronunciatione.

LV. Finis illius judicii ultimus erit, ut Deus glorificetur in Sanctis suis, et admirabilis fiat in omnibus qui crediderunt in die illo, 2 Thess. 1, 10. Item ut manifestata veritate ejus de justitia erga impios Omnes gentes veniant, et adorent coram ipso, quia judicia ejus patefacta erunt, Apoc. 15, 4. Subordinatus autem finis erit, piorum salus et beata conditio, impiorum abjectio, Ecclesiae Christi liberatio, aeterni decreti executio, justitiaeque Dei in reprobis, et misericordiae in electis declaratio.

LVI. Locus specialis in quo congregabuntur pii et impii, ex Scriptura Sacra non potest determinari. Nam quod Judaei, quos sequuntur Pontificii, de valle Josaphat fabulantur, nullo solido nititur fundamento. Quod autem ex Joële 3, 2. et 12. citatur, Congregabo omnes gentes et ducam illos in vallem Josaphat, figurate intelligendum est; nisi quis malit vallem

Josaphat, id est, judicii Dei, pro omni loco appellative accipere, in quo Deus judicaturus est; quae eodem cap. vocatur vallis concisionis. Ad tempus quod attinet, Frustra annos qui huic seculo remanent, computare ac definire conamur; cum hoc scire, non esse nostrum ex veritatis ore audiamus, ut bene monet Aug. Lib. 18. de Civitate Dei, cap. 53. perpendens id quod Christus eam inquisitionem expresse prohibuit, Act. 1, 7. Et Apostolus in Paradiso edoctus, de χρόνοις ac καιροῖς adventus Domini, scribere, necessarium minime duxit, 1 Cor. 5, 1. Cum ergo locus determinatus, et tempus definitum in sapientiae divinae thesauris absconditum lateat, temeraria esset de iis inquisitio; et qui id de tempore praesumpserunt, jam multoties subsequente contrario eventu, temeritatis rei facti sunt a Deo, qui unum diem latere voluit, ut omnes observarentur, nec homines securitatis pulvinari indormirent.

LVII. Ex his quae dicta sunt, colligi potest Judicii extremi descriptio talis, quod sit, Actio Dei per Christum θεάνθρωπον, qua in fine seculorum citaturus est omnes, tam vivos quam mortuos, ad tribunal suum, et patefacturus omnia quae fecerunt, tam bona quam mala; ut separatione justorum et injustorum facta, sententiam ferat et exequatur secundum legis et Evangelii normam, pios in aeternum beando, et impios cum Diabolis aeternis poenis adjudicando, ad gloriam nominis sui, et electorum suorum gaudium sempiternum.

LVIII. Usus hujus doctrinae multiplex est, 1. ut fidem nostram de ultimo Christi adventu adversus profanos ἐμπαίκτας muniamus, de quibus Petrus 2. cap. 3, 3. Et ita fide cordis et confessione oris, nos separemus ab omnibus, qui vel illud judicium praefracte negant, vel sanam de eo doctrinam pervertunt. Sed ad praxim praecipue revocandus est, contra impietatem et securitatem, ut timeamus Dominum quia venit hora judicii ejus, Apoc. 14, 7. contra crapulam et ebrietatem, Luc. 21, 14. ne superveniat in nos dies illa repentina, contra curas nimias hujus vitae, Luc. 21, 34. Et in summa omnem injustitiam et iniquitatem. Ut excitemur contra, ad poenitentiam, eo quod Deus statuit diem, in quo judicaturus est orbem terrarum in aequitate, Act. 17, 30. et 31. Et ad beneficentiam erga proximos, maxime erga

pauperes, quam illo die factam sibi magnus Judex reputabit. Ad consolationem denique et patientiam in adversis omnibus, memores diem illum ratione piorum ἀπολυτρώσεως diem appellari, ut in exspectatione ejus capita nostra attollamus, Luc. 21, 28. Et fidenter cum Johanne, Apoc. 22, 19. illud subinde repetamus, ναί ἔρχου Κύριε Ἰησοῦ.

DISPUTATIO LII.

DE

Vita ac Morte Aeterna et Consummatione seculi.

Praeside D. ANTONIO WALAEO.

Respondente FRANCISCO BOOGARDO.

Thesis I.

Explicatis omnibus iis quae ad ultimum hominis finem ducunt, reliquum est, ut hac ultima disputatione, de ipso supremo hominis fine, ac totius mundi extrema consummatione agamus.

II. Finis ultimus hominis in symbolo Apostolico, vita aeterna appellatur, cui mors aeterna opponitur, sed idcirco haec inter fidei articulos non recensetur, quia fructum fidei tantum, non etiam infidelitatis, symbolum meminit, et eorum solum fidei objectorum, quorum non tantum veritas ex S. Scriptura credenda est, sed quorum etiam particularis applicatio, per vivam et singularem fiduciam, ad cor hominis requiritur.

III. Per vitam aeternam hic vero intelligitur, non animae et corporis aeterna et irrupta conjunctio, quae reprobis communis erit: sed aeterna hominis beatitudo ac felicitas, quae ex Dei nobiscum conjunctione seu unione indeficiente oritur. Quemadmodum enim vita corporis est anima; ita vita animae est Deus, unde et Propheta David Ps. 33, 12. Beatus populus cujus Jehova est Deus, et Apostolus 1 Joh. 2, 3. Quod vidimus et audivimus, annunciamus vobis, ut commu-

nionem habeatis nobiscum, et communio nostra sit cum Patre et Filio ejus Jesu Christo.

IV. Communio autem haec cum Deo habetur duobus modis, vel inchoate per fidem in hac vita, vel perfecte per visionem proprie dictam in vita futura; prout Apostolus distinguit 2 Cor. 5, 7. quando ait, Ambulamus per fidem, non per aspectum, licet et fidei suus quoque aspectus tribuatur, sed tamquam per aenigma, 1 Cor. 13, 12.

V. Communio quam cum Deo per fidem habemus, est initium aliquod illius aeternae vitae, cujus complementum succedet in futura et voce υἱοθεσίας seu adoptionis in filios fere exprimitur; Quotquot enim Christum fide receperunt, dedit eis hanc ἐξουσίαν, id est, potestatem seu dignitatem, ut filii Dei fierent, Joh. 1, 12.

VI. Comprehendit autem hoc vitae aeternae initium, primo, sensum vivum remissionis peccatorum, et reconciliationis nostri cum Deo; quum enim mortui essemus in peccatis nostris, una vivificabit nos per Christum, cujus gratia servati sumus, unaque excitavit, unaque collocavit in coelis in Christo Jesu, Eph. 2, 5. et 6. secundo, renovationem nostri ad imaginem Dei, quae renovatio idcirco vitae novitas ab Apostolo appellatur Rom. 6, 4. ac denique Spiritus Sancti obsignationem, quae non solum antecedentia illa vitae spiritualis dona in nobis confirmat et vitalia reddit, sed etiam de futuro complemento certos facit, et conscientiae illam tranquillitatem atque animi gaudium in nobis parit, quod mundus ignorat, Joh. 14, 17. et omnem intellectum hominis superat Phil. 4, 7. de quo Psalmista loquitur Ps. 69, 33. hoc ubi viderint mansueti, laetabuntur et reviviscet animus vester, o quaerentes Deum; imo propter haec omnia, et nos per fidem Filii Dei vivere, et Christus in nobis hic vivere dicitur, Gal. 2, 20.

VII. Haec vero beneficia vitae aeternae nomine non raro quoque in Scripturis intelliguntur, non tantum quia ad vitam aeternam ducunt, sed etiam quia ejus quaedam sunt primitiae, quemadmodum Christus Joh. 6, 57. pronunciat, Amen amen dico vobis, qui credit in me, habet vitam aeternam, ego sum panis ille vitae, etc. et cap. 11, 25. Ego sum resurrectio et vita, qui credit in me, etiam si mortuus fue-

rit, vivet, et quisquis vivit et credit in me, non moritur in aeternum.

VIII. Complementum et consummatio hujus beatitudinis per visionem obtinetur, et proprie futurum seculum respicit, quemadmodum Apostolus testatur 1 Cor. 13, 9. quae rursum vel est solius animae a corpore separatae, quum hinc migramus et ad Christum imus habitatum, 2 Cor. 5, 8. vel totius personae post carnis resurrectionem, atque ultimum judicium, quum Christo in occursum rapiemur in aere, atque ita semper cum Domino erimus, 1 Thess. 4, 17.

IX. Priorem statum quod attinet, qui solam animam a corpore separatam spectat, de eo prolixius egimus, cum de Ecclesia in coelis triumphante egimus, ac proinde non est necesse, ut de eo hic amplius agamus. De altero ergo illo et ultimo hominis post resurrectionem statu deinceps nobis agendum.

X. Consistit ergo haec extrema et perfecta hominis beatitudo, in plena visione Dei, conjuncta cum naturae nostrae plenaria sanctificatione, ac glorificatione; ex quibus inter se conjunctis nascetur gaudium ineffabile, quod omnem captum hominis longe superat. Cujus definitionis membra paulo distinctius in sequentibus nobis sunt examinanda atque explicanda.

XI. Visionem Dei esse totius hujus beatitudinis fundamentum et causam, testatur Scriptura Veteris ac Novi Testamenti multis in locis. Sic loquitur Hiob cap. 19, 26. Ego in carne mea videbo Deum; David Psal. 16, 11. Satietas gaudiorum in conspectu tuo; et Psal. 17, 15. Ego in justitia videbo vultum tuum, satiabor, cum expergiscar, similitudine tua; sic Christus Matth. 5, 8. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt; et 1 Cor. 13, 12. Videmus nunc per speculum in aenigmate, tunc autem de facie ad faciem; item 1 Joh. 3, 2. Scimus quod cum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est.

XII. De hac visione primo quaeritur, an homo oculis corporeis Deum sit visurus; deinde si haec visio ad animum omnino referri debeat, quis ejus futurus sit modus aut ratio.

XIII. Quod ad primum attinet, probamus eorum Theologorum sententiam, qui asserunt, Deum quidem in glorificatione hominis etiam corporeis oculis coelesti luce illustratis majesta-

tem suam singulari ratione manifestaturum, non tantum signis certis, sicuti Mosi ac Prophetis suam praesentiam extra ordinem nonnunquam per signa patefecit, sed vel imprimis in humana Christi natura jam glorificata; per quam veluti conjunctum divinitatis instrumentum, plenius ac manifestius divinas suas proprietates ac gloriam quodammodo spectandam exhibebit. Quemadmodum aliquod ejus rei documentum exhibuit in glorificatione Christi, Matth. 17, et Luc. 9. item in visionibus illis quae Apostolo Paulo in Paradisum rapto, 2 Cor. 12. et Apostolo Johanni per Spiritum acto, non nunquam oblatae sunt passim in Apocalypsi.

XIV. Interim tamen asserimus, visionem Dei, in qua ipsa summi boni essentia per se consistit, non esse proprie corporis sed animi: quia essentia spiritualis per se corporeis oculis non patet. Unde et Deus absolute ἀόρατος ab Apostolo appellatur, Col. 1, 15. Id vero hinc quoque patet, quod animae fidelium in coelis hac beatitudine ex Dei visione jam fruantur, et quod Angeli in coelis semper videant faciem Patris qui tamen corporibus carent. Quemadmodum etiam Apostolus idcirco vocem cognitionis et visionis inter se permiscet, atque hunc aspectum de facie in faciem, cognitioni quae ex parte est, exserte opponit, 1 Cor. 13, 12. Item fidei, 2 Cor. 5, 8.

XV. De modo hujus visionis multa subtiliter et curiose disputant Scholastici: nos ea tantum delibabimus, quae Sacrae Scripturae fundamentis, aut ratione firma nituntur, atque ad οἰκοδομὴν τῆς χρείας pertinent, reliquis speculationibus vanis ad auctores suos remissis.

XVI. Et primo quidem disputatur ab illis, an beati ipsam divinam essentiam immediate sint visuri, an vero ejus quendam fulgorem spiritualem tantum et ἀπαύγασμα. Nos asserimus, fulgorem illum quemcunque tandem constituant, necessario fore rem creatam, ac proinde a Deo diversam. Scriptura vero testatur, nostram beatitudinem in visione ipsius Dei consistere, ut supra est probatum; atque ideo visuri eum dicimur, de facie ad faciem, et cognituri prout cogniti sumus, 1 Cor. 13, 12. et visuri sicuti est, 1 Joh. 3. Et ratio evidens id ipsum quoque evincit, quia nulla res creata summum nostrum bonum esse potest: solus vero Deus increatus appetitum et mentem hominis vere explere et satiare potest.

XVII. Ex quo etiam recte colligitur, Deum ne quidem per abstractam aut expressam imaginem a beatis videri, sed per ejus essentiam; quia cognitio per abstractam imaginem est imperfecta, et propter rei visae absentiam aut ab intellectu distantiam necessaria est, Dei vero essentia spiritualis est, et menti beatorum intime praesens et conjuncta; ac proinde ipsa tamquam objectum immediatum se menti hominis facile repraesentare potest, quamobrem et ipse Deus dicitur tum futurus (immediate scilicet) omnia in omnibus, 1 Cor. 15, 18. Fatemur tamen in ipso intellectu hominis lumen extraordinarium esse imprimendum, quo divinam essentiam tamquam objectum beatificum visione intuitiva recipere possit, quemadmodum lumine supernaturali in intellectu hominis in hac vita est opus, ut cum Deo per fidem communionem veram habere possimus, sicuti Scriptura testatur Matth. 16, 17. Act. 16, 14. 1 Cor. 3, 14. Deus enim qui dixit, ut e tenebris lux splendesceret, splenduit in cordibus nostris, ad praebendum lumen cognitionis in facie Jesu Christi, 2 Cor. 4, 6. Et huc referri solet locus Psalmistae Psal. 36, 10. Penes te est fons vitae, in luce tua fruemur luce.

XVIII. An vero essentiam divinam cum omnibus suis proprietatibus atque operibus beati intueantur, idque in infinitate sua; et an haec visio a parte Dei sit necessaria, an vero arbitraria, prolixius disceptari solet a Scholasticis, de quibus quaestionibus sic statuimus.

XIX. Essentiam Dei infinitam in sua infinitate non nisi a mente infinita adaequate capi posse, res ipsa dictat; sed quia infinita Dei essentia ubique est tota, ideo cum creatura finita totam uniri posse incarnatio Filii Dei demonstrat; ac proinde quo minus a mente finita beatifica visione percipi possit, naturae non repugnat, et quidem tota, etsi non totaliter et modo infinito, sed modo finitae naturae convenienti, quemadmodum loca Scripturae Thesi 11. producta demonstrant. Atque ideo Angeli in coelis licet faciem Dei semper videant, tamen coram Throno majestatis divinae, ne a majestate ejus praestinguantur, faciem suam binis alis dicuntur tegere, Es. 6, 2.

XX. Eandem vero visionem, si active consideretur, et ejus mensuram ac modum, ex sola Dei voluntate et arbitraria dispensatione pendere asserimus, non ex naturali aliqua objecti

ad suam potentiam relatione aut habitudine; atque ideo servator noster Matt. 11, 27. ait, nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui Filius voluerit revelare; ac proinde quemadmodum in hac vita sua dona spiritualia diversa mensura singulis communicat, prout vult, 1 Cor. 12, 11. ita quoque in vita futura unusquisque beatorum ex illa tantum percipiet, quantum Dei gratiosae voluntati ac beneplacito visum fuerit, et eorum plenae beatitudini suffecerit; miseretur enim cujus miseretur et commiseratur quem commiseratus fuerit, Exod. 33, 19.

XXI. An vero pro modo communicationis essentiae etiam necessario ac naturaliter communicetur modus visionis personarum, attributorum, atque operum divinorum, difficilior est quaestio.

XXII. Scholastici communiter statuunt illa omnia, quae sunt naturalia in Deo, aut necessitate naturae ab essentia fluunt, una cum essentia necessario communicari, ac proinde cum essentia etiam intuitive videri attributa omnia essentialia Dei; quia essentia Dei est simplicissima, et a suis attributis reipsa non differt; beati autem Deum vident sicuti est, ac proinde et ejus attributa; atque ideo ex ejus visione in admirationem attributorum ejus passim erumpunt, ut videre est Esa. 6. Apoc. 4. et 6. Eandem quoque esse rationem personarum, recte statuunt, quia etsi persona a persona realiter differt, persona tamen ab essentia realiter non differt; et sicuti persona Patris in essentia divina, per se et necessario subsistit, ita quoque persona Filii et Spiritus Sancti naturali necessitate in ea producuntur. Quamobrem quum beati videant Deum sicuti est, et in hac vita cum omnibus tribus personis communionem habeant fideles, sequitur necessario, in coelis eandem communionem non interrumpi, sed perfici. Unde et Christus Joh. 14, 9. inquit, Qui me videt, videt Patrem, et cap. 16, 15. Quaecunque Pater habet, mea sunt.

XXIII. Aliam vero esse rationem divinorum decretorum, et eorum operum quae a liberis Dei decretis pendent; qualia sunt omnia opera divina quae ad extra vocantur, haec quia absoluta necessitate in Deo non sunt, neque absoluta necessitate ab eo producuntur, sed secundum libertatem ejus, ideo nec absoluta necessitate in Deo viso videntur, sed quantum Deus unicuique

ex iis vult patefacere. Hinc est quod Angeli, qui semper vident faciem Patris, tamen ignorent diem Judicii, Marc. 13, 32. et non nisi ex revelatione extraordinaria Dei accipiant, quae ex ejusdem voluntate ad aedificationem Ecclesiae servis Christi patefaciunt, ut videre est Apoc. 1, 1. et 5, 3.

XXIV. Ex quibus etiam patet, speculum illud Trinitatis, quod nonnulli Pontificii fingunt, quasi in eo beatis in coelo omnium hominum internae ac externae necessitates ac preces reluceant, ne quidem cum aliis eorum sanioribus hypothesibus convenire; quia omnia illa ex Dei libero decreto pendent. Quamobrem Deus scrutationem cordium, et aliarum rerum ex causis contingentibus pendentium cognitionem certam, ac universalem curam sibi passim vendicat, ut alibi demonstratum est, cum de Sanctorum invocatione est actum. Et vero Sacra Scriptura diserte testatur, quod sicut nemo novit quae sunt in homine, nisi Spiritus hominis qui est in ipso, sic nemo novit quae sunt Dei, nisi Spiritus Dei, 1 Cor. 2, 11.

XXV. Ex hac Dei beatifica, et omnem captum hominis excedente visione necessario nascetur totius hominis plenaria renovatio et sanctificatio, adeo ut pro proportione qua mens beata Deum in sua gloria de facie in faciem intuetur etiam cor hominis in amorem ejus, et admirationem omnium operum ejus sit accendendum.

XXVI. Id demonstrat primo ipsa visionis hujus beatificae natura. Nam fideles etiam hic omnes retecta facie gloriam Domini ut in speculo intuentes, in eandem imaginem transformantur de gloria in gloriam, sicut Apostolus loquitur 2 Cor. 3, 28. quanto magis intuitus ille gloriosus divinae essentiae, voluntatem hominis ac reliquas omnes virtutes et facultates in consensum ejusdem sanctitatis et gloriae rapiet. Quemadmodum sol communicat speculo, a quo recipitur, suam imaginem ac fulgorem.

XXVII. Demonstrat illud deinde Sacrae Scripturae perpetuus tenor. Nam quemadmodum haec Dei visio non nisi mundis corde promittitur, Matt. 5, 8. a non regenitis removetur, Joh. 3, 3. item a carne et sanguine, 1 Cor. 15, 50. Quum item in coelestem illam Jerusalem negetur introitus omni quod pollutum est, aut abominationem facit, aut mendacium, Ap. 21, 27. sequitur necessario totum hominem

in plena illa beatitudinis fruitione plene fore renovatum ac sanctificatum. Unde et Apostolus Petrus 2 Pet. 3, 13. novos coelos et novam terram promittit, in quibus justitia inhabitabit; atque animae beatorum in coelo stolis albis induuntur, et palmae iis in manibus dantur, tamquam Satanae, mundi, et peccati victoribus, Apoc. 7, 9. et ipsa sponsa Christi ingressura ad sponsum, ad solennitatem nuptialem plene celebrandam, induitur primum bysso pura ac splendida, quae sunt justificationes Sanctorum, Apoc. 19, 8.

XXVIII. Utrumque vero hoc beatificum Dei beneficium consequetur tertio, ipsius humani corporis, adeoque totius hominis perfecta glorificatio, quae glorificatio in Scripturis partim per remotionem omnis imperfectionis, partim per affirmationem contrariam omnigenae perfectionis indicatur.

XXIX. Removentur ergo ab homine glorificato, non tantum omnia ea quae ex peccato sunt aut poenae rationem habent, sed etiam quae hominis animalem conditionem, ex vi creationis primae in hoc mundo respiciunt. Atque ideo non tantum asseritur, quod Deus absterget omnem lacrumam ab oculis eorum, et quod mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor, Apoc. 21, 4. Item quod non esurient amplius, neque sitient amplius, neque in eos incidet Sol, neque ullus aestus, Apoc. 7, 16. Sed etiam, quod Deus ventrem et escas abolebit, 1 Cor. 6, 13. Item quod in resurrectione neque uxores ducent, neque nuptum dabuntur, sed erunt ut Angeli Dei in coelo, Matt. 22, 30.

XXX. Affirmatur vero de eo, quod illud quod seminatur corruptibile, excitabitur incorruptibile: quod seminatur ignominiosum, excitabitur gloriosum; quod seminatur infirmum, excitabitur potens: et quod seminatur animale, excitabitur spirituale, 1 Cor. 15, 42. Item, quod hoc mortale induet immortalitatem, v. 53. Et quod qualis ille coelestis, nempe Christus, tales et coelestes futuri sunt, et sicut gestavimus imaginem Terreni, ita etiam gestabimus imaginem Coelestis, v. 49. Imo justi fulgebunt ut sol in regno Patris eorum, Matt. 13, 41. Et erudientes splendebunt

quasi splendore expansi, et justificantes multos ut stellae in sempiterna secula, Dan. 12, 3. Municipium enim nostrum est in coelis, unde etiam Servatorem exspectamus Dominum Jesum Christum, qui transformabit corpus nostrum humile, ut conforme fiat corpori suo glorioso, pro efficacitate qua sibi potest subjicere omnia, Phil. 3, 20.

XXXI. Ultimum quod in definitione hujus coelestis beatitudinis posuimus, est, gaudium ineffabile, quod omnem intellectum hominis hic superat.

XXXII. Fieri enim aliter non poterit, quin ubi corpus hominis omni peccati et naturae infirmitate liberatum corpori Jesu Christi glorioso erit conforme, atque animus ab omni lucta carnis et spiritus liber, conspectu divinae essentiae ac gloriae fruetur, quin, inquam, totus homo solida consolatione atque animus ejus ineffabili gaudio perfundatur, quemadmodum Christus promittit, Matt. 5, 4. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolationem accipient, et David Ps. 36, 9. Inebriabuntur ubertate domus tuae, et torrente voluptatis tuae potabis eos, et hoc est manna absconditum quod Christus victori promittit, Ap. 2, 17. et vero laetitia haec tanta erit, ut Apostolus testetur, 1 Cor. 2, 9. nec oculum vidisse, nec aurem audivisse, nec in cujusquam mentem venisse, quae paravit Deus iis, qui ipsum diligunt. Aliquo tamen modo adumbratur in Scripturis, voluptate horti Hedenis seu Paradisi, festivitate atque hilaritate conviviorum ac nuptiarum Regalium, jucunditate ac recreatione cantuum aut instrumentorum musicorum, et similium rerum hujus seculi, per quas cor hominis oblectatione honesta, et gaudio impleri solet.

XXXIII. Etsi vero ipsa beatitudinis essentia in his quae hactenus a nobis explicata sunt, consistat; non parum tamen ad eam omnibus numeris perficiendam facient circumstantiae atque adjuncta nonnulla, quae Sacra Scriptura his passim subjungit.

XXXIV. Quorum primum est ejus vitae beatae aeternitas; nam quum Gentiles Philosophi ipsi agnoverint, beatitudinem plenam ac solidam consistere non posse, cum metu ejus aliquando amittendae, Sacra Scriptura hac in parte beatorum securitati quoque sufficienter consulit: nam qui fidelis est

usque ad mortem, illi dabitur corona vitae, et qui vicerit, non laedetur a morte secunda, ut Christus promittit Apoc. 2, 11. 12. atque ideo haec beatitudo passim in sacris literis vita aeterna, item haereditas aeterna, et regnum aeternum vocatur; quae aeternitas recte a Boëtio definitur, indeterminabilis vitae tota simul et perfecta possessio, atque ideo quoque ab Apostolo Petro vocatur haereditas quae nec perire potest, nec contaminari, nec marcescere, 1 Pet. 1, 4. et immarcessibilis gloriae corona, cap. 5, 4. atque ideo regnaturi cum Deo dicuntur in secula seculorum, Apoc. 22, 5.

XXXV. Loci quoque majestas, atque amoenitas, non parum huc faciet; quem coelum esse idem Apostolus Petrus ibidem c. 1. v. 4. testatur, cum dicit hanc haereditatem nobis servari in coelis, per quod coelum non intelligimus coelum hoc visibile, in quo planetae ac reliqua astra conspicua sunt, multo minus coelum aliquod ubiquitarium, et incorporeum quale Lutherani fingunt: sed coelum illud quod Dei Thronus appellatur, et supra omnes hos coelos visibiles gloriosissimum est et lucidissimum, atque ideo tertium coelum et Paradisus dicitur, 1 Cor. 12. et supra omnes coelos collocatur Eph. 4, 10. cujus gloria ac splendor nobis sub figura coelestis Jerusalem, et rerum in hoc mundo amoenissimarum ac pretiosissimarum amplissime describitur Apocalyp. 21. et 22. cap.

XXXVI. Nec vero audiendi hic sunt, qui coelum quidem fatentur beatarum animarum sedem futurum usque ad ultimum judicium, postea vero terram a servitute corruptionis liberatam, ac glorificatam beatis hominibus in habitationem cessuram, coelo solis Angelis deinceps relicto: quia Sacra Scriptura totam mercedem Sanctorum et indeficientem in coelo reponit, ut videre est Matt. 5, 12. Luc. 12, 33. Heb. 10, 34. Deinde quia ipsum regnum coelorum in mercedem ultimam fidelibus promittitur, Matt. 5, 10. Item 19, 14. Tertio, quia coelum opposite ad terram vocatur domicilium nostrum aeternum, 2 Cor. 5, 1. et municipium nostrum, Phil. 3, 20. et Patria nostra, Hebr. 11, 26. non ergo illud ad tempus tantum, et ut inquilini habitabimus, sed in perpetuum. Alioquin enim fideles qui circa finem mundi morituri sunt, ad exiguum tantum tempus in eo peregrinarentur, et quos ultimus dies vivos deprehendet, nun-

quam illud ingrederentur; quae omnia absurda sunt, et a veritate promissionum divinarum aliena.

XXXVII. Sed praeter haec quae a nobis producta sunt, Christus quoque aperte contrarium testatur Matt. 8, 12. Quando ait, fideles ex omnibus gentibus accubituros cum Abrahamo, Isaaco, et Jacobo in regno coelorum, et filios regni, id est, Judaeos, ejectum iri in tenebras exteriores, ubi erit fletus et stridor dentium; et discipulis suis declarat, Joh. 14, 2. In domo Patris mei sunt multae mansiones, proficiscor paraturus vobis locum, et quum profectus fuero, et paravero vobis locum, rursum veniam, et assumam vos ad me ipsum, ut ubi sum ego, et vos sitis. Item Apoc. 3, 21. Si quis vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, ut et ego vici et sedeo cum Patre meo in throno ejus. Unde est quod Apostolus ait, 1 Thess. 4, 17. nos vivi qui reliqui erimus, rapiemur simul cum eis in nubes in occursum Domini in aera (nempe ex terra) et ita semper cum Domino erimus. Unde et idem Apostolus Christi regnum in quod ipse servabatur, regnum Christi ἐπουράνιον, id est, supercoeleste appellat, 2 Tim. 4, 18.

XXXVIII. Tertium adjunctum, cujus in vita aeterna habenda est ratio, est consortium, seu societas eorum qui ejusdem felicitatis futuri sunt participes, quod consortium nobis in S. Scriptura ad beatitudinis complementum passim quoque promittitur.

XXXIX. Beati enim in coelis, etsi in solius Dei fruitione plene conquiescent, Ps. 73, 25. tamen non tantum de sua, sed etiam aliorum gloria ac beatitudine gaudebunt. Inter quos Christus tamquam Ecclesiae caput etiam ut homo principalem locum semper obtinebit, ut Apostolus ostendit, 2 Cor. 5, 8. et Phil. 1, 23. Deinde sancti Patriarchae, Prophetae et Apostoli, cum quibus in regno coelorum accubituri dicimur, Matt. 8, 11. et 19, 28. Angeli quoque et eorum myriades inter hoc consortium numerantur, Hebr. 12, 22. et Apoc. 7, 11. ac denique tanta fidelium multitudo, ut nemo eam numerare possit, Hebr. 12, 23. et Apoc. 7, 2.

XL. Hic quaeritur, an inter beatos mutua futura sit notitia, sermocinatio, et communicatio. Etsi vero horum modus curiosius

extra Dei verbum inquirendus non sit, non dubitamus tamen, quin ex certis S. Scripturae fundamentis, res ipsa satis colligi possit et demonstrari.

XLI. Nam Christus, Patriarchae, Prophetae et Apostoli, ut antea indicatum est, suum semper peculiarem locum, gradum, et ordinem in hoc beatorum coetu ac πανηγύρει retinebunt; et Christus semper erit Pastor ille bonus qui cognoscet oves suas et cognoscetur ab iis, Joh. 10. Moses et Elias cum Christo sermocinati sunt, et ab Apostolis cogniti, Matt. 17, 7. et Luc. 9, 32. Abraham Lazarum agnovit, Luc. 16. Divites fideles a pauperibus fidelibus quibus benefecerant, in aeterna tabernacula recipientur, Luc. 16, 9. et Thessalonicenses futuri sunt corona gloriae Pauli in illo die, 1 Thess. 2, 19. Angeli quoque non tantum se mutuo norunt, sed et electos omnes ultimo die cognituri sunt, et a reprobis separaturi, Matt. 13, 41. et Marc. 13, 27. Paulus in Paradisum raptus non tantum vidit Christum, sed et audivit quae nemo hominum eloqui potest, 2 Cor. 12. et in Apocal. ordo certus inter beatos Angelos et homines, item sermocinatio, ac δοξολογία et judiciorum Dei ac beneficiorum ejus singularium depraedicatio passim refertur.

XLII. Nec vero tantum mentali sermone usuros Sanctos statuimus, sed etiam vocali; quia linguae usus non abolebitur, sed perficietur, ut ex superioribus satis liquet. Qua vero lingua beati sint usuri, non ita certum est, etsi certum sit, linguarum varietatem quae ex peccato est, ibidem cessaturam, ex Apostolo 1 Cor. 13, 18. Unde et quidam non improbabiliter colligunt Hebraeae linguae usum mansurum, quia is ex peccato non est, est, et quia Christus alloquens e coelis Paulum, qui tamen origine Graecus erat, lingua Hebraica est usus, quemadmodum Apostolus expresse notat, Actor. 26, 14.

XLIII. De vestibus etiam nonnulli disputant, quia Angeli hominibus in vestitu niveo et fulgenti semper apparuerunt, et quia Christus in transfiguratione sua cum Mose et Elia, non tantum fulgorem in corpore, sed etiam in vestitu glorioso induit, quemadmodum Evangelistae notant, Matt. 17, 2. et Luc. 9, 29. Probabilior tamen videtur aliorum sententia, qui vestitu omni carituros beatos sentiunt, haec vero οἰκονομικῶς tantum facta judicant, ne hominum peccatorum oculis nuda corpora objicerentur: in futuro vero seculo, ubi omnes peccati effectus

cessabunt, et nihil erit in corpore humano indecorum aut pudori obnoxium, ipse fulgor et majestas corporis gloriosi omnem vestium splendorem et majestatem longe excedet.

XLIV. Sexus tamen diversitatem, prout a Deo humana natura initio condita est, remansuram omnino contra quosdam statuimus, quemadmodum ex sententia Christi Matt. 22. et aliis locis recte ab Augustino colligitur; etsi reliquas mutilationes aut imperfectiones membrorum, aut aetatis, a corporibus judicamus tollendas; quia corpori Christi glorioso corpora nostra humilia dicuntur conformanda, Phil. 3. et quod seminatur infirmum, excitabitur potens, ut Apostolus loquitur 1 Cor. 15, 42. gravitatem quoque illam terrenam et pondus ab iisdem membris tollendum esse, ex eo quoque recte colligitur, quia corpus animale reddetur spirituale, et Christo venienti e summo coelo brevissimo tempore, instar fulguris, quemadmodum ipse loquitur Matt. 24, 27. rapiemur in ejus occursum, in nubes, sicuti Apostolus testatur 1 Thess. 4, 17.

XLV. Ex iis quae de natura et circumstantiis vitae aeternae hactenus explicata sunt, ex contrario satis potest intelligi quid de aeterna morte sit statuendum; adeo ut omnibus minutatim repetendis non necesse sit nos immorari. Ad veritatem ejus tamen tanto exactius cognoscendam haec pauca adjungimus.

XLVI. Primum, blasphemam esse sententiam Socinianorum, qui mortem aeternam per extinctionem aeternam corporis et animae definire solent, quum S. Scriptura infinitis fere locis mortem aeternam cum doloribus et cruciatibus aeternis conjunctam esse doceat, et ipsa conscientia hominum sceleratorum ab irato Deo longe alias poenas et tormenta metuat et praesentiscat.

XLVII. Deinde et erroneam esse opinionem Origenistarum, et quorundam Anabaptistarum, qui horum cruciatuum aliquem finem tandem fore imaginati sunt. Nam mors aeterna et vita aeterna in Scripturis eodem sensu inter se opponuntur, ut videre est Dan. 12, 2. Matt. 25, 27. atque ideo Luc. 16, 27. ab Abrahamo expresse dicitur, non posse quenquam transire ex loco tormentorum in locum consolationis. Imo Marci 9, 47. vocatur vermis qui non moritur, et ignis qui non extinguitur, unde et in Apoc. 14, 11. et 19, 3. testatur Spiritus S. quod fumus tormenti eorum ascendat in secula se-

culorum, et non habeant requiem interdiu aut noctu.

XLVIII. Statuimus ergo cum tota orthodoxa Ecclesia, mortem aeternam consistere, in abjectione aeterna illorum hominum a conspectu Dei, et beatorum omnium consortio in infernum; atque in vivo atque efficaci sensu irae Dei, ut justi judicis adversus impoenitentiam eorum, juxta mensuram peccatorum eorum in ipsos juste accensae, unde et conscientiae angores et cruciatus consequentur, qui eos aeternum occupabunt.

XLIX. In qua definitione, fundamentum hujus mortis in abjectione aeterna illorum hominum a Dei gratioso conspectu ponitur; quia Christus Matt. 8, 12. testatur eos ejectum iri in tenebras exteriores, ubi erit fletus et stridor dentium, et cap. 25, 41. Discedite a me maledicti in ignem aeternum, qui paratus est Diabolo et Angelis ejus. Atque ideo Apoc. 22, 15. dicitur quod extra futuri sunt canes, venefici, scortatores, homicidae, et omnis qui amat et facit mendacium.

L. Haec vero abjectio a facie Domini conjuncta erit cum aeternis animi ac corporis cruciatibus; qui non tantum hinc nascentur, quod miseri illi se felicitate privatos cernent, quam poenam damni vocant; sed etiam quia iram Dei adversus peccata sua serio apprehendent, quam poenam sensus appellant; quemadmodum Apostolus loquitur Rom. 2, 8. Ira et excandescentia, afflictio et angustia in omnem animam hominis qui malum facit. Atque eo quoque referri potest ignis ille aeternus qui non extinguitur, et vermis qui non moritur, quem Christus eis comminatur, locis antea citatis.

LI. An vero et quomodo verus et corporeus ignis eos praeterea afflicturns sit, non est necesse ut nimis anxie cum Scholasticis disputemus. Hoc nobis hic suffecerit, quod tanta futura sit tormentorum eorum vis, ut praestaret hominibus illis non esse natis, Matt. 26, 14. et ut ex eorum doloris solo metu et praesensione impii dicantur, praemansuri linguas suas, et blasphematuri Deum coeli, Ap. 16, 10. atque ultimo die frustra dicturi montibus et petris, cadite in nos, et abscondite nos a conspectu ejus qui insidet Throno, et ab ira agni; nam venit dies ille magnus irae ejus, et quis poterit consistere?

LII. Etsi vero poenae omnes hujus secundae mortis, aeternae

erunt, non ex eo tamen sequitur eas futuras aequales; sed sicuti gradus in vita aeterna diversi erunt, ex sola Dei gratiae diversa communicatione; sic et poenae in morte aeterna inaequales erunt, pro diversa peccatorum et contumaciae hominum mensura ex Dei justo judicio impiis infligenda, quemadmodum Christus ipse testatur, Matth. 11, 22. quod Tyro et Sydoni tolerabilius erit in die judicii, quam urbibus illis, in quibus virtutes illae ab ipso fiebant, et non resipiscebant: item Luc. 12, 47. quod servus ille qui novit voluntatem domini sui, nec se comparavit nec fecit ex voluntate ejus, caedetur multis; qui vero non novit et fecit digna plagis, caedetur paucis.

LIII. Locus miseris illis hominibus ut et daemonibus destinatus in Scriptura frequentius vocatur ᾅδης, id est, infernus, item, abyssus, gehenna, puteus abyssi, et stagnum ardens igne et sulphure, ut ex ipso loci horrore poenarum gravitas tanto melius colligatur. Ubi vero hujus loci situs sit, nimis curiose inquirendum non est, sed potius via ac ratio, qua is a nobis vitari possit. Interim tamen, ut sententiam eorum improbare non audemus, qui propter antecedentium nominum communem notionem, et quia supremo coelo passim opponitur, atque eo descendi fere dicitur, eum in terrae et maris tenebrosis concavitatibus collocant; ita Chrysostomi ac Lutheri aliorumque recentiorum sententiam rejicere nolumus, qui eum extra mundum visibilem constitutum sentiunt, atque ideo eum extra coelestem Jerusalem collocari, Apoc. 22, 15. et exteriorum tenebrarum nomine designari judicant, Matth. 8, 12. et 25, 30.

LIV. Atque haec est ultima hominum, tan piorum quam impiorum post ultimum judicium futura conditio, quibus statim succedet hujus visibilis mundi atque adeo totius seculi consummatio et finis, quemadmodum Angelus ille jurat per viventem in secula seculorum, tempus non fore amplius, Ap. 10, 4. et Apost. 1 Cor. 15, 24. Deinde erit finis cum Christus tradiderit regnum Deo et Patri, quum aboleverit omne imperium, et omnem potentiam et virtutem.

LV. Licet enim Philosophi quidam, et inter eos Aristoteles, mundi aeternitatem perperam defenderint, fides Christiana tamen extra controversiam ponit, eum sicuti initio per solum Dei ver-

bum ex nihilo conditus est, ita quoque suo tempore rursum interiturum, quemadmodum Propheta loquitur Ps. 102, 26. Tu initio, Domine, terram fundasti et opera manuum tuarum sunt coeli, ipsi peribunt, tu autem permanes, et omnes sicut vestimentum veterascent, et sicut indumentum mutabis eos, et mutabuntur. Et Christus Luc. 21, 33. Coelum et terra transibunt, verba autem mea non praeteribunt.

LVI. Sicuti vero mundi aliquis interitus per aquarum diluvium antecessit, ita et ultimum mundi interitum per ignem futurum S. Scriptura testatur: sic loquitur Esa. 66, 15. Ecce Jehova cum igne venturus est, et curribus suis similibus turbini, ad reddendum cum excandescentia iram suam, et increpationem suam cum flammis ardentibus. Et Apostolus Petrus 1 Pet. 3, 7. etiam clarius, Qui nunc sunt coeli et terra eodem sermone repositi, servantur igni in diem damnationis et exitii impiorum hominum: qualis vero hic mundi per ignem interitus futurus sit, non convenit inter Theologos.

LVII. Plurimi enim arbitrantur, per hunc mundi interitum, nihil aliud quam qualitatum hujus mundi mutationem indicari, et vendicationem a corruptionis servitute, quae in mundo jam ex peccato est, aut etiam ex status animalis hominum prima conditione: idque ex locis diversis Scripturae, quae talem mutationem tantum videntur indicare, ut Psal. 102. ubi voce mutationis utitur Scriptura, sic Paulus 1 Cor. 7, 31. dicit, σχῆμα, id est, figuram externam hujus mundi praeterire, et 2 Pet. 3, 6. mundi hanc ultimam mutationem, cum interitu mundi per aquas comparat; quae comparatio nulla est, si mundus hic plane sit abolendus. Imprimis vero ab iisdem urgetur locus notabilis Rom. 8, 19. ubi Apostolus asserit, creaturam, (seu mundum conditum, ut Beza vertit) exserto capite observare atque exspectare revelationem filiorum Dei: et causam addit, nam vanitati creatura subjecta est, non sua sponte, sed propter eum qui subjecit eam isti vanitati, sub spe quod et ipsa vendicabitur ex servitute corruptionis in libertatem filiorum Dei, etc. quae verba quocunque modo versentur, non possunt aliter quam de compage hujus mundi visibilis, qui propter peccatum hominis servituti

corruptionis et vanitatis obnoxius est, intelligi; cum Apost. expresse hanc creaturam a filiis Dei ibidem distinguat, nec de Angelis intelligi possit, qui servituti corruptionis obnoxii non sunt.

LVIII. Alii tamen judicant hunc mundum visibilem plane abolitum iri, et alium ei substituendum, idque ex locis Scripturae, in quibus dicitur, quod mundus hic transibit, peribit, et συντέλειαν ac finem habebit, item quod tempus non erit amplius, etc. sed imprimis ex locis Apoc. 20, 11. A facie sedentis super thronum fugit terra et coelum, et locus non est eis inventus; item c. 21, 1. Vidi coelum novum et terram novam, primum enim coelum, et prima terra abiit, et mare jam amplius non est.

LIX. Sed videntur haec dicta optime conciliari ab aliis, ex loco Petri 2 Pet. 3, 10. et seq. ubi dicuntur quidem coeli cum stridore praeterituri, et elementa aestuantia solutum iri, terram et opera quae in ea sunt, exustum iri, sed vers. 22. subjicitur, Coeli conflagrantes solventur, et elementa aestuantia liquescent, sed coelos novos et terram novam secundum promissum exspectamus, in quibus justitia inhabitabit.

LX. Ita nempe, ut totus hic mundus visibilis per ignem illum solvendus, liquefaciendus, et a corruptione aliisque peccati sordibus aut animalis vitae effectis sit purgandus, quemadmodum metalla diversi generis per ignem liquefieri, confundi, et purgari a scoriis suis solent, atque ita rursum ex eadem immensa massa Deus novos coelos et novam terram, id est beatam habitationem sit excitaturus, quae sit futuri seculi usibus accommodata. Qui usus ubi de vita aeterna a nobis actum est, ex parte sunt explicati, plene vero ac distincte a nobis percipientur, quando hujus novi coeli ac novae terrae possessores atque habitatores reipsa erimus.

FINIS.

ERRATA.

Pag.	8	L.	7	sit	*leg.* fit.
„	11	„	31	sit	„ fit.
„	12	„	10	sit	„ fit.
„	15	„	10	sit	„ fit.
„	41	„	19	earem	„ earum.
„	41	„	20	Sciptura	„ Scriptura.
„	46	„	36	am liori	„ ampliori.
„	71	„	29	ἀταύγασμα	„ ἀπαύγασμα.
„	96	„	28	nundi	„ mundi.
„	97	„	21	quam	„ quum.
„	132	„	39	oenamp	„ poenam.
„	152	„	36	Quim	„ Quum.
„	166	„	14	ipsi	„ ipse.
„	166	„	15	ipse	„ ipsi.
„	208	„	32	cerimoniae	„ ceremoniae.
„	223	„	26	ae	„ ac.
„	229	„	12	facta	„ factae.
„	252	„	31	ab ipse	„ ab ipso.
„	259	„	8	sucrificium	„ sacrificium.
„	265	„	6	minimum	„ minimam.
„	332	„	20	qui	„ is qui.
„	334	„	38	ὑποακοή	„ ὑπακοή.
„	383	„	5	constituti, 1 Thess. 5, 25.	„ constituti, 1 Tim. 2, 2. Pastores et inspectores Ecclesiae, 1 Thess. 5, 25.
„	392	„	32	fine	„ fini.
„	400	„	16	seilicet	„ scilicet.
„	427	„	23	Nequi	„ Neque.
„	451	„	16	Res	„ Rex.
„	452	„	38	Ecclesia	„ Ecclesiae.
„	458	„	27	externo	„ interno.
„	459	„	3	verbis	„ servis.
„	460	„	15	Al	„ Ad.
„	471	„	4	a pellati	„ appellati.
„	481	„	32	verba visibilia	„ verba visibilia et signacula rerum divinarum visibilia.
„	510	„	8	sanguinus	„ sanguinis.
„	532	„	11	inepte	„ non inepte.
„	547	„	33	reliquia	„ reliquiae.
„	597	„	32	Adque	„ Atque.
„	618	„	37	Nathanae	„ Nathane.
„	619	„	28	legitimo	„ legitima.
„	640	„	12	dispurat	„ disputat.
„	654	„	18	vivificabit	„ vivificavit.

BT70 .S99 1881
Synopsis purioris theologiae,
Princeton Theological Seminary–Speer Library
1 1012 00216 6306

DATE DUE

MAR 2 5 2002		

GAYLORD #3523PI Printed in USA